PALAEOGRAPHIA

CRITICA

AVCTORE

VLRICO FRIDERICO KOPP

HASSO CASSELLANO.

PARS QVARTA.

MANNHEMII

SVMTIBVS AVCTORIS.

MDCCCXXIX.

Longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla.

SEN. EP. 6.

DE

DIFFICVLTATE INTERPRETANDI

EA QVAE

AVT VITIOSE VEL SVBOBSCVRE

AVT ALIENIS A SERMONE LITERIS

SVNT SCRIPTA.

VOLVMEN ALTERVM.

MANNHEMII.

SVMTIBVS AVCTORIS,

MDCCCXXIX.

Multa, non quia difficilia sunt, non audemus; sed quia non audemus, *ideo* difficilia sunt.

Sen. ep. 104.

ALTERO HOC VOLVMINE

CONTINENTVR

Qua in appendice quum exempla festinanter olim a me sint collecta, fieri omnino potest, ut quaedam deprehendantur per errorem esse illata. Quid inde? An reliqua propterea una cum istis improbanda erunt? Profecto non nisi insipiens hoc conten-

derit. Transferas nunc velim verissimum hoc judicium in omnes hujus libri partes, et videbis remotis iis, quae impugnari possint, remanere bene multa, quae, quum nullam habeant dubitationem, satis superque doceant, minime contemnendam esse, quam monstravimus, viam veri investigandi in scriptis iis, quae difficilia sint intellectu.

> ***Desine quapropter, novitate exterritus ipsa,***
> ***Exspuere ex animo rationem; sed magis acri***
> ***Judicio perpende: et, si tibi vera videntur,***
> ***Dede manus; aut, si falsum est, adcingere contra.***
>
> LUCRET. 2, 1040.

ΕΚΑΣ ΕΚΑΣ ΟΣΤΙΣ ΑΛΙΤΡΟΣ!

Adjuro omnes, qui meas inscriptionum interpretationes perlustrare constituerint, ut inde ab initio librum sibi legendum sumant, minime vero, praeteritis iis, quae institutionis gratia hactenus praefatus sum, imparati ad hosce labores dijudicandos accedant. Quodsi quis admonitionis hujus sive immemor, sive contemptor, hinc inde decerpere quaedam ex hoc opere, et neglecto verborum nexu ac tenore, in examen vocare ausus fuerit, cui adeo vituperandi, quam veri investigandi, cura potior; iste, precor, iratas sibi habeat novem illas! istius verba nemo audiat! et quae scripsit vel prorsus non legantur, vel si qua forte lecta fuerint, alii alia inde compilent praeterito veri auctoris nomine, nec unquam honoris causa laudato! Hujus etiam scriptis cen-

sendis nulli contingant nisi imperiti prorsus vel semidocti, iniqui praeterea et famae ejus male invidentes judices; librorumque, quos edidit, disjecta maturius membra deferantur in tabernam vendentem thus et odores et piper et quidquid chartis amicitur ineptis. Sic fiat! talia isti cumulata eveniant oro. Quaecunque insuper mala misellum scriptorem vexare, affligere, et ad desperationem usque adducere valeant, ea omnia isti imprecor.

LIBER III.

Quo gemmarum inscriptiones recensentur.

CAPVT I.

Inscriptiones Aegyptiacae.

588. Quum maximam amuletorum partem ab Aegyptiis originem traxisse (§. 55. 342) compertum habeamus, nemo quisquam mirabitur, in eis praeter alias legi etiam inscriptiones Aegyptiaca lingua conceptas. Cui linguae addiscendae quum pauci olim operam darent (§. 341), factum est, ut in illis ne ea quidem verba, quorum facile patet significatio, probe intellecta essent. Certe Fabrettus (*p.* 532) trium elementorum ΦΡΗ (§. 566) quae Solis imagini adscripta sunt, sensum non ignorasset, si aliqua saltem ex parte Copticae linguae gnarus fuisset. Sed hujus etiam vel peritissimis, quo minus verborum sensum eruerent, impedimento fuit prisca orthographia, saepius recedens illa quidem ab ea, quae in Coptitarum libris reperitur. Immo metuendum erat ne nemo

unquam in istis tenebris lucem adspiceret, nisi temere susceptam de semper servata a veteribus ratione recte scribendi opinionem tandem dimisissemus. Majorem denique obscuritatem Copticae illae afferunt inscriptiones, quae Graecis literis solis (§. 430) sunt compositae: siquidem supplenda in iis non nunquam est una vel altera ex septem illis literis (§. 179) ϣ ϥ ϧ ϩ ϫ ϭ et ϯ, quibus Graeci carebant, quasque igitur vel prorsus omittebant, vel illarum in locum ex suis alias substituebant. Quae quidem omnia pluribus gemmarum exemplis, quae nunc exhibemus confirmantur.



589. Imago, quae in hac gemma (*v. Pocoke Beschr. d. Morg. Landes I. tab.* 65) insculpta est, vulgo *Abraxas* appellatur (§. 463). In clypeo septem Graecae leguntur vocales (§. 251), addito nomine *Jao,* quo et Sol interdum appellatus esse (§. 463) videtur. Quae autem figuram circumdant literae majores ΔΑΙΛΑΜ Graecae quidem et ipsae sunt; sed verba denotare videntur Aegyptiaca

haec: TAI ΔΑΜ quae *ὧδε Φοῖβος*, *hic ille splendidus*, sonant. Pro T enim litera, quae a Coptitis dulciori sono plerumque pronuntiabatur, inscriptionis auctor, quum Graecis literis solis uteretur, Δ posuit. Qua quidem inscriptione cum imagine collata nostra confirmatur conjectura (§. 124. 460. 566), qua ducti Solis symbolum in ista latere figura opinati sumus, id quod infra, ubi per partes eam describere nobis est propositum, clarius etiam patebit. Atque Graeci etiam poetae, Coptitae nostro similes, Apollinis praesertim *splendorem* in hymnis (*Mem. de l'acad.* 5. *p.* 187) celebrarunt.



590. Ediderunt quidem hanc gemmam Chiffletius (*n.* 32), Montfauconius (*II. tab.* 149) Gorlaeus et Gronovius (*II. n.* 368); quorum tamen nullus, quid sibi velint literae inscriptae intellexit. Aegyptiacum autem *leonis* nomen iis continetur, quod vulgariter quidem MOYI scribitur: quoniam autem tertia dialectus, quam Bas-

miricam vocant, litera A pro O substituere solet (§. 429), ita ut particula ΟΥΟϘ, quae *και* significat, pariter ΑΥΩ scribatur, diversa haec orthographia in illa inscriptione facile agnoscitur. Atque antiquissimis temporibus pictores nomina rebus, ut agnoscerentur, adscripsisse Aelianus quidem (*var.* 10, 10) refert: sed pingendi ars profecto antiquior arte scribendi erat. Quibus tamen negare nolim a longissimo inde tempore imaginibus interpretationes additas fuisse (§. 532), id quod vel ex eo colligitur, quod, Pausanias pluribus locis, et Lucianus (*in Herodot.* 5) eas notant imagines, quibus, quasi extra morem egressis, nulla explicatio adscripta fuerit. Si quis igitur contra meam verbi MAYI interpretationem argumentari voluerit, haud verisimile videri, nomen prorsus superfluum appositum esse rei, quae imagine ipsa satis declarata sit: ad alia enim monimenta ablegare licet, in quibus *asini* imagini adscripta vox ASINVS est (*Boldett.* 205. *Buonarr. tab.* 9), nec non *equi* imagini vox CABALL. (*Boldett.* 506) cet.

591. Leonis, autem imago cur frequenter in gemmis incisa fuerit causam recentiores quidem scriptores perspicere sibi visi sunt. Quos inter Camillus Leonardus (*in spec. lapid. Aug. Vind.* 1533. *p.* 54) ita scribit: " Leonis bene formati imago, si in granato sculpta fuerit, virtutem habebit praeservare honores, sanumque reddere gestantem ab omnibus aegritudinibus: honores quoque praebet et ab aversis casibus in itineribus gestantem custodit." Sed dimisso isto scriptore magis ad gemmam nostram illustrandam

Alexander faciet Trallianus, qui (*L.* 9. *c.* 4) amuleti contra affectus renum conficiendi rationem demonstrans „ubi in tessera“ inquit „sculpseris Leonem, in orbe *nomen etiam* bestiae *inscribito.*“



Alteram hujus gemmae faciem, in qua praeter notissimam Minervae imaginem nihil comparet (*v. Capell.* 210. *Montf. tab.* 172), *omisi.* In hac autem arieti sub forcipe posito literae adscriptae sunt ΣΙΑΩ, quarum primam ex Capelliano exemplari perperam exscripsit ille, quo Montfauconius est usus, artifex. Aegyptiaca verba esse conjicio haec: 592.

ΣΙ	ΑΩ
ϭΙ	ΑϘΩ

„*Apprehende thesaurum.*“

Quam eandem sententiam imago sistit, nimirum „*tonde ovem.*“

Orthographia eadem est, quae in omnibus fere aliis Aegyptiacis charactere Graeco scriptis (§. 588). Prima enim, litera ϭ, a qua incipit inscriptio, Graeci carent; quapropter Σ in ejus locum videmus substitutam. ϩ vero prorsus omiserunt (§. 430) non alia ratione atque in verbis Hebraeis literam Cheth (§. 439. 441).

593. Inscriptionis auctor lanam thesaurum vocat, siquidem pecudibus olim divitiae constabant, quarum maxima pars lanigerae erant oves velleribus onustae" (*Hesiod. oper.* 232); unde apud Tertullianum (*de pallio c.* 3. *p.* 14) „ille ex Lybia Ammon ovium dives, et Mercurius arietis mollitie delectatus oviculam deglupsisse" dicitur. Elegantius sane Manilius (4, 124) divitias illas versibus descripserat quorum priores sunt:

Dives foecundis aries in vellera lanis,
Exutusque novis rursum spem semper habebit —

Atque hunc divitias congerendi modum in proverbium abiisse ex pluribus veterum et recentiorum dictis patet. Ita Propertius (2, 13, 7):

Quare si sapis oblatas ne desere messes
Et stolidum pleno vellere carpe pecus.

In gemmae autem nostrae imagine fortassis altior inest sensus, nempe *caute* ut capiatur thesaurus: quemadmodum Tiberius „*boni* pastoris esse" dixit „*tondere* pecus, non deglubere" (*Dio Cass.* 57, 10. *f. p.* 855). Sed Tertullianus illis verbis quum addiderit „Graecos omnem lanitii dispensationem *Minervae* tribuisse;" hu-

jus igitur deae in altera gemmae facie imaginem minime otiosam esse patet. Namque lanificii ipsa erat antistes (*Curnut. de nat. deor. c.* 20. *p.* 188. *Gal.*) et per eam, Diodorus (5, 73. *f.*) refert, „vestium consarcinationem hominibus innotuisse:" ejusque cum Arachne certamen poetae (*Manil.* 4, 136. *Ovidius met.* 6, 6) canunt. Quumque Minervam eandem atque Isidem esse sibi persvaderent Graeci (*Plutarch. de Iside p.* 354); et Julius Firmicus (*de prof. rel. p.* 49) traderet ex quinque, quas ipse statuit, Minervis „unam fuisse in Aegypto Nili regis filiam *textrinae artis* magistram; eo etiam referendum esse videtur, quod Proclus (*in Tim.* 30. *Jabl. panth.* 1, 75) testatur, huic deae *arietem* in Zodiaco consecratum esse, et quod Strabo (17. *p.* 559) refert, „a Saitis *ovem* cultam." Jablonskius praeterea Eustathium adducit ita scribentem: „omnium prima mulier quaedam Aegyptiaca sedens *texuit,* unde et Aegyptii simulacrum *Minervae* sedentis dedicarunt."



594. Notissimam quidem imaginem haec gemma (*Montf.* 145) exhibet ejus, qui Abraxas plerumque appellatur (§. 589); de adscriptis autem verbis nihil adhuc intellectum est, quam illud in clypeo positum nomen *Jao.* Equidem Aegyptiacam linguam consulendam esse arbitror, omnesque idem mecum sentient, qui frustra alius linguae ope periculum inscriptionis explicandae fecerint. Literae omnes quidem Graecae sunt, id quod in reliquis hujus generis monimentis semper fere observatur: sed supplendas Aegyptiacas, quae desiderentur, esse supra (§. 588) jam monui. Ultimus character ⌐ ex interpunctionis signo :∼ satis frequenti (*Montf. pal. Gr.* 187. *Walther. lex. dipl.* 454) ortus esse videtur, quum uno eodemque calami ductu signum illud absolvere scribens studeret. Totam autem inscriptionem ita legendam et interpretandam esse conjicio:

ATAO	MYPACII	AIII	MNOOTOI
ATAϨO	MOYPATEI	AIIE	MNOYTOY

Constitue custodes mihi princeps deorum.

Non nisi ad verbum factam esse Latinam versionem facile perspexeris, cui nunc explicandae operam dabo:

ATAO imperativus verbi TAϨO modus est in quo litera Ϩ, ut (§. 588) monuimus, supplenda erat.


MYPACII omnium explicatu difficillimum est, sive trium syllabarum verbum statueris, sive hoc diviseris. Litera quidem M, a reliquis separari potest, quandoquidem omnes casus ea denotantur. Deinde quum litera Y, quae sequitur, tertia dialectus pro OY uteretur (§. 429. *Georg. praef. p.* 66), de voce OYPIT, *custos,* cogitavi, cujus pluralis numerus Memphitice quidem OYPAϮ scribitur, Sahidice autem in eo Ϯ cum TE permutatur. Atqui T litera saepe sibila audiebatur, aeque ac Θ, ita ut quod alii ΘIME, alii scripserint TΣϨIME. Hinc est, quod conjectura divinavi YPAΣI pro OYPATE scriptum esse. Fortassis et Graeco in Aegypto inscriptionis auctori vox οὖρους istius confusionis ansam praebuerit (§. 474). Extrema denique I suffixum haud ignotum est, pronomine possessivo MIHI interpretandum.

AIII, vulgari dialecto AΦE scribitur, Sahidica vero AIIE, quod proxime ad illud accedit et caput significat. Capul autem deorum nil nisi princeps eorum esse potest.

MNOOTOI. M praepositiva litera secundum casum hic indi-

(2)

cat. Memphitica dialecto NOYϮ, Sahidica NOYTE, deus appellatur. Sed amat Sahidica dialectus geminatam OO (§. 429), quare nullus dubito quin illud intelligendum sit verbum; praesertim quum in ipsa Rosettana inscriptione eadem orthographia servata esse videatur. Jam vero pluralis numerus quum saepe per affixam syllabam OY denotetur, ita ut AYPHXOY, AYΛHOY, ΩNHOY, OYPΩOY, ϢXHOY, ϨΩOY, PATOY cet. legamus; deliberent velim linguae me quidem magis periti, num MNOOTOY pariter hic pro voce *deorum* scribi potuerit. Namque OI in diphthongi OY locum transiisse supra (§. 552 *f.*) jam docui.




595. Hanc gemmam, a Gorlaeo (*II.* 529. 530) editam, cum antecedenti conjungendam esse duxi, quia similis sententia utraque contineri videbatur. In extremo charactere legendo dubius haereo: plus enim eo contineri quam simplex Θ, quod ab initio conspicitur, ex addita linea erecta suspicari licet. Quare haud scio,


utrum Oϯ legendum sit, an ΘI? Parum tamen refert, quum ex sola pronuntiatione verbi scriptio pendeat, et quomodocunque extremum characterem legeris, praeter vocabulum OYPAϯ aliud ex literis efficere non poteris. Equidem inscriptionem sic explicandam esse conjicio:

ΘΡΩΙΙ OYPOϯ
ΘΡΟΙΙ OYPAϯ
Fac venire custodes.

Quod idem est ac si dixeris *constitue mihi custodes.* Verbum enim, quod ΘΡΙ, ΘΡΕ, ΘΡΟ, ΘΡΟΥ, inconstanti Coptitarum orthographia (§. 428) scribitur, praegnans est, atque ut plurimum cum Graeco *ποιεῖν* convenit, eoque conjugatio etiam, quam *hiphilicam* vocant, exprimitur, unde cum I, *venire*, hic conjungitur. Sed quo pacto inscriptio ad imaginem spectare possit, haud facile est dictu, quum haec ipsa tam mihi, quam aliis, sit obscura. Namque Gronovius (*II. p.* 46. *n.* 529) ad Gorlaei illustrandam gemmam non nisi haec verba addidit: „*Sive* fructus unde duae radices exeunt, *sive* vas, unde infra prodeunt serpentes duo, superne aliquot lineae *nescio quid* exhibentes cum literis ignotis ab altero latere.“ Ego vero similem reperi imaginem, in qua Caylus, qui gemmam (*II. tab.* 2. *n.* 3) vulgavit, et Aegyptiacam esse affirmavit, vas quidem (*p.* 14) agnovit, sed illustrare non potuit. Cujus vasis maximam cum illo aequalitatem pagina versa videbis:




Minime vero radices, sed *duos angues* esse, qui ex vase prodeant, ex alia gemma (*ap. Pignor. tab.* 3. *n.* 10. *Kircher. II.* 2. 464. *Chif-flet.* 49. *Bose. de dea salut. tab.* 2. *n.* 4. *Gorl.* 391. *Ebermayer.* 435)



colligo, in qua idem vas, quamvis inversum, conspicitur, neque

anguium figura dubia est. Quos quum videamus, recordamur non solum illius Persii (1, 113) „*Pinge duos angues, sacer est locus;*" sed bonorum etiam geniorum, quos hac specie denotari nemo ignorat (*Montf. I. tab.* 201. *Mus. Ital. p.* 103. *Spon recherch. p.* 479. *Hercul. ant. I. tab.* 38. *IV. tab.* 13), quosque ab antiquissimis inde temporibus (§. 99) custodum munere fungi recepta ferebat opinio.



596. Nilum hac imagine denotari Passerius (*III.* 165) quidem vidit; ad verba autem inscripta, quorum nullum intellexerat, haec (*p.* 169) observavit: „Notas characterum *libenter* (?) missas facimus, cum luculentissima (?) demonstratione *probaverimus*, nec sensum ullum inde erui posse, nec unquam forte habuisse; ne-

que enim inde verba ulla in reliquis aliis paene infinitis coalescunt et *mugitus* (?) magis quam dictiones referunt." Haec ille, de cujus arte verba in gemmis inscripta interpretandi quid sentiamus saepe quidem diximus; sed mira notanda ejus est audacia, qua contendit omnia a se non intellecta sensum nunquam habuisse. Unde jure quidem in censuram incurrit Bellermanni (*I.* 45), qui tamen ipse AI ΕΙΣ AI perperam in gemma legit pro eo, quod claris literis scriptum est, ΟΑΙ ΕΙΟ ΑΙ. Equidem Aegyptiaca haec esse conjicio, in quibus componendis scriptoris forsan artificium fuerit non nisi vocibus utendi, quae consonis literis prorsus carerent. Jam vero more nostro etiam huic inscriptioni verba subjiciamus secundum orthographiam magis notam scripta, addita unius cujusque interpretatione:

ΟΑΙ	ΕΙΟ	ΑΙ	ΑΒΡΑΖΑ
ΟΥΑΙ	ΕΙΟ	ΑΕΙ	ΑΒΡΑΞΑΣ
Unus	*sum*	*semper*	*Abraxas.*

ΟΑΙ. Saepe in gemmis Aegyptiace inscriptis Ο legitur pro ΟΥ. Neque est quod mireris: ipsum enim literae Ο nomen Copticum est ΟΥ, quo eodem prisci etiam Graeci illam nominarunt, qui similiter pro diphthongo usi litera Ο sola sunt non solum antiquissimis temporibus, quod nemini non notum est, sed seriori etiam aevo. „Coptitae autem," sunt verba Bonjourii (*ap. Georg. p.* 391), „ponunt saepissime *ο* pro *ω*, et *ω* pro *ου*, et vice versa."

ΕΙΟ. Quum ΕΙ non nisi syllaba praepositiva primae personae

praesentis temporis sit, et O Sahidice pariter atque OI Memphitice verbum auxiliare ESSE significet, EIO vertendum erat SUM.

AI. Quod Graeco adverbio ἀεὶ hoc vocabulum interpretatus sum vitio mihi non vertent, qui jam dudum observarint, linguae Copticae tertiam certe partem Graecis constare vocibus (§. 367). Sed haud scio an opus sit ad Graecam confugere linguam, quum nondum sit certum, hac ipsa voce Aegyptios caruisse. Notus est locus apud Horapollinem (1, 29), quo Aegyptios, affirmat, pro voce μακρόθεν dixisse οὐαεὶ. Quid? quod ipse Bonjourius, quem linguae Copticae peritissimum fuisse inter omnes constat, illud inter Coptica verba exstans AI vertit *in aeternum* (*Georg. p.* 391).


597. Inscriptionis autem verba *Unus semper sum Abraxas* qui perpenderit facile animadvertet, similia ea esse decantatis illis, de quibus infra disputandi locus erit, Εἷς Ζεὺς Σαραπις (§. 217); vel Latinae illi inscriptioni „*Te tibi, una quae es omnia Isis;* vel Copticae cuidam infra (§. 641) explicandae. Quoniam autem Nilum, quem hic depictum videmus, ab antiquissimis inde temporibus *unum eundemque* mansisse Aegyptii observaverant, ille etiam semper maximo in honore apud eos fuit (*Plutarch. de Is. p.* 353), adeo ut *aqua* communis omnium Aegyptiorum deus esset (*Lucian. Jup. trag.* 42. *T.* 7. *p.* 275). Nilum ipsum non solum Parmeno Byzantius apud Athenaeum (*Jablonsk. panth.* 2. *p.* 168) Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε alloquitur, quibus verbis cum Jove pluvio fluvius ille collatus esse videtur; sed Heliodorus etiam ab Aegyptiis fingi,

(*L. IX*) ait, Nilum *deum* esse et ex numinibus *maximum* (*conf. Creuceri symb.* 1. *p.* 271). Quo factum est, ut in Latina etiam numi cujusdam inscriptione (*Pignor. mensa Is. p.* 81. *Eckhel. IV.* 37. *VIII.* 136. 141) legeretur DEO SANCTO NILO. Divinus hic cultus, cujus rationem Sextus Empiricus (*adv. phys.* 9, 18. *p.* 552. *conf. Beck. Gesch. p.* 268) exponit, ad Theodosii tempora usque durasse videtur. Namque tunc aegre tulisse Aegyptios apud Nicephorum (*hist. eccl.* 12, 37. *p.* 764) legimus, quod Nilo sacrificare prohiberentur. Sed Christianam amplexorum religionem in precibus etiam legitur: „Adscendant fac super terram aquae fluviales *fluminis* ex promtuariis juxta morem" (*Georg. p.* 304. *Conf. infra* §. 607).

598. Nili imago licet aliter descripta sit a Luciano (*rhetor.* 6. *T.* 7. *p.* 225), quam in gemma conspicitur nostra, et aliter tam in marmoribus (*Agost. dial.* 3. *p.* 104. 106. *Montf. III. tab.* 108. *et in diar. Ital. p.* 278 *f. Cayl. V. in fronte. Marm. Oxon. I. tab.* 42. *n.* 73. *Philostr. icon. L.* 1. *p.* 737. *Jabl. panth. II.* 174) quam in numis compareat (*Spanh. I.* 174. *Biae. tab.* 39. *n.* 7. *Zoega, Eckhel, cet.*) hic tamen sistro satis declaratur, quod tam Aegyptum (*Agostin. p.* 99. *Biae. tab.* 39. *Schlaeg. de num. Hadr. in f. dedic.*) denotat, quam *Nili* etiam accessum et recessum (*Servius. ad Aen.* 8, 696). Cornu copiae, quod manu tenet Nilus, ubertatem designari notissima res est. Loto, vel quod aliis placet Perseae arboris fructu (*Cuper. Harp.* 20) in gemma ille pariter atque in numis (*Eckhel. IV.* 38. *Zoega* 43) ornatur. Stella denique, quam ante Nilum po-

sitam esse videmus, canem Sirium, sive caniculam designari puto. Ejus enim sub ortu incrementa Nili manifesta fieri Diodorus (1, 19. *p.* 22) tradidit.

599. Quae denique de paritate numerorum, qui in literis *Ἀβραξας* et *Νειλος* lateant (§. 455), detegere sibi visus est Passerius (*III.* 170), haec diu ante eum Heliodorus (*L. X.*) Eustathius (*apud Cuperum p.* 20), Seldenus (*Op. I. II.* 288), Wesselingius (*ad Diodor.* 26. *n.* 43) aliique observarunt; neque ad hanc gemmam referri possunt, quandoquidem in ea nomen illud ABRAZA scriptum est, quod Passerius perperam et contra fidem gemmae, quam ipse edidit, semper ABPAZAΣ legit; quamvis ne sic quidem ex literis numerus CCCLXV conficiatur.



600. Hoc a Kirchero (*obelisc. Pamph.* 147. 273) et Breithauptio (*art. decifr.* 16) editum monimentum inter Aegyptiaca retuli ob *globum alatum* ei insertum. Arietis capiti subscriptum nomen

AMOYN legendum esse videtur. Arietina enim facie (*Raspe tab.* 24. *n.* 9646, *melius in mus. Corton. tab.* 22) pingebatur iste Aegyptiorum (*Herodot.* 4, 181) vel Libyorum (*Macrob. Saturn.* 1, 21) deus, qui *corniger Hammon* a Lucano (3, 292) dicitur; aut arietinis saltem cornibus frequenter effingebatur. (*Pausan.* 8, 32, 1) tam in marmoribus (*Spanh. I.* 390), lucernis fictilibus (*Passer. luc. I.* 32) et gemmis (*Causei mus. Rom.* 1, 4. *Rasp. tab.* 24. *n.* 1390. *Gorl.* 2, 463. *Chifflet.* 110. *Dact. Stosch.* 1. *tab.* 22. *Montf. suppl. I. post tab.* 19), quam in numis (*Spon. voy. I.* 431. *Wheeler n.* 15. *Montf. suppl. I.* 20. *Spanh. I.* 297. 390), ex quibus hunc, a Spanheimio editum, quia nomen ipsum adscriptum est, hic subjicio:



Mirus autem in nostra inscriptione tertius est character, qui diphthongum OY supplere videtur. Qui quidem sonus quum literarum Graecarum una exprimi non posset, haud scio, utrum ob hanc potissimum causam hieroglyphicum hoc signum, quod nomine forsan suo sonum quodammodo suppleret, an ob aliam prorsus superstitiosam illud inseruerint? Sed vere Aegyptiacorum verborum, quae ad nostram pervenerunt notitiam, numerus

perexiguus est, atque haec ipsa non nisi Christianam doctrinam continent, Aegyptiorum autem, quod dolendum, minime illustrant aenigmata. Quapropter nemo sane quisquam erit, qui nominis, quo globus ille appellabatur, gnarus quaestionem illam solvat. Causam vero, unde in monimento, quod amuleti loco habitum fuisse dicunt, nomen *Amoun* inscriptum sit, facilius perspicere potuissent, viri illi docti, si verborum Origenis (*contra Cels.* 5. *p.* 262) memores fuissent, quibus tradit „ab *Aegyptiorum incantatoribus* Ἀμμουν invocari.“ Neque hoc mirum, siquidem in nummis quoque CONSERVATOR ille appellatur (*Graev. XII.* 967), quem jam Herodotus maximum Aegyptiorum deum (*Δία*) fuisse tradiderat, consentiente deinde Plutarcho (*de Is. p.* 354). Quapropter neutiquam erat quod Jablonskius (*opusc. I.* 31) hac de re dubitaret. Non enim Graeci solum נא אמון vertunt *Diospolin;* sed Plinius etiam (5, 9, 11) eandem *Jovis* oppidum appellat. Quantus ille fuerit, tam Aegyptiacus ille sacerdos, qui in obelisco scriptum doceret „regem Ramestem amari ab *Amone*“ (*Ammian* 17. *p.* 101) prodidit, quam Alexander Magnus, qui non solum *per Ammonem* juraret (*Plutarch.* 692); sed hujus dei caput etiam in lapide incisum ad pectus appenderet (*Augustini gemm. II. p.* 2). Ut Ammonis taceam oracula, quae non solum in Libya, sed per omnem quoque Graeciam celeberrima erant (*Platon. Alcib. II. p.* 97. *Bip. Pausan.* 3, 18, 2. 5, 15, 6. 6, 8, 2. *Plutarch. Alex. in f. et Cimon f. Strabo, Plinius, al.*) adeo ut Ammonem *Graecum*

etiam deum (*θεον Ελληνικον*) Svidas appellarit. Globum denique alatum eundem esse censeo, qui in tabula Isiaca templorumque in fastigiis cernitur, ad quem Aelianum quoque (*hist. anim.* 10, 22) respexisse verisimile est. Quae vero de triformi numine in illo globo latente somniavit Kircherus (*Oedip. II.* 415), ea scilicet ne legi quidem merentur. Plura de Ammone et globo illo ad aliam gemmam infra producendam observabimus.



601. Multis quidem de causis memorabilis haec gemma (*v. Chiffl. n.* 33. *Gorl.* 362. *Montf. II. tab.* 149. *Baudelot. utilité des voy. I.* 282. *tab.* 11. *n.* 2. *Cuper. Harp. p.* 48), sed insigni etiam documento est, quam stolidum genus sit hominum, qui in gnosticos semper invehuntur nulla sententiae, quam temere susceperunt, ratione adlata, sed praetenso tantum quodam pietatis colore. Quos

inter Chiffletius, quamvis nullum in gemma nostra verbum intelligeret, haec tamen (*p.* 80) declamavit: „Nos magni dei summae atque unicae majestati nugas *Basilidianas* non componimus, sed ex instituto *ut victimas mactare* pergimus." Quod scilicet facilius erat, quam verbis, quae insculpta sunt, explicandis operam impendere! Nec majori curae Parisiensis academiae sodalibus (*memoir. XVI. p.* 276) fuit, inscriptionem intelligere, unde imaginem pari errore ducti perperam explicarunt. Sed magis miramur Jablonskium, quem linguae Copticae quamvis peritissimum a scopo tamen longe aberrare videmus. Inscriptionis enim (*opsc. IV.* 101. *Misc. Lips. nov. VII.* 88) posteriorem partem ΦΡΙΜΝΥΕΜΕΣΙΕΜΕΘΙ vertit: *„O! Sol veritatis prodi in medium."* Quo autem pacto vocem *veritas* ex illis literis elicere potuerit, admissa etiam, quam audacter substituit, lectione ΦΡΗΝΥ, equidem perspicere nequeo. Coptice enim pro *Sol veritatis* ΦΡΗ ΜΘΜΗΙ erat scribendum. Et quod magis etiam mirum, precationi illi respondere putat inscriptionem *prorsus alienae gemmae* ΣΕΜΕΣ ΕΙΛΑΜΨ, quam perperam etiam *Ego Sol illuceo* vertit, immemor scilicet alius interpretationis, qua prius easdem literas ΜΕΣΣΙΑΑΜ legere ipse jusserat (§. 565)!

602. Alius nostrae inscriptionis interpres Passerius (*II. p.* 160. *n.* 63), eam esse Graecam putans, e literis singula tantum verba more suo extorquet, scilicet *φρην, mens,* et *μητις, prudentia.* Mihi denique omnia Aegyptiaca esse persvasum est, quamvis intellectu dif-

ficillima. Quo clarius autem rationes interpretationis, quam conjectura assecutus sum, pateant, erroresque, si qui sint a me commissi, quo facilius corrigi a peritioribus possint; inscriptioni verba quemadmodum Sahidica dialecto scribi solent, subjiciam:

ΘΩΥΘ	ΚΟ	ΜΒΟΥΡ	ΦΡΙ	ΜΝΥ
ΘΩΥΘ	ΚΩ	ΜΒΙΡ	ΦΙΡΙ	ΜΝΕΙ
Thoyth	*effunde*	*vas:*	*annuntia*	*tempus*
	ΕΜΕCΙ		ΕΜΕΘΙ	
	ΕΜΕCΙ	.	ΕΜΑΤΕ	
	ad gignendum		*valde.*	

603. Primum vocabulum non pro numinis, sed pro *mensis* nomine accipio, cujus scriptio optima haec est. Namque Θωυϑ in inscriptionis Rosettanae parte Graeca (v. 49) pariter atque in monimento Quiriniano (§. 186) illis literis compositum legitur. Neque fugit haec nominis scribendi ratio Martianum Capellam (§. 227) neque Ciceronem (*N. D. III.* 22), apud quem olim secundum optimos libros legebatur vel Thoyth, vel Thoyt; *nunc* autem temeraria criticorum manu mutatum exstat Thoth (§. 6). Qui quidem quo magis *incerti* et verae nominis scribendi rationis *prorsus ignari* erant, eo minus corrigere debebant quod bene scriptum fuisse nemo jam dubitabit. Ac si monimenta adhuc exstantia, in quibus verum nomen ΘΩΥΘ legitur, inspicere istos pigebat; sane Eusebius omnibus patebat, et omnino ab eis adeundus erat, quippe qui (*praep. ev.* 1, 7, 9. *p.* 32) Alexandrinorum orthographiam

reprehendens veram prodiderit Aegyptiacam his verbis: „ὃν Αἰγύπτιοι ἐκάλεσαν ΘΩΥΘ, Ἀλεξανδρεῖς δὲ Θωὺθ, Ἑρμῆν δὲ Ἕλληνες μετέφρασαν." A Philone quidem (1, 7, 10. *p.* 36) nomina illa esse permutata videntur; sed corruptum locum esse viri docti jam pridem viderunt, siquidem Θωωρ ibi scriptum pro Θωὺθ. Et quamquam in Platonis libris (*Phaedr. T. X. p.* 379 *Bip.*) idem nomen nunc quidem legitur Θεὺθ; Clemens tamen Alexandrinus apud eundem olim (*Strom. I. p.* 303) legerat Θωὺθ: et profecto ille, qui ante saecula XVI floruit, scriptor antiquioribus libris usus erat, quam ii sunt, quos nobis inspicere licet. Tristis autem pluribus certe libris sors accidit, ut quae vere scripta fuerant quum a librariis, tum a criticis, mutarentur. Quare nec Lactantii (*I.* 6), modo vera apud eum lectio sit Thoth, auctoritas nos movet, neque movere potest perspectis monimentis illis in gemmis et marmoribus adhuc exstantibus, quae veram nominis scriptionem docent.

604. Deorum autem nomina quum mensibus ab Aegyptiis imposita esse ex veterum testimoniis constet (*Herodot.* 2, 4 *et* 82); iisdem quoque literis ea scribenda fuisse consentaneum est. Unde tam Thoyth (*Cic. N. D.* 3, 22) quam Athyr, quum deorum, tum etiam mensium, nomina fuisse novimus. Atque illius mensis nomen in antiquis etiam libris scriptis (*Treschow tentam. descr. codic. p.* 130) Θωὺθ utique legitur. Cur autem in nostra inscriptione *mensis* nomen praetulerimus haec est ratio: reliqua verba omnia ad fertilitatem Aegypti spectant, quae Nili inundatione provenit. Hanc

autem in Sothis ortum cadere supra (§. 598) demonstravimus. Quibus si addideris, quod Porphyrius (*antr.* 24. *p.* 22) docet „Aegyptiis *anni principium* non Aquarium sed Cancrum esse; prope enim Cancrum morari *Sothin;*" neque ignoraveris *primum* Aegyptiorum mensem Thoyth fuisse (*Cic. l. c.*): facile etiam intelliges, quo pacto ab *hoc mense* Aegyptiis *adferri fertilitatem* jure dici in nostra inscriptione potuit.

605. Sed reliqua verba explicemus necesse est:

ΚΩ pro ΧΩ Sahidicam dialectum prodit. Quod verbum, quum praeter alia *dimittere; emittere, ἀφεῖναι,* significet, hoc quidem loco, quia cum *sporta* conjunctum, *effundere* interpretari malui.

ΜΒΟΥΡ. ΒΟΥΡ *sporta, corbis, vas,* vulgari dialecto tum ΒΙΡ, tum etiam ΒΑΙΡΙ scribitur: adeo vaga et inconstans deprehenditur Coptitarum orthographia. Μ hoc loco quarti casus nota est.

ΦΡΙ. Optima haec esse videtur ratio scribendi. In Coptitarum enim libris idem verbum et ΦΕΡΙ, et ΦΙΡΙ, et ΦΟΡΙ scriptum reperitur: ambigua nempe prioris vocalis pronuntiatio erat (*conf.* §. 627). Quod quidem verbum *splendere, efflorescere, pullulare,* in psalmis autem *narrare, annuntiare* significat.

ΜΝΥ. Voces ΝΑΥ, *hora,* ΝΕΙ, sive ΝΗΙ, *tempus definitum,* ex una eademque radice natae esse videntur. In gemma nostra ΝΥ legitur pro ΝΕΙ ut in libris scriptis *δυνα* pro *δεινα, ἥμισυ* pro *ἡμισει* (§. 431. *Sturz.* 123). Quid? quod Jablonskius (*panth. II.* 157) ipsum *Nili* nomen, ab illo vocabulo derivare conatus est.

EMIΣI. MEΣ, MEΣI, MIΣI, unum idemque, *gignere* sonat vel *parere*. (*Rossi* 146. 200. *La Croze* 51). Litera E, infinito modo praefixa, gerundia format.

EMEΘI. Vertendum esse *valde* arbitratus sum, quod vulgari quidem dialecto EMAϢΩ sonat, Sahidica autem EMATE (*Scholtz gr.* 32). In pluribus sane, quae ex Aegypto provenerunt, inscriptionibus (§. 609. 639) adverbia in extremum locum rejecta observavi. Ita et Coptiten ϤNATΩNϤ AN ϪE scribere Scholtzius (*gr. p.* 132) advertit.

606. Quibus expositis et discussis quid, quaeso, huic gemmae commune cum gnosticorum doctrina intercedere dixeris? Profecto omnia alia sapit, et ad solam fertilitatem ubertatemque inundatione Nili efficiendam spectat, id quod ex imagine etiam colliges. — *Leonis* enim hic exsculpti causam aperit Horapollo (*I.* 21) scribens: *Ὁ ἥλιος εἰς λεοντα γενομενος, πλειονα την ἀναβασιν του Νειλου ποιειται.* Et Plinius (18, 30, 18) „Nilus“ inquit „evagari incipit solstitio et nova Luna: ac primo lente, deinde vehementius, quamdiu in *Leone* Sol est.“ Quapropter capita canalium, ut Horapollo refert, clavesque in foribus templorum *Leonis* figura Aegyptii effingebant (*Plutarch. de Is. p.* 366. *symp.* 4, 5. *p.* 670. *et scholiast. Arati ap. Jabl. in panth. I.* 218. *Cuperi Harpocr.* 48. 49. *ap. Polen. II.* 435). Eandem fortassis rem significabant Heliopolitae colentes *Γενναιον* deum, quem erecti Leonis forma repraesentabant (*Phot.* 242. *Damasc. p.* 1065). Valeat igitur Montfauconius, qui

(4)

(*p.* 360) vera *Leonis* significatione haud perspecta, victoriam Leonis ex tribu Juda huic gemmae obtrusit! Melius ille profecto Arnobium (*adv. gent. VI. p.* 196) consuluisset, qui „videmus," inquit, „inter deos vestros *Leonis* torvissimam faciem, et nomine *frugiferi* vocari." Nec tamen repugnabo, si quis frugiferum Solem ipsum illa Leonis imagine denotari contenderit. Quo certius autem *frugiferi* cognomen eluceret, adpictus Leoni est *penis erectus*, generandi virtutis signum (*Diodor.* 1, 88. *Plutarch. de Is. p.* 371 *f. et* 365. *Porphyr. ap. Euseb.* 3, 3, 7. *p.* 98. *Jamblich.* 1, 11. *p.* 21. *Suidas v.* πριαπος. *Macrob. Saturn.* 1, 19). Similem Leonis cum membro erecto stantis imaginem in alia gemma (*ap. Wild. n.* 134) inspicere licet. Ac sane intempestiva erat verecundia, qua ducti tam artifices Romani (*Mus. Pio-Clem. VI. p.* 98) quam Montfauconius ubique, vel in ipso *Priapo*, hoc virtutis generandi et fertilitatis symbolum omitterent, substitutis ei foliis!

607. Quemadmodum extrema inscriptionis verba ad illud sese referunt symbolum, ita priora *vasis* mentionem faciunt, quod laeva tenet Leo. Amphora sive situla quum omni quidem fluvio tributa erat (*Aen.* 7, 792. *Stat. Theb.* 2, 218), tum Nilum inprimis trium hydriarum symbolo Aegyptii ornabant (*Horap.* 1, 21); qui iidem in sacris etiam Isidis et Osiridis teste Plutarcho (*p.* 365) vas aquarium in honorem hujus dei praeferebant, in quo positum esse censebant omne principium facultate humectandi praeditum, utpote causam ortus et substantiam seminis." Unde etiam „qui sa-

cerdotia gerunt moribus Aegyptiorum," sunt verba Vitruvii (8. *pr. p.* 224 *Bipont.*) „ostendunt omnes res e liquoris potestate consistere: itaque quum hydriam tegunt, quae ad templum aedemque casta religione refertur, tunc in terra procumbentes manibus ad coelum sublatis de inventione ejus gratias agunt divinae benignitati." In processibus etiam publicis amphoram circumlatam esse tum Appulejus (*metam.* 11. *p.* 775) memorat; tum in talis pompae typo observari licet (*Montfaucon. II. tab.* 116. *Mus. Chiaramonti tab.* 2). Quem summum aquae cultum Porphyrius (*de abstin.* 4, 9. *p.* 324) suis adhuc temporibus in Aegypto viguisse testatur; immo serius eum etiam servatum fuisse supra (§. 597) vidimus. Causam igitur, cur amphora Leoni addita sit facile perspicies praesertim si memineris eorum, quae Servius (*ad Aen.* 8, 696) observat, „*situla* significari *fluentiam omnium lacunarum.*"

608. Quem dextra Leo tenet tridentem quo referam ambigo. Vulgaris opinio, qua ad rem piscatoriam hoc Neptuni symbolum pertinere ferunt (*Curnut. de nat. deor.* 22. *ap. Gal. p.* 194. *Visconti mus. Pio-Clem. IV. p.* 240), parum auxilii hoc quidem loco suggerit. In alia gemma (*ap. Passer. tab.* 86), quam infra examinare constitui, cujusdam figurae *capiti* tridens impositus est, quemadmodum in Nili imagine (§. 596) *trifolium*. Qualiscunque autem illius significatio fuerit, certe ad ternarium numerum respiciendum esse eo magis mihi persvadeo, quod trium quoque hydriarum

symbolo (§. 607) Nilus ornabatur. Quin ipsa etiam Aegyptus tridente denotari potuit, quandoquidem ejus Delta a *triquetra* literae forma nomen quoque accepit (*Plin.* 5, 9. *Ammian. Marc. L.* 22. *p.* 247. *Diodor.* 1, 33 *et* 34). In Septimii Severi denique numis (*Eckhel. VII.* 162. 169) cornu copiae cum tridente conjungitur adscriptis verbis SAECVLO FRVGIFERO.



609. Quae in hac gemma (*v. Spon. recherch. p.* 124. *n.* 20. *et Misc. p.* 16) inscripta sunt verba a Sponio (*p.* 128) quamvis non intellecta nihilominus ex more praepostere recepto Basilidianis sunt tributa. Neque vidit vir doctus Hori sive Harpocratis imaginem isti opinioni prorsus contrariam esse. Mihi quidem inscriptio, quae Coptica est, iterum ad Aegypti fertilitatem spectare videtur, quamquam haud scio an aliis idem persvadere possim. Clariora certe priora, quam posteriora, sunt verba. Ita enim se habent:

AMOY	PH	IIPEIAHPI	AI	IPE
AMOY	PH	IIPEAHP	AI	IPE
Veni	*Sol,*	*moderator aeris,*	*semper*	*fac*

ABEIPE	BOYBI	OYΩΔ
BAIPI	BEBI	OYϨOϮ
sportam	*effundere*	*subito.*

AMOY PH adeo nota sunt verba, ut eis explicandis supersedere possim.

IIPEI. Magis molesta haec fuit vox, et adhuc incertum me esse fateor an verum viderim. Ac primum observandum literam I in fine vocum saepe abundare (§. 429), ita ut eam in voce quae sequitur AHP superfluam etiam additam esse videamus. IIPE igitur, quod restat, ex articulo II et PE compositum esse videtur. Jam vero verbum ποιεῖν diversa et inconstanti ratione Coptice modo PA, modo IPI, quin Sahidice etiam EIPE et PE, (in nostro monimento IPE) scribitur. Quumque haud rara sint exempla nominum ab infinito verbi modo, articulo praeposito, formatorum, ut a ΣΩTEM, *audire*, derivandum sit IIΣΩTEM, *obedientia*, a KΩT, *aedificare*, IIKΩT, *aedificium* cet. mihi quidem videbatur, IIPE pro ποιητής accipi posse. Praesertim autem ad illud IIPEAHP observanda exempla sunt, quibus docetur, voce EP (eademque igitur Sahidica PE) praeposita, quamvis infinitus modus ea exprimi videatur, participium tamen *faciens* (*is qui facit*) denotari. Ita ex BAPI, *navis*, et ϢINI, *inspicere*, praeposito EP

fit ΕΡΒΑΡϢΙΝ, *navium restaurator* (*Rossi* 51). Ac plurima ejusdem rei exempla sunt obvia (*Crozii epist. thesaur. I. p.* 167. *Jablonsk. opusc. I. p.* 39. 69. 71. 403).

ΑΗΡ vox Aegyptiis cum Graecis communis est. Antecedentem igitur cum hac conjunctam *moderatorem aeris* exposui, qui certe ΦΡΗ (Sol) est. Similiter Cicero (*Tusc.* 1, 28) „temporum commutationum" inquit „ad maturitatem frugum *moderatorem Solem* esse." Qui idem Sol in Apollinis oraculo *ὡρων και καιρων ταμιης* appellatur (*Euseb.* 3, 4, 15. *p.* 125. *Laur. Lyd.* 42).


ΑΒΕΙΡΕ. Qui non ignorant saepe abundantem ab initio vocum literam A esse (§. 429) levem in verbo ΒΑΙΡΙ vocalium commutationem eo minus curabunt, quo frequentior ea in ipsis Coptitarum libris comparet (§. 428), ut Sahidicam taceam dialectum, qua E pro I poni nemo ignorat (§. 428).

ΒΟΥΒΙ pro ΒΕΒΙ, quemadmodum ΝΟΥϪ pro ΝΕϪ legitur. Aegyptiaca haec locutio *sporta effundit* similis est ei, qua Graeci et Romani de Amaltheae cornu utuntur, quemadmodum Horatius

- - - - Aurea fruges
Italiae pleno diffudit copia cornu.

ΟΥΩΔ. In difficillimo hoc vocabulo explicando dubius haesi. Facilis quidem conjectura est Δ pro ϯ, quo Graecum alphabetum caret, positum esse, quum dulciorem hujus characteris sonum non ignoremus, et versa vice Graecum *διαβολος* a Coptitis scriptum esse ϯΑΒΟΛΟΣ viderimus (§. 431). Sed nihilo magis ex-

ploratum habebam utrum ΟΥⲰϯ, *olera*, an ΟΥϨΟϯ, *subito*, sit intelligendum. Ϩ certe a Graecis, Coptica suis literis scribentibus, omittebatur (§. 592). Certiorem tandem me reddidit custodita observatio adverbiorum ab Aegyptiis in sententiarum fine collocatorum (§. 605. 639). Ad imagines quod attinet Horus (Sol) loto insidens navi (§. 238) vehitur, cujus in prora avis, in puppi aliud adstat animal. Quod licet Montfauconius (*p.* 305) cognitu esse haud facile scribat, Gorius autem (*Mus. Florent. I. p.* 145. *ad Tab.* 71. *n. V.*) et Bellermannus (*III. p.* 12) cum Anubide confundant, ego tamen cynocephalum esse persvasum habeo; quae mea quidem opinio aliis gemmis, infra producendis, confirmabitur.




610. Tam Gorlaeus (*II.* 386), quam Chiffletius (*n.* 46) hanc gemmam ediderunt. Kircherus autem (*prodr. Copt. p.* 231) non nisi posticam nobis tradens, literas, huic incisas, esse Copticas contendit.

Errasse eum quamvis persvasum habeamus, characteres tamen neutiquam a nobis intelligi ingenue fatemur. De verbis contra in antica inscriptis Scaligerus quidem (*epist.* 180. *p.* 379) Marco Velsero haec rescripsit: „Ut de *Jao* non dubium est, ita de illis in tuo *φεΡειν φεΡω* malo tacere, quam ludibrium debere. Hic nobis neque Irenaeus, neque Theodotus, neque Tertullianus aliquam opem adferunt." Ex quibus patet, hunc virum doctissimum communi etiam adhaesisse opinioni, omnia haud intellecta gnosticis esse adscribenda. Ego vero prorsus nihil, quod gnosticos prodat, videns verba inscripta sic divisa lego atque verto:

ΦC	PE	NΦE	PΩ
ΦEϘ	PH	NΦE	PΩ
Penetra	*Sol*	*coeli*	*ostium.*

Extrema in prima voce litera E quo pacto hac forma C scribi potuerit, supra (§. 200) docui; literamque Ϙ in omnibus, quae Graecis literis solis scripta sunt, supplendam esse saepe (§. 430. 588. 609. 613. 634) monui. E et H saepissime commutari nemo ignorat. ΦEϘ denique et ΦOϘ, quod unum idemque est, illum sensum habere lexica docent. Reliqua plana sunt. Atque *similia verba* in alia gemma (§. 526) incisa me legere memini. Accedit quod Anubis, Aegyptiorum Mercurius, in nostra adstat, quem ante fores positum esse (§. 634) non ignoramus. Clavem forsan dextra ille tenet. Nomen denique Jao utrum ad reliqua verba pertineat, an illi potius qui sceptro insignitus est, adscriptum

nomen sit, decernere nequeo. Sceptrum eadem forma delineatum est, qua illud, quod Harpocrati (*ap. Cuper. p.* 169) tribuitur.



611. Figura loto insidens, modo accurate a Montfauconio (*Suppl. II. Tab.* 55. *n.* 4) exscripta sit, feminei generis est, caputque habet radiis et limbo circumdatum. Forma tamen radiorum differt ab ea, qua plerumque delineati alii sunt. Quos inter globus conspicitur, ad quem femina illa digitum intendit. Isidem hanc esse

Montfauconius autumat, quae, si verum viderit, eadem atque Luna erit.

612. Ex verbis inscriptis ΙΕΟΥ ΑΡΣΕΝΟ ΦΡΗ Montfauconius quidem (*p.* 212) primum *Hebraeum* יהוה, secundum *Graecum* ἄρσεν, tertium *Aegyptiacum* ΦΡΗ esse conjecit; ita ut inscriptione significaretur *„Solem marem esse."* Sed vir doctissimus ipse dubitat fore ut ista interpretatio aliis satis faciat. Nec sane perspicitur, quorsum sententia illa in gemma aliqua spectare possit. Licebit igitur aliam viam ingredi et periculum facere, non trium, sed unius ejusdemque linguae ope verborum sensum eruendi.

613. Coptica illa est, ex qua, verbis rite divisis haec sententia exire mihi videtur:

I	ΕΟΥ	ΑΡ	CΕΝ	Ο	ΦΡΗ
I	ϨΗΟΥ	ΑΡΙ	ϢΕΝ	Ο	ΦΡΗ
Veni	*ubertas,*	*fac*	*nuntium*	*esse*	*Solem.*

Omnia, quae hic leguntur verba lexicis satis declarata sunt, nisi quod pro ΕΟΥ quaerendum ϨΗΟΥ est, quo omnis *utilitas* quidem significatur, hoc autem loco *fertilitas* praesertim denotari videtur. Restitutos a me esse characteres Ϩ et Ϣ (§. 588) vix est quod moneam. Nisi igitur omnia me fallunt, haec quoque inscriptio tempus spectat, quo Nili inundatio annuntietur.

614. De imagine sententia, quam Montfauconius protulit, confirmari alia gemma (§. 611) videtur, in qua Winckelmannus (*catal. p.* 15. *n.* 61) Isidem, quae capite, simili modo radiato, depicta

est, pro Luna accipere non dubitavit. Quae quidem ipsa quamvis, ut Cicero inquit, *luce luceat aliena;* radiis tamen ornari potuit pariter atque Diana (*Spanh. ad Callim. p.* 231), unde et Virgilius (*Aen.* 8, 23) „*radiantis* imaginem Lunae“ agnovit. Hoc unum obstare videtur, quod Solem saepenumero, Lunam nunquam, e loto emergentem vidimus. Praeterea notatu dignus ille limbus est, quem tamen minime peculiarem Lunae fuisse, alia gemma, inter Graecas proferenda, docebit, qua Harpocrates, quo Solem, neutiquam Lunam denotari constat, iisdem radiis eodemque limbo est ornatus. Globum denique saepissime Isidis in capite impositum videmus (*Montf. II. tab.* 105. 110. 112. 120. *Suppl. II. tab.* 38. *et post* 44. *Beger. III. p.* 301) eoque *Lunae argumentum* contineri Appulejus (*metam.* 11. *p.* 757. *Oudend.*) docet. Quoniam autem hujus symboli multiplex est sensus (§. 527. 530. *Herodot.* 2, 132), et Soli quoque idem globus imponitur (§. 524); equidem, quinam illa imagine deus denotetur, aliis declarandum relinquo.



615. Profecto dolendum est in hac ex Stoschianis a Schlichtegrollio (*n.* 75) edita gemma non nisi literarum reliquias videri, quae, si a viro rei perito exscriptae sive delineatae fuissent, integram fortasse inscriptionem Copticam nobis exhibuissent. Sed sola ea nunc quae ad latus inscripta sunt intelliguntur. ϯ enim *Ego* vel *ego sum* vertendum est, et PH *Sol.* Sed quum in reliquis haereamus inviti hanc inscriptionem mittimus, hoc solum animadvertentes, posse etiam ΦPH legi, siquidem interdum litera Φ simplici cruce denotata fuerit (§. 193).



616. Monimenti hujus (*ap. Gorl. n.* 401. *Chiffl.* 57. *Mariett. II.* 68) exemplar a Chiffletio mutuatus sum confidens accurate ab eo delineatam gemmam esse, quam ipsam Chiffletius Philippus, consanguineus illius, possederit. Raspeus quidem (*n.* 580) perperam inscriptionem exscripsit. Literae enim hae sunt:

AMOIPIMOIPPIOMIPIOMΛ
MHZΞIZZZOIZ
UYƎЄYMOZ

Quas inter literas quum nullum Σ, frequens autem Z compareat; eo facilius conjici potest propter svaviorem literae Z sonum hanc ipsam loco illius esse positam, quo certius harum literarum permutationem olim usitatam fuisse constat (§. 198. *Lucian. judic. vocal.* 9. *T. I. p.* 67. *Montf. ant. II. p.* 315). Tertii versus literam primam, hac forma U, legendam O esse supra (§. 198) monuimus, et tertiam Ǝ pro B, dorso carente, esse accipiendam, ex aliis scriptis (§. 193. 580) patet. Restant vero majores etiam scrupuli in-

terpretibus superandi. Quos si non omnes removerim, certe faciliorem me vertioremque lectionem redditurum esse spero, ne quis primum versum explicaturus frustra se cruciet. Posteriorem enim ejus partem PIOMIPIOMA, cujus explicatio inprimis difficilis est, ab interprete negligi posse, quilibet videbit, qui retro eam legens animadverterit, non nisi repetitam esse partem priorem, perinde atque in formula illa *Ablanath.* (§. 581. *sequ.*). Atque haec etiam causa fuit, cur artifex extremam literam A in alterum versum rejicere non auderet, sed eam, spatio deficiente, super primi finem ponere cogeretur. Cujus rei prorsus ignarus Passerius nimium facilis PIOMIPIOMA non solum legit, sed etiam (*II.* 262. *n.* 75) *μυριονυμα* in illis literis latere somniavit.

617. Sed meam praestat inscriptionis interpretationem salvo sagaciorum judicio nunc submittere:

AMOIPI MOIP MHZΞI ZZZOEIZ OYBEYMOZ
AMOYPI MOYP MIϢI ϭϭϭOEIC OYBEYMOϢI
Alliga vinculum; verbera ter domine! resistentes.

Jam singula recenseamus verba:

AMOIPI MOIP. Verbum MOP vel MHP, vel MOYP a Coptitis scribitur; qui quum literas I et Y saepe commutarent (§. 431), id quod a Graecis etiam factum esse scimus; hoc loco MOIP pro MOYP legi nemo sane mirabitur. Litera I in primi verbi fine abundat, id quod in aliis quoque a linguae peritis observatum est (§. 429. 640). *Ligare* et *ligamentum* verba esse amuletis conve-

nientia (§. 67. *sequ.* 162. 495) sicut *nodi* vocabulum in magicis artibus usitatum (§. 268) haud ignoramus.

MIϢI *verberare, percutere, pugnare* sonat; quumque litera Ϣ carerent Graeci pro ea ZΞ posuerunt, sive posteriorem characterem pro Ξ, sive pro Z habueris.

ϬOEIC. De triplicata litera initiali conferre poteris quae de superstitioso ternario numero (§. 274) disserui. Triformem etiam figuram observes velim, de qua Horatius (*III. Od.* 22, 3):

„*Ter vocata audis: adimisque letho Diva triformis!*"

Ternarius praeterea numerus in ter repetita litera pari modo latet, quo a Romanis DDD. NNN. nimirum „*domini nostri*" de tribus imperatoribus scriptum fuisse videmus (*Sert. Ursat. in Graev. thes. XI.* 663. *De Vita antiqu. Benev. I.* 285). Qualiscunque demum fuerit hujus rei ratio, certe illa literae ad tertias vices productio majorem verbo vim conciliat. Id quod ex Aristophane (*βατρ.* 1349, 1390) quoque patere videtur.

OYBEYMOϢ. OYBE quod „*Contra*" sonat cum pluribus verbis docente Crozio (*lex.* 67) construitur, hoc autem loco cum verbo MOϢI, quod „*Ire*" denotat. *Contra autem ire* est *resistere.* EY tertiae pluralis nota *infixa*, ut vocant, est. Et quia per praesens indicativi docente grammatica (*p.* 101) participium praesentis saepissime exprimitur, ita ut scriptum legamus EYXΩ (*dicunt*) pro *dicentes;* jure ego *resistentes* verti.

Imaginem si consideraveris agnoscere tibi videris (*Aen. IV.* 511) 618.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae
sive Ovidii (*fast.* 1. 141):


„*Ora vides Hecates in tres vergentia partes*"
itidemque Minucii Felicis (21): „Triviam - multis manibus horrificam." Comparanda quoque Euripidis (*Helen.* 569. *Matth.*) φωσφορ' Ἑκατη est, et scholiastae (*in Theocr. Idyll. II.* 12) agnoveris δαδουχον και φωσφορον. Angues enim quas tertiis figura tenet manibus, flagra esse, quibus daemones regit, e Prudentii (*c. Symmach. I. v.* 361) loco patet, quo Romanos putare ait Hecaten

- - - *saeva sororum*
Agmina vipereo superis immittere flagro.

Nec mirum in amuletis invocari Hecaten, quam deduci posse incantationibus similibusque illecebris teste Eusebio (*praep.* 3, 4, 16. *p.* 126) credebant. Ipsa in lapidis titulo (*Beger. spicileg. ant. p.* 90. *n.* 16) μισοπονηρος vocatur et a Theocriti scholiasta (*Id.* 2. *v.* 12. *p.* 31. *Reisk.*) φυλαξ; ideoque eam, vel suo, vel Dianae nomine portarum inprimis (*Spanh. ad Callim. p.* 157. *Voss. idololatr.* 2, 29. *Op. V. p.* 166 *f.*), immo ipsarum urbium custodem agnoscimus. Qua de re ex industria egit Federus, celeberrimi illius philosophi doctissimus filius, (*in commentatione ad Agam. Aeschyli p.* 28. *sequ*). Summa scilicet deae in tribus elementis concessa erat potestas (*Hesiod. theog. v.* 413. 427), unde etiam *coeloque ereboque potentem* (*Aen.* 6, 247) eam vocari legimus.

619. Quoniam autem animadvertere aliquis poterit, faciem non

feminean videri, ternumque in capite modium ad Serapim spectare; nec deam aliquam, sed deum in inscriptione invocari; meminisse illum velim, non solum alios quoque deos utriusque sexus fuisse creditos (*Cuper. apoth. Hom. p.* 227); sed ab Aegyptiis Lunam etiam masculini generis nomine IIIIOϨ proferri, unde Graecos quoque utriusque sexus Lunam et Lunum finxisse (*Jablonsk. panth. I.* 64. *Seguini num. p.* 93. *Creuzer. Symb. I.* 347. *II.* 9. 32), secundum illud Orphici θῆλυς τε καὶ ἄρσην canentis (*hymn.* 8, 4), ab ipsis etiam Romanis lapidis titulum „*Isidi frugifeRO*" esse dicatum (*Cuper. Harp. p.* 10. *Schlaeg. num. Hadrian. p.* 144), modium denique et Dianam Ephesiam in capite gererere. Adeat praeterea Porphyrium, qui (*ap. Euseb. praep.* 4, 12, 23. *p.* 175. *et Theodoret. Gr. affect. disp.* 3. *p.* 47) „malos daemones" ait „sub *Serapidis* quidem esse potestate, dominari vero in illos etiam *Hecaten*, utpote quae eos contineat in triplici elemento" (*add. Maneth. apotelesm.* 5, 302). Unde scire licet in gemma imaginem mixtam, sive ex duobus numinibus compositam esse. Id quod in Aegyptiaco monimento eo minus mirum videri poterit (§. 49) quo saepius in Graecis idem observatur.



620. In adversa hujus gemmae (*Molinet Tab.* 29. *n.* 19 *et* 20. *Montfauc. II. Tab.* 155) facie scarabaeus insculptus est, in aversa Chnubis (§. 483) serpentis imagine repraesentatus. Hunc septem circumdant stellae (§. 483): illi adscriptum est ΘΩΧΝΟΥΦΙ. Molinetus quidem (*p.* 129) hanc inscriptionem, quamvis eam non intellexerit, Graeco-Barbaram appellat, ex eaque vult colligere „gemmam a *gnosticis* esse profectam, quum symbolis serpentis et scarabaei Sol denotaretur.“ Sed taedet utique virorum doctorum ignorantiam et temerariam de gnosticis opinionem iterum iterumque incusare. Etenim quum symbola, tum inscriptio haud dubie Aegyptiaca sunt. ΘΟ a Coptitis et *multiplex* vel *multiformis*, et *orbis* etiam *universus* dicitur. Apprime igitur haec inscriptio concinit cum illa Semitica (§. 334), in qua ΧΟΛ (כל) ΧΝΟΥΒΙΣ etiam significat: „*Omnia ego Chnubis.*“ Ita etiam Coptitae (*Ps.* 61, 12) Graeca σος εἰμι ἐγω vertunt ΑΝΟΚ ΦΩΚ, elliso verbo

Sum. Sententiam ipsam infra uberius explicabo. Scarabaei autem apud Aegyptios veneratio adeo nota est (*Porphyr. de abstin. IV. p.* 327; *et ap. Euseb.* 3, 2, 5. *p.* 94, *et* 117. *Aelian. H. A.* 10, 15. *Plinius.* 30, 11, 30. *Horapollo I,* 10. *Plutarch. de Is. p.* 355), ut hoc tantum loco quod ad amuleta attineat, addam, alio (§. 667. *sequ.*) alia observatu haud indigna de illo relaturus. Plinius etiam (37, 9, 40) tradit „mirabiles effectus promitti, si aquilae aut *scarabaei* smaragdis insculperentur."

ΤΑΛΑ
ΑΡΑΙΩ
ΩΑΡΑΟΡΟ
ΝΤΟΚΟ
ΝΒΑΙ

621. Leguntur haec in aversa gemmae (*ap. Pignor. n.* 5. *Kircher. II.* 2. *p.* 461. *Gbrl. n.* 341. *Chifflet. n.* 14. *Montfauc. II. Tab.* 146. *Ebermayer.* 437) facie. Adversam praetereo, quia pervulgatam continet illam imaginem hominis, cui caput gallinaceum est et utrumque crus anguineum; cujusque in clypeo non nisi nomen ΙΑΩ inscriptum legitur. Sed magis vexarunt viros doctos verba, quae in aversa facie leguntur. Primus ea Kircherus (*p.* 462) verterat hoc pacto: *„Summo Marti omnia vincenti!"* Adeoque placuit haec interpretatio Chiffletio, ut (*p.* 63. 64) ejus auctori cogno-


mina *πολυγλωσσου και πολυγραμματου* tribueret. Sed jure Kircherum risit Bellermannus (*II.* 31). Ridere etiam poterat Passerium qui (*II.* 258. *n.* 51) hasce ineptias subjecerat: ΤΑΛΑ *Magnum.* ΑΡΑΙΩ *Lasso. Resolvo.* ΩΑΡΑΟΡΟ. *Αρανμαι. Vota fundo.* ΝΤΟΚΟ. *Τοκευς. Parens.* – „*Pro magna solutione* seu *expiatione vota fundo Patri Iao!*" Profecto hujus viri interpretationes legenti saepe mihi in mentem venit illud Ciceronis (*Phil.* 3, 9) *nonne satius est mutum esse, quam quod nemo intelligat dicere.*

622. Meliorem sane viam ingressus Bellermannus, Copticae linguae ope inscriptionem sic explanare tentavit: ΤΑΛΑ ΑΡΑΙΩ ΩΑΡΑΟΡΟ ΝΤΟΚΟ ΝΒΑΙ, quod vertit: *Custos creator regna tu domine.* Neque erat quod vir doctus in quarta voce Θ pro Τ substituendum esse arbitraretur, siquidem ΝΤΟΚ verae scribendi rationi in superiori Aegypto omnino respondebat. Sed quamvis Hallenses (*Lit. Zeit.* 1818 *II.* 703) calculum suum illi interpretationi adjecerint, vereor tamen ut Copticae linguae gnari in ea acquiescere possint. Quamvis enim ΤΑΛΕ (*Vallare*) pro *Custode* accipere voluerint, ΑΡΑΙΩ tamen, *creator*, vox ipsis inaudita erit. Literas praeterea Ω ante ΑΡΙΟΥΡΟ et Ο post ΝΤΟΚ explicare supersedit vir ille doctus. Videat igitur num verba hoc pacto melius verti possint:

ΤΑΛΑ	ΑΡΑΙΩ	Ω	ΑΡΑΟΡΟ	ΝΤΟΚ	ΟΝ	ΒΑΙ
ΤΑΛΕ	ΑΡΕϨΟΥ	Ω	ΑΡΙΟΥΡΟ	ΝΤΟΚ	ΟΝΙ	ΒΑΙ
Constitue	*custodes:*	*O!*	*regna*	*tu*	*similis*	*palmae.*

APEϨ, *custos*, vox Coptica cum Arabico *Hares* convenit et usitata permutatione Ω scriptum esse videtur pro OY (§. 596), quae pluralis numeri est terminatio (§. 594).

ONBAI ex ONI, *similis* et BAI, *ramus palmae*, compositum esse ratus, *Palmae similis* verti, quia Palma quum gloriam, tum etiam diuturnitatem significat (*Valken. ad Jablonskii opusc. I.* 47. *f. Leich. sepulcr. carm.* 17. *Schmidt de sacerd. Aeg.* 164. *Consule et Erasmum in adag. v. Palma, ibique Plutarch. Gellium, alios. Adde Ps.* 92, 13. *et observa Hebraeae quoque vocis* כפה *latiorem significationem, verbique* תמר *etymon ap. Gesenium*).




Hanc, quam Passerius (*I.* 76) edidit, gemmam eo libentius repeto, quo clarius eam interpretaturis patebit minime contem- 623.

nenda esse quae pluribus hujus libri locis monui, quorum primum erat consilium, ut comparare vellent inter se monimenta quae ejusdem sint generis plura. Illam enim inscriptionem nemo sane unquam intelliget, nisi ex aliis veram lectionem didicerit. Venerem Pelagiam facile agnovit Passerius, quamvis cognitu difficile docente Artemidoro (*ap. Cuper. in Harpocr.* 151. 152) sit inter hanc et Anadyomenem, quas Reinesius (*p.* 127 *f.*) confudit, discrimen. Certe *Marinam* cum Horatio (*Carm.* 3, 26, 5. 4, 11, 15) qui eam appellaverit non errabit. Testes nobis sunt monstrum marinum, speculum et pecten. Quamquam enim et aliis deis haec tribuebantur, maxime tamen Veneri. Nemo certe ignorat mulieres Romanas Veneri, cui votum solverent, statuam cum pectine dicasse (*Codin. p.* 14), unde Ovidii *Cytheriacus* pecten (*met.* 4, 311), quem in aliis etiam gemmis (*Winckelm. catal. p.* 120. *n.* 578) Veneri videmus tributum. Speculum quoque Veneri donum dare usitatum fuisse, quod inde *Venereum* cognominatum (*Gruter.* 5, 6) quum lapidum tituli (*Marm. Taurin.* 2. *p.* 106) testantur, tum Ausonius (*epigr.* 55), Lucianum (*epigr.* 33. *T. X. p.* 50) imitatus, et Philostratus (*imag. p.* 741) docent. Unde et Appulejus (*met.* 4. *p.* 309. *Oudend.*) Tritones fingit huic deae speculum praegerere, quod idem a mulieribus factum esse in pompa Isidis (*met.* 11. *p.* 770), quae eadem Paphia Venus (*p.* 757).

624. Inscriptionem Passerius (*II.* 267. *n.* 100) legit *αγωρι φρασι*, vertitque „*in foro mentibus*“ nil curans, quo spectare possint hae

nugae. Literas singulas autem in antica ΥΑΩ perperam legens nihil significare vel potius a gnosticis effictas et in Basilidianis obvias esse affirmat. Quoniam autem tres illae literae in antica obviae non satis distinctae apparent, et in postica secundam inscriptionis literam prave descriptam esse ex aliis exemplaribus patet; Passerii interpretationem libenter missam facimus, satius ducentes gemmas consulere similes. Quas inter duae quidem sunt a Capello (*n.* 110 *et* 223) editae: sed verba inscripta mendis laborare animadverti comparans Capelliana exemplaria cum gemmis ipsis, quae in museo Cassellano adhuc exstant. En correctum gemmae prioris exemplum:



Perperam apud Capellum (110) ΦΙΑCΙC pro ΦΡΑCΙC hic legitur.

Pariter vitiosa alterius (223) gemmae inscriptio apud eum ΑΡΩΡΙ ΟΡΑCIC est pro vera ΑΡΩΡΙ ΦΡΑCIC.

625. Quibus exemplis hanc etiam gemmam addere placet



quam in museo Brunsvicensi ipse exscripsi. Reliquiae extremae literae docere videntur I eam fuisse. Neque omittendum duxi hoc exemplum



quod Pococke (*I. Tab.* 65) edidit, Veneris Marinae imagine etiam insignitum, illius nimirum deae, de qua Ovidius (*art. am.* 3, 224):

„Nuda Venus madidas exprimit imbre comas."

cuique similem imagunculam Millinius (*galler. mythol. I. tab.* 43. *n.* 175 *et in mon. ined. II.* 28) nobiscum communicavit. In ea denique gemma, quam Rossius primus vulgavit, lectorum oculis

mox subjicienda (§. 629) legimus ΑΡΩΡΙ ΦΡΑCΙ. Habemus igitur eandem inscriptionem ita in diversis gemmis incisam:

ΑΓΩΡΙΦΡΑCΙ (§. 623)
ΑΡΡΩΡΙΦΡΑCΙC (§. 624)
ΑΡΩΡΙΦΡΑCΙC (§. 624)
ΑΡΩΡΕΙΦΡΑCΕi (§. 625)
ΑΡΡΩΡΡΙΦΡΑCΙC (§. 625)
ΑΡΩΡΙΦΡΑCΙ (§. 629)

Praeter mendum illud quod Passerius in litera secunda admisit omnes istae inscriptiones iisdem constant verbis, neque inter se differunt, nisi orthographia, quam inconstantem pariter atque in aliis ejusmodi monimentis esse videbis. Extremum verbum modo ΦΡΑΣΙΣ, modo ΦΡΑΣΙ legitur. Pro I in Brunsvicensi gemma EI reperitur ex frequentissimo sonorum permutatione (§. 395).

626. Quodsi Graecae vocis φρασι vera esset lectio, tertius pluralis casus a φρην facile intelligeretur. Sed intellectu omnino difficilior, et vix cum illa conjungenda vox αρωρι est. Neque ego quidquam conjicere ausus eram nisi in illud Homeri (*Od.* 4, 77) ἐνὶ φρεσὶν ἤραρειν incidissem; in quo quum utraque vox *videretur* conjuncta pariter in corrupto illo αρωρι vel αρωρει latere conjiciebam αρηρει sive αρηρε atque vertenda verba esse *infixa est medullis*, sive *cordi*, dea nimirum, quae imagine repraesentatur. Neque illud Ω pro H vel A scriptum me turbabat, siquidem in permutandis vocalibus faciles fuisse istos homines, neque ex melioribus defuisse scri-

ptores constabat, qui Ω pro A ponerent (*Maittaire p.* 417). At vero quominus in illa explicatione acquiescerem hoc obstabat, quod totidem *φρασις*, quam *φρασι*, legerem. Cujus quidem vocabuli quum sensus nunc mutaretur, illi prius apte jungere nullo modo poteram.


627. Labefactata igitur conjectura prima, et observata praesertim variantis orthographiae ratione, factum est, ut ad linguam adducerer Aegyptiacam. In pluribus enim verbis, quae Memphitice una consona scribuntur, haec in Sahidica geminatur (*Didym. p.* 105). Atque in gemmis nostris vox prior modo ΑΡΩΡΙ scribitur, modo ΑΡΡΩΡΙ, modo ΑΡΡΩΡΡΙ: pariter atque verbum, *regnare*, quod ΕΡΟΥΡΟ Memphitice, ΡΡΡΟ autem Sahidice scribitur. Talis vocales omittendi consvetudo maxime in illis linguis obtinuit, in quibus valde incerta earum pronuntiatio erat, id quod de Hebraea me olim affirmare (*Bild. u. Schrift. II.* 128) memini, et de Coptica hoc ipso in libro jam monui (§. 428). Sahidicum igitur verbum ΡΡΡΟ quum ab initio et in medio varias vocales admitteret, certe non semper ΕΡΡΟΡΟ pronuntiatum fuit, sed varie pro cujusque consvetudine. Quapropter nihil impedit, quo minus quod in nostra inscriptione legitur ΑΡΡΩΡΙ pro imperativo modo, qui a verbi initio nota Α denotatur, accipiamus. Quo posito, inscriptionem

ΑΡΡΩΡΙ ΦΡΑCΙ
ΑΡΡΟΡΙ ΦΡΑϢΙ

exponi posse censemus. Quae jam, modo suffixum I non neglexeris, ad verbum quidem sonant *„rege mihi gaudium;“* sed significare etiam possunt *„fac me gaudere,“* vel *„redde me hilarem;“* maxime si Graecissasse cum Alexandrinis Coptitas ponamus. Ita enim illi verbo *βασιλευειν* utuntur, vertentes חיו (*Proverb.* 9, 6), nimirum *et vivite*, *„και βασιλευσητε εἰς τον αἰωνα.“* Atque Coptitae ipsi elocutionem *„in longum tempus vivere“* reddunt ЄРNЄBAϨI, quod ad verbum sonat *„facere dominum vitae,“* idemque est ac si *„dominari“* sive *„regere vitam“* dixeris. Sed in iis gemmis ne quis offendat, in quibus *φρασις* pro *φρασι* legitur, sciat Coptitas verbis interdum literam Σ addidisse ut ea nomen efficerent. Ita a ΚΟΛΠ *furari* ΚΟΛΠΣ, *furtum*, a ΤΩΥΤ, *congregare*, ΤΩΥΤΣ, *congregatio*, est (*Rossi p.* 227). Nomen igitur illud tam ΡΑϢΙ, quam ΡΑϢΙΣ, omnino scribi potuit. Verba autem *redde me hilarem* in mentem nobis revocant non tantum plures Romanorum numos, quibus *Hilaritas* et *Laetitia* notatae sunt (*Agostin. dial.* 2. *p.* 76. *Montf. I. tab.* 206); sed lapidis etiam titulum (*Donat. suppl. thes. I. p.* 26. *n.* 6. *Maffei. mus. Ver. p.* 370. *n.* 5) in quo haec leguntur verba inscripta: *„Susceptum merito votum tibi Mercuri solvi* VT FACIAS HILARES.“

628. Quod autem Veneri verba illa sunt addita spectare hoc potest ad antiquum ejus cognomen *φιλομειδης* (*Hesiod. Theog.* 205. 989) vel *γηθουσα* (*Orph. hymn.* 54, 16). Ita enim Curnutus de Venere (*c.* 24. *ap. Gal. p.* 197) *λεγεται δε φιλομειδης δια τουτο οἰκεια*

γαρ τα μειδιαματα και ἡ ἱλαροτης των τοιουτων συνοδων ἐστι. Atque hoc loco gemmam inserere placet, *Veneris*, *Cupidinis* et *Joci* imaginibus insignitam (*ap. Gorl.* 531. *Licet. p.* 372. *Montf. I. tab.* 116), quam primus edidit Apianus (*inscr. vet. p.* 451) et, quod mireris, adnotavit, insitam eam fuisse in Christi cruce, in monasterio Ritisch adservata:



Arte quidem neutiquam opus excellit; sed ejus auctorem patet

pariter atque illum artificem, quem Herodoti locum in marmore exsculpsisse supra (§. 206) memoravimus, Horatii hos versus (*carm.* 1, 2, 33) ante oculos habuisse:

Sive tu mavis Ericina RIDENS

Quam IOCVS *circumvolat et* CVPIDO, *cet.*

Atque Jocum in comitatu Veneris fuisse, non solum poetae docent (*Ovid. art.* 2, 176); sed Amorum etiam imagines testantur, persona sive larva alios ludificantium (*Augustin. gemm. I,* 127. *Cayl.* 7. *tab.* 77. *Montf. I. tab.* 116). Effigies quum in Cassellanis gemmis, tum in Pocokiana Veneris Marinae sunt, iisque similis alia figura apud Capellum (*n.* 23) conspicitur, cui Graeculus quidam Latinum vocabulum CANKTA adscripsit. In Brunsvicensi denique gemma nemo quisquam Venerem agnoscet, nisi *armatam* intelligere voluerit, cui in alia (*Gorii inscr. Etr. I. Tab. III. n.* 2) inscriptio addita est: *Αρηος νικηθεντος.*



629. Nullius fere momenti, sunt, quae viri docti (*Maffeius ad Rossi gemm. ant. III. n.* 5. *Montf. I. tab.* 99. *n.* 4) hujus gemmae explicandae causa disseruerunt. Maffeius enim (*p.* 11) verbum in medio positum ΤΡΙΨΑΡΑ vult esse a „Τριχας et ψαω, vel a χαιρω, *Capillos tergo, abstergo.*" Reliquas literas, contra gemmae suae fidem ΦΟΒΕΡΟΜΜΑΤΕΒΡΙΜΩ ΑΓΩΡΙΦΑΣΙ lectas „aenigma" ait, „esse" additque „fortassis φοβερομμα" explicari potest „terribilis adspectus." Haec ille: Montfauconius autem (*p.* 165) observat: „Vox illa τριψαρα nec non inscriptio gemmae ambitum occupans, accedunt omnino ad formam inscriptionum, quas in gemmis *Abraxas* dictis frequentissime videmus." Sed utinam reliqua

tam plana essent, quam vox illa ab horum interpretum neutro intellecta.

630. Quamvis enim in lexicis frustra quaeratur *τριψαρα;* vox tamen bonae notae esse videtur, quippe composita e *τρις* et *ψαρα*. Quo patet omnia ex interpretatione vocabuli *ψαρος* pendere; sed parum proficies, si illa Graecae linguae lexica, quae sola ad manus esse solent, consulueris. Quoniam enim reliqua inscriptionis verba abunde produnt Aegyptium ejus auctorem fuisse, vel certe Graecum in Aegypto habitantem; ex talis etiam mente vox illa explicanda est. Jam vero Alexandrini voce *ψαρος* utebantur, ut *„fortem, validum, pollentem"* significarent. Testes nobis sunt LXX interpretes, qui (*Ezech.* 6, 7) Hebraea והאמצים יצאו Graece vertunt *και οἱ ΨΑΡΟΙ ἐξεπορευοντο.* Fidenter igitur si *τριψαρα* mecum reddideris *„Terpollens;"* Venerem habebis ipsam quemadmodum antiquissimis temporibus describitur. Hisce enim verbis Orpheus (*in hymn.* 54, 5. *p.* 250) eam alloquitur:

> *Και κρατεεις ΤΡΙΣΣΩΝ μοιρων, γεννας δε τα παντα*
> *Ὁσσα τ' ἐν οὐρανῳ ἐστι και ἐν γαιῃ πολυκαρπῳ,*
> *Ἐν ποντῳ τε βυθῳ τε — — —*

631. Ac si quis Isidem intelligere maluerit, hanc quoque *triplici potestate pollentem* habebit, quandoquidem de se ipsa (*ap. Apulej. met.* 11. *p.* 762. *Oud.*) haec praedicat: *„Coeli* luminosa culmina, *maris* salubria flamina, *inferorum* deplorata silentia *nutibus* meis *dispenso."* Hujus autem cum Venere cognationem ube-

rius demonstraverunt Aelianus (*hist. an.* 10, 27) et Appulejus (*l. c. p.* 759). Neque hoc miramur, quum illa myrionyma appellaretur et „omnia in se inesse" ipsa diceret (*conf.* §. 597). Quo factum est ut Isidis nomine Luna quoque nuncuparetur (*Diodor.* 1, 11 *et* 25. *Plutarch. p.* 372. *Euseb. III,* 4. §. 11. *p.* 115. *Dio Cass.* 50, 5. *p.* 607. *Theodor. Gr. aff. III. p.* 760) eademque bubulis cornibus insignita pingeretur (*Herodot.* 2, 41. *Diodor.* 1, 11. *Aelian.* 10, 27) vestibusque denique induta esset *varie colloratis* (§. 187. *Appulej. p.* 758). Cujus rei causam aperire videtur Plutarchus (*p.* 382) ita disserens: „Amicula Isidis *variae* sunt *tincturae:* nam vis ejus versatur circa materiam in omnia mutabilem, omnium capacem rerum, lucis, inquam, tenebrarum, diei, noctis, ignis, aquae, vitae, mortis, principii, finis." Quo fit, ut illa vox *ψαρος* vulgari etiam notione *varii* in inscriptione nostra accipi possit. Sed spectare quoque poterit varietas haec ad triplicem Lunae mutationem. Quumque Lunam, sive Dianam, non aliam esse quam Hecaten putarent (*Plutarch. de orac. def. p.* 416 *f. Cornut.* 34. *ap. Gal. p.* 231), hujus quoque triformis species huc referenda esse videtur. Aperte enim Appulejus (*met.* 11. *p.* 754) Isidem appellat „nocturnis ululatibus horrendam Proserpinam *triformi* facie larvales impetus comprimentem." Quin etiam Hecaten *Veneremque* unam eandemque fuisse ex eo colligitur, quod, quam Diodorus (1, 96 *f.*) Hecaten tenebrosam dicit (*Jablonsk. panth.* 1, 22. *Misc. Lips. nov.* 6. *p.* 88), eandem He-

sychius et Phavorinus (v. *σκοτια*) Venerem Aegyptiorum tenebrosam vocant. Sed nullus hac in re modus esset vel finis, si in eo mythologorum labyrintho ulterius progredi vellemus. Minervam sane Saiticam quum eandem esse atque Isidem putarent (§. 593. *Plutarch. p.* 354), illi pariter pallium *triplici* distinctum *colore* tribuerunt (*Albric. c.* 8. *int. mythol. Lat.* 2. *p.* 311). *Τριψαρα* autem vox quum haud dubie sit Graeca, quae reliqua verba in orbem scripta sunt ejusdem linguae ope explicare primum conabar: sed parum prospere succedebat labor et mox videbam reliqua esse Coptica, inscriptionemque ex utraque lingua compositam (§. 182).

632. A voce igitur *τριψαρα* incipiens et infra pergens sic lego

ΤΡΙΨΑΡΑ	ΦΟΚ	ΕΓΟ	ΜΜΑΤΕ	ΚΡΙΜ
Ττιψαρα	ΦΩΚ	ΕΙΟ	ΜΜΑΤΕ	ΚΡΙΜΙ
Terpollens!	*tuus*	*sum*	*solus*	*plorabundus.*
	Ω	ΑΡΩΡΙ	ΦΡΑCΙ	
	Ω	ΑΡΙΟΥΡΙ	ΦΡΑϢΙ	
	O!	*fac me*	*gaudere.*	

Prima voce et extremis jam explicatis de reliquis nunc disputandum erit; quas inter quum ΦΩΚ omnibus nota sit ad ΕΙΟ transeo. Ο nimirum Sahidice *esse* significat et ΕΙ primam praesentis personam denotat, quare hanc voculam (§. 596) *sum* verti, conjiciens a Graeco homine pro Ι literam Γ intrusam esse, qua quidem Coptitae carent. Sed parum refert, si quis Graecum *ἐγω* intelligere maluerit sensu quippe manente eodem.

MMATE a lexicis quidem abest; fragmentis tamen evangelii Johannis (*Georg. p.* 290 *et* 455) hujus vocabuli sensus nobis innotuit.

KPIM. Istud intellectu difficillimum mihi quidem erat neque adhuc scio an verum viderim. K pariter atque X pro articulo usurpatur, et PIMI *flere, plorare* sonat. Quumque extrema I verbis saepe otiosa addatur (§. 429. 617. 640), nostrum PIM pro illo PIMI accipi potest. Quod quidem verbum quia articulus praepositus est, in nomen transire (§. 609), ideoque *plorabundum* verti posse conjeci. Sed de omni hujus gemmae interpretatione libenter linguae peritioribus aurem praebebo, modo meliorem adferant ejus explanationem. Gemmam nostrae similem descripsit Raspeus (*n.* 612); sed adeo corruptam exhibuit inscriptionem, ut ei immorari nequaquam operae pretium duxerim.



633. In priori hujus monimenti facie, quod numum (*medaille*) Sponius (*p.* 105) dicit, quamvis oblonga ejus forma similior sit gemmae, Hermae stelam vir doctus agnovit. Aures enim pro alis ab

artifice perperam pictas esse, vel alarum figuram adeo detritam, ut pro auribus ea accipi potuerit, ille suspicatus est. Quodsi aurium vera sit figura, equidem Hermanubin repraesentari arbitrarer. Namque Hermae stelam, *trunco simillimam*, ut verbis Juvenalis (8, 53) utar, ab Aegyptiacis fabellis sensim originem traxisse haud semel mihi visum est. Aegyptiorum certe Anubin altero brachio breviorem fuisse traditur (*Plutarch. de Is. p.* 359. *Euseb.* 3, 2, 3. *p.* 91). Nec desunt monimenta, quae id ipsum testentur, quibusque haec forsan gemma



(*ap. Gorl.* 394. *Chifflet.* 52. *Cuper.* 53. *Montf. II. tab.* 154) adnumeranda est, nisi quis personatum sacerdotem in ea agnoscere maluerit. Pausanias quidem (*I,* 24, 3. *IV,* 33, 4) Mercurios mutilos a primis Atheniensibus cultos fuisse tradit: nec tamen inventionem iis tribuit. Omitto Plutarchi (*in tr. de republ. ger. p.* 797 *f.*) hac de re opinionem, et absurdam apud Laurentium Lydum (*de mensib. c.* 52. *p.* 240) quadratae Mercurialis stelae explanationem.

634. Verborum in altera gemmae facie inscriptorum explicationem

nec Sponius nec Montfauconius attigerunt. Aegyptiaca esse conjiciens ea sic expono:

ΡΩΟΥ	ΑΡΑΟΥ	ΕΡΜΕΓΕΣ
ΡΩΟΥ	ΑΡΕϨΟΥ	Ἑρμακες
Januas,	*custodi eas*	*Mercurii stela.*

Quae quidem elocutio Latino auri neutiquam placebit; sed accusativum illum *absolutum*, ut vocant, vel pleonasmum, qui in suffixo ΟΥ inest, non Coptica tantum lingua amat, sed Semitica etiam et Turcica (*Gesen. gramm. maj. p.* 734 *et* 203 *nota*). Coptitae certe (*Ps.* 8, 5) scribunt. ΠΩΟΥ ΝΕΜ ΠΤΑΙΟ ΑΚΤΗΙΤΟΥ ΝΟΥΧΛΟΜ ΕΧΩϤ, quae ad verbum sonant: *Gloria et honore coronasti iis eum.*

ΡΩ *januam* significat et ΟΥ pluralem indicat numerum (§. 594).

ΑΡΑ pro ΑΡΕϨ scriptum esse nihil moror. Non enim solum literae Ε substituere literam Α familiare Aegyptiis fuit (§. 431. 428. 575) sed ϩ etiam ab iis, qui Graecis literis solis scriberent, omitti, saepe (§. 430. 588. 592. 594. 609. 613) monui.

Graecum denique Mercurii nomen inter Aegyptiaca verba legi nemo mirabitur, qui de Hermanubidis nomine jam certior factus est (§. 492). Nec magis mira litera Γ pro Κ posita, quarum literarum permutationis jam Lucianus (*de jud. vocal. T. I. p.* 63) meminit, quaeque in ipsis Coptitarum scriptis haud rara est (§. 182. 431). Quoniam autem Γ quoque cum Ι commutatur (§. 579), erunt fortasse qui Jonicum Ἑρμείης intelligere mallent, quamvis ego il-

lud praetulerim. R denique Latina in hoc nomine Romanorum in Aegypto imperium jam sapit, sub quo vel nomina Latina ipsa ab Aegyptiis recepta fuisse Georgius (*p.* 202) observavit.

635. Mercurium (*προπυλαιον*) januarum custodem, ejusque stelas ante fores positas fuisse, vel pueri ex Nepote compertum habent, neque opus est lectores ad Sagittarium (*de januis. c.* 34. §. 3. *p.* 239) ablegare. Sed notare hoc loco praestat Montfauconii errorem, qui de Mercurii caduceo in tabula Heliaca, quam post Aleandrum denuo ediderat (*suppl.* 1. *tab.* 32) disserens (*p.* 84) „*malorum*" ait „seu *pomorum* acervos conspici, quibus caduceus sit acclinatus, quam basin, quum *fructibus* rotundae formae ea constet, omnium ineptissimam esse." - - At vero *lapidibus*, minime *pomis*, constare acervos illos facile perspexisset vir doctus si meminisset illius Mercurii cultus, quo lapides a transeuntibus ad ejus statuam conjiciebantur (*Isidori gloss. Op. T. VII. p.* 474. *Maimon. de idol. c.* 3. §. 2. *Caussin. symb. Aeg. sap. app. L.* 2. *c.* 53. *p.* 292. *Aleand. tab. Heliac. p.* 42. *sequ. Curnut. de nat. deor. c.* 16. *ap. Gal. p.* 168. *Kirch. Oedip. I. p.* 388. *Bergier. in Graev. thes. X. p.* 522. 784).

ΧΩΘ
ΜΑΧΩΘ
CΩΖΕ
ΒΑΡΙΝ

636. Exscriptam hanc ex Onychite inscriptionem Raspeus (*n.* 625) inter Abraxea vel Basilidiana referendam esse censuit. Sed nihil in verbis ipsis inest, quo ista probari opinio possit. Inscriptio enim, ex duabus linguis composita, hoc modo explananda esse mihi quidem videtur:

ΧΩ	ΘΜΑΧΩΘ	CΩΖΕ	ΒΑΡΙΝ
ΧΩ	ΘΜΑϨΤ,	σῶζε	βάριν!
Esto	*misericors*,	*serva*	*navem!*

Priora verba Aegyptiaca proprie significant: „*Compone viscera.*" Atque simili dicendi modo ΧΩ ΝΡΟ proprie „*componere os*" pro „*Silere*" scribitur, unde ΧΑΡΩ, *silentium*, et celebre illud *Charontis* nomen. Pariter verbo ϢΕΝΜΑϨΤ, e ϢΕΝ (*sustinere*) et ΜΑϨΤ (*viscera*) composito, denotatur *misereri* (*Rossi.* 111). Haec nostrae versionis est ratio. Si quis enim in verbis *compone viscera* ellipsin *maris* intelligere mallet, secundum illud Maronis

– – – *Sed motos praestat componere fluctus*

certe a Copticae linguae genio magis recederet. Graecum σῶζε explanatione non indiget. Extremam autem vocem βάριν, licet utrique linguae communis sit, Graecis tamen scripsi literis, quum inflexam eam viderem. Similem in gemma inscriptionem Εὔπλοι


supra (§. 547) attigi: Verbosior in lapide oblongo exarata (*Cayl.* 4. *tab.* 106) haec: *Ευφαμειτω αιϑηρ και γα, σταω* (*sic*) *ποντος, στατω δ'αηρ*, parem continet precationem.



637. Geminae hujus in dactyliotheca Stoschiana (*n.* 95) editae anticam omisi, quoniam sola Harpocratis in loto sedentis figura, quae trita et vulgaris est, ea continetur, literarum autem, quae imagini additae esse videntur, ductus haud distingui possunt. Abrasax, quod Schlichtegrollius (*p.* 69) in iis legi affirmat, equidem detegere nequeo. Inscriptionem autem in postica, quam vides, Graecam putans ille OCIP MHNJI ΦPH legit, licet in primo verbo nullum sit P, et in secundo pro altero H legatur I. Sed pejus etiam ex ΦPH, quod pro verbo quodam *mystico* habet, et ex MHNI *mense* collegit, dies festos vel sacros in amuletis notatos esse! Quae quidem omnia quam falsa sint, neminem fugere potest, modo aliquam saltem linguae Copticae notitiam habeat. Litera enim Ϭ, quam, nescio quo jure, P legit, non nisi Copti-

cam ϭ denotare potest; ac, modo veram literarum figuram ille nobis dederit, verba Coptica haud dubium hunc sensum praebent:

OCI	ϭI	MHNI	ΦPI
Damnum	*aufer*	*quotidie*	*Sol.*



638. Ediderunt hanc gemmam Pignorius (*n.* 8), Kircherus (*II.* 2. *p.* 464) Chiffletius (74) Montfauconius (*Tab.* 150) Ebermayerus (*Tab.* 17. *n.* 433); intellexit nemo. Primum nomen *Χνουμις* Kircherus mala fide syllaba addita PI *Χνουμισρι* legit, ut Christi nomen extorqueat, siquidem in literis numerum latere dicit 1280 eundem qui in *Χριστος!* „Vides igitur," addit, quam impie barbaris hujusmodi nominibus divini Christi nomen haeretico-magi profanent." Quid vero si magi isti, inscriptionis auctores, ex orco reduces obloquerentur, se nunquam Christianos fuisse, ideoque perperam haereticorum nomine appellari, Kircherum au-

tem, Christianum, non solum calumniatorem, sed inserendo literas in gemma minime exstantes manifesto etiam falsarium esse? -- Alterum verbum et Kircherus et ceteri, ipse etiam Bellermannus (*III,* 16), sono decepti pro nomine Anubidis acceperunt, non videntes verbi terminationem minime esse eandem. Unus Montfauconius (*p.* 361) hac observata, in Graecam linguam incidens, vertit: „*Chnumis Anubidi.*" Id quod vix placere posse arbitror, nisi quis forte numen numini donum dare vel votum facere sibi persvadere velit. Si vero Aegyptiacam esse inscriptionem mecum conjeceris; verbis rite distinctis sententia haec erit:

ΧΝΟVΜΙΣ	ΑΝ	ΟΥΒΕΙ.
Chnubis,	*non*	*contra me.*

sive „*ne mihi sis contrarius.*" Litera extrema I suffixa *me, mihi,* vel *meus* denotatur. AN particula negativa est, quae verbo quidem postponitur, cujus tamen ellipsis hic aperta est.



639. Ex Aegypto a se allatam hanc gemmam Pocokeus (*I. Tab.* 65) in aes incidendam curavit. Verbis, quae inscripta sunt, intelligendis quum operam darem, illo, quod ab initio versus quarti

legitur, ΕΠΟΙΣΕ (ἐποιησε) primum eo adducebar, ut totam inscriptionem Graecam esse putarem. Verum mox intellexi, plurimas voces nullo modo ad hanc linguam, sed ad Copticam potius accomodari posse. Omnibus tandem perspectis invenire mihi visus sum ex ambabus linguis sententiam, quae in gemma lateat, esse compositam; id quod nemo quidem mirabitur, qui attente perlegerit quae de linguae vulgaris in Aegypto conditione supra (§. 169. 182. 362. 367) disserui. Jam vero adestote interpretes sagacissimi corruptaeque cujusvis linguae et depravatae scribendi rationis quam peritissimi! ferte opem. Me enim omnibus illis verbis explicandis neutiquam parem esse haud inficior. Sed quoniam vel somnia interdum vera evadunt, ne quae somniavi quidem tacebo. Ab Aegyptio enim auctore Graeca quoque verba scripta esse quum priora Coptica doceant, barbarae hujus inscriptionis hanc interpretationem concinnavi:

COΘH	CI	NICΘVI	NO	NOBOXOV
ΣΩΘΙ	ϭΙ	ΝΙϢϮ	ΝΩ	ΝΒΟΚΟΥ
Sothi	*accipe*	*magnam*	*formam*	*praegnantium.*

IOOPI	EΘEN	NE	'ΠOICE	POEN
ΙΑΡΟ	ετειαν	ναι	εποιησε	ροην
Nilus	*annuos*	*sane*	*fecit*	*fluctus.*

I	EBH	IΘH	IBI
ει	εβη	ιϑη	ιφι
Si	*venit,*	*laetitia*	*admodum.*

Coptica verba a vulgaribus non nisi ratione solis Graecis literis ea scribendi differunt. De inserta ante ΒΟΧΟΥ litera Ο mox (§. 641) disserendi locus erit. Fluvii nominis scriptio inconstans apud ipsos Aegyptios erat, qui et ΙΑΡΟ, et ΙΕΡΟ, et ΕΙΕΡΟ scriberent. Quin Hebraeos etiam, qui ab Aegyptiis hoc nomen acceperunt, יאר scripsisse constat. Literam denique Ι in vocum fine saepe abundare pluribus locis (§. 429. 617) observavimus.

ΕΘΕΝ quum vox prorsus obscura sit, voluisse auctorem conjeci ετεην pro ετειαν.

ΝΕΠΟΙCΕ contractum esse persvasum habeo ex ναι εποιησε. Quibus audacior haec interpretatio, quam ut approbari possit, videatur, hi in marmore (*ap. Paciaudi Gr. anagl. interpr. p.* 15) magis etiam corruptum επιζε legant velim. Plura sane exstant istiusmodi licentiarum exempla probi sermonis normam improbissime transgredientium.

ΙΒΙ haud dubius pro ιφι accepi, non solum ex frequentissima literarum Β et Φ permutatione (*Plutarch. quaest. Gr. p.* 292. *Salmas. ad inscr. Herod. p.* 50), quam Coptitis maxime familiarem fuisse supra (§. 429) observavi; sed quod Jonice etiam ιβυ pro ιφι scriptum esse Schrevelius quidem se vidisse affirmavit. Advertas praeterea velim, adverbium hic etiam ad sententiae finem (§. 605. 609) rejectum.

640. Haud fore arbitror quemquam qui ignoret, sidus, quod a Graecis αστροκυνος vel σειριος (*Eratosth. cataster.* 33. *ap. Gal. p.* 128),

ab Homero (*Il.* 22, 29) *κυν' Ωριονος*, et a Romanis Canicula appellatur, idem ab Aegyptiis *Σωθιν* dictum fuisse (*Plutarch. de Isid.* *p.* 359. *de solert. anim.* 974. *Horap.* 1, 3. *Porphyr. de antro. c.* 24. *p.* 22). Quod quidem tanti veteres faciebant, ut signis quibusdam in hujus sideris ortu perspectis conjicerent et statuerent, quae toto anno peragenda essent (*Horap.* 1, 3. *Creuz. Symb. I.* 367); unde illud Statii (*Theb. I.* 635):

> – – „*et in totum regnaret Sirius annum.*“

atque Manilii (*I.* 403):

> „*Subsequitur rapido contenta Canicula cursu*
> *Qua nullum terris violentius advenit astrum.* – –
> *Hanc qui surgentem, primo quum redditur ortu,*
> *Montis ab excelso speculantur vertice Tauri,*
> *Proventus frugum varios, et tempora dicunt;*
> *Quaeque valetudo veniat.* – –

Pariter a Pontico Heraclide Cicero (*divin. I.* 57) acceperat „Ceos ortum Caniculae diligenter quotannis solere servare, conjecturamque capere, salubrisne, an pestilens annus futurus sit.“ Quam Caniculae vim in terrestria nec Plinius (28, 29, 69) ignoravit. Omnium vero maxime Aegyptiis intererat sidus illud observare, quippe cujus sub ortum (§. 598 *f.*) Sole in Leonem intrante (§. 606. 647), ut Hermolaus docet, Nilus augeretur. Quae eadem Timaeus apud Plinium (5, 9. 10) et qui hunc sequitur Solinus (*c.* 32. *p.* 59) tradunt. Eodemque referendi sunt Tibulli versus (*I. eleg.* 7, 21)

Qualis et, arentes cum findit Sirius agros
Fertilis aestiva Nilus abundat aqua,

et Lucani (10, 225) hi:

- - - - *Nilus neque suscitat undas,*
Ante canis radios. - - -

Quod autem inscriptionis nostrae auctor Sothin cupit formam induere *praegnantum,* hoc apprime convenit cum Plutarchi opinione dicam, an errore, quippe qui (*de Isid. p.* 376) persvasum haberet, „vocem Aegyptiacam Sothin notare *graviditatem* sive *feturam* (κυησιν).“



641. Gemmae hujus adversam tantum faciem hic inserui, quum in aversa non nisi hae vocales ΑΕΩΕΩΗΑΩΑ additae sint imagini, quam eandem in Hadriani numis (*Eckhel. sylloge tab.* 6. *n.* 15.*

Zoega num. Aeg. 144 *f.*) inspicere licet. Sed eo tamen conducit illorum monimentorum comparatio, ut de tempore, quo gemma incisa fuerit, conjici possit. Exemplar mutuati a Passerio (*Ill. p.* 172) sumus, qui (*p.* 174) gemmam inter illas referendam esse censet, „quae monstrosos *imaginum nodos* (sic) et verborum *nihil* significantium vortices habeant." Nihilominus virum sedentem sacerdotem esse Aegyptium affirmat, quamvis prorsus nudum nemo talem sane viderit (*Schmidt de sacerd. Aeg. p.* 31). At vero quotidie advertimus quam lubrica sit omnis imaginum explicatio ab iis profecta, qui verba adscripta nequirant intelligere. Osirin enim hic repraesentari inscriptio, quae in extrema gemmae ore legitur, nos dubitare non sinit. Verba haec Aegyptiaca, ideoque a Passerio pro nihil significantibus habita, ita sunt interpretanda:

OYCEPE	INE	NTHP	MONOYΘI
OYCEPE	INE	NTHP	MNOYϮ
Osiris	*similis*	*omni*	*deo.*

INE pro Memphitico INI Sahidicam dialectum prodit.

THP sonat *omnis* et casus litera N praefixa notatur.

MONOYϮ. Notissima quidem vox NOYϮ est, eo autem hic obscuratur, quod Graeci extremo charactere carentes (§. 588) ex suis literis ΘI (§. 595) subtituerunt; literaeque M, quae casum in libris Copticis notat, vocalem O addiderunt. Sed idem jam (§. 639) in voce NOBOXOY observavimus, causamque in faciliori pronuntiatione latere arbitrati sumus. Simplex enim consona pronuntiari

nequit nisi vel ab initio, ut in notissimo illo *Abnudi*, vel in fine, ut in gemmis nostris, vocalis illi addatur. Ne vero de Osiride quisquam dubitet, capiti ejus monogramma, quod vocant, primas nominis literas OYCI complectens, impositum est. Neque imago ipsa refragatur. Aegyptiis enim Osiris idem atque Bacchus erat (*Herodot.* 2, 42 *et* 144. *Diodor.* 4. 147. *Plutarch. p.* 362. 364. *Dio Cass.* 50, 15. *p.* 607. *Euseb.* 1, 6, 9. *p.* 27. *Theodoret. c. Graec. T.* 3. *p.* 760. 771. *Macrob. Saturn.* 1, 18. *Auson. epigr.* 29. *Seguin. numi p.* 157). Quare Pignorius (*mensa Is. p.* 21) observat: „gerit autem Osiris hastam sibi cum Libero Patre communem," et paulo post (*p.* 23) „serpens sine quo Osiridem in tabula Isiaca nusquam videas, fuit Bacchi *cinctus.*" Quocum concinit illud Ovidii (*met.* 9, 692):

- - - nunquam satis quaesitus Osiris
Plenaque somniferi SERPENS *peregrina veneri.*

Aegyptii enim pariter atque in gemma nostra observatur, teste Horapolline (1, 1) *βασιλισκον χρυσουν ποιουντες θεοις περιτιθεασιν.* Maxime autem medendi potestatem *serpente* significari constat, sive a Mose erectus (§. 493), sive Aesculapio vel Hygeae tributus (*Montf. suppl. I. tab.* 68), sive additus sit Osiridi (§. 646), vel Serapidi (*Zornii bibl. antiqu. p.* 705) sive cuilibet alii deo (*Spanh. II. p.* 212. *Capell. n.* 224. *Rasp. n.* 1895).

642. Nomen quidem Osiridis in gemma nostra ab OY incipit: sed ista scribendi ratio eo defendi potest, quod jam a veteribus hoc

nomen varie scriptum esse legimus. Fortasse ille, quem Sanchoniathon (*ap. Euseb.* 1, 7. *p.* 39) ait tres literas invenisse, Isiris idem atque Osiris erat. Certe Hellanicus Lesbius (*ap. Plutarch. p.* 364) se audivisse testatur a sacerdotibus illud nomen pronuntiatum esse *Ysiris.* Jam vero in tertia dialecto saepenumero Y pro OY usurpatur (*Georg. praef. p.* 66): quo fit ut vicissim posito OY pro Y illam nominis pronuntiationem cum scriptione in gemma nostra convenire videamus. Eadem de causa doctissimum Boeckhium (*Erklaer. einer Aeg. Urk.* 1821. *p.* 32) non morari debebat, quod pro *φαρμουθι* mensis nomine scriptum reperiret *φαρμυθι.* Quod reliquum est *Οσερη* casu recto in Graeca etiam inscriptione (§. 397) legitur.

643. Aegyptiaca denique nostra inscriptione quis non videt candem fere sententiam contineri quae in Graeco oraculo *εἷς Ζευς, εἷς Ἀιδης, εἷς Ἡλιος, ἐστι Σεραπις* latet, et quam variis verbis, variisque deinde in monimentis repetitam legimus (§. 597). Serapin enim et Osirin unum eundemque fuisse, id quoque veteres sibi persvaserunt (*Plutarch. p.* 362. 375 *f.* 376) unde Martianus Capella (*L.* 2. *p.* 43)

„*Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim*"

in hymno ad Solem canit. Qui idem Sol in oraculo quidem Serapis, ab aliis (*Plutarch. p.* 372. *Theodoret. Graec. aff. III. p.* 760. *Macrob. Saturn. I,* 21. *med. Laur. Lyd. die Solis* 4. *p.* 42) vocatur Osiris. Ita Papinius Statius (*Theb. L. I. f.*):

– – – – seu te roseum Titana vocari
Gentis Achaemeniae ritu, seu praestat Osirin
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

„Nec in occulto est“ inquit Macrobius (*Saturn. I. c.* 21) „*Osirim Solem* esse,“ qui idem scriptor paulo ante (*c.* 20 *f.*) „*Sarapis* et *Solis* unam et individuam naturam esse“ dixerat.

644. Intellectu omnino difficiliora sunt quae in gemmae superficie leguntur. Quae quum ante me Zoega (*num. Aeg. p.* 157. *n.* 503) ex corrupto Graecorum sermone interpretari studuerit; hanc viri doctissimi explicationem, quoniam ejus liber paucis ad manus erit, praemittendam duxi. Qua perlecta quilibet videbit illum pro arbitrio neglectaque omni scripturae ratione legisse. Non enim a primo, sed ab altero versu incipiens, quae scripta in eo exstant mutatis interdum et omissis literis sic explicat:

ZOME H NOYΣ ΣΩΝ
σωμα και νους σωα.

Jamque ad finem primi versus prosiliens et inde ad initium, prorsus perturbato verborum ordine, pergit:

ΚΥΡΙΑ ΥΑΡΒΗΧΙΕ ΤΙΝΟΣ ΑΙΑΝ ΕΦΑΨΩΜΑΙ ΒΑΣΑΝΙ
κυριε υαρβηρι τινος αν εφαψωμαι βασανον.

Quae quidem neque ipse Latine vertere potuit sed ut intelligerentur, sententiam tantum hisce verbis circumscribere: „Gloriatur initiatus (?) de salvis corpore atque anima, seque ad omne expe-

rimentum, ad quemcunque laborem subeundum paratum profitetur. *Hactenus igitur Pythonissa opus non fuit!"* . . At vero ea profecto opus est, ut intelligatur, quorsum verba, quae nobis dedit, spectent? qua de causa in gemma incisa fuerint? et quid *Arveri*, si modo ΥΑΡΒΗΧΙΕ idem nomen esse credamus, quid, inquam, illi, quem Horum seniorem fuisse Plutarchus (*p.* 355 *f.*) tradit, cum initiato, ejusque corpore et anima, et cum experimento commune fuerit? Scilicet ille quoque vir, cujus auctoritas ceteroquin est gravissima, infectus inveterata esse videtur opinione, qua omnia quae sint difficilia gnosticis esse adscribenda censeret. Profecto enim non video quo alio inductus errore istam proferre interpretationem potuerit. Equidem nihil unquam nec de senioris nec de junioris Hori mysteriis, quibus homines initiati fuerint, me legere memini. Quare miror doctos Gottingenses in illa interpretatione acquievisse, quin ipsam eam (*Bibl. der alten Liter. VII.* 67. 68) approbasse. Magis etiam miror doctissimum illum Danum, qui scriptis suis de rebus Aegyptiacis tantopere meritus est, ut jure cognomen Aegyptiaci sibi vindicare potuisset, Graecae inscriptioni interpretandae ingratam operam impendisse, Aegyptiacam, quae in extrema gemmae ora legitur, alto silentio praeteriisse.

645. De illa autem inscriptione, quam Zoega perperam lectam pejus etiam explicavit, meam si quis sententiam requisiverit, utique Graeco-barbaram eam, et ex utraque lingua compositam esse,

haud cunctatus respondeo. Priora enim verba nequidquam Graecae linguae ope explicare tentabis, facilius si Copticam consulueris, quamvis ne sic quidem vocabula intellecturus sis, nisi ad incommodam Coptica Graecis literis reddendi rationem (§. 588) respexeris. Quae quo clarius pateant, non solum vulgarem orthographiam Copticis verbis apponamus, sed ab iis etiam Graeca distinguentes, haec minori charactere explicemus, Latinam denique versionem non nisi ad verbum factam adjiciamus; satius esse putantes male Latine loqui, quam proprium verborum tam sensum, quam structuram, tacere. Explicamus igitur:

APB	HXI	ETIN	OCAI	AN	ΕΦΑΨΩΜΑΙ
ΩΡϤ	ΙϪΙ	ΕΤΕϨΝ'	ΟΥϬΑΙ	ἀν	ἐφαψωμαι
Cave	*mi daemon*	*volens*	*salutem!*	*Si*	*tactus fuero*
BACANI	KYPIΔY	ZO	ME	HNOYC	CΩON
βασανῳ	*κυριου*	*σου*	*με*	*αἰνως.*	*σωον*
tentatione	*divina,*	*serva*	*me*	*potenter*	*salvum.*

De vocalium permutatione multis hic disserere non attinet, quandoquidem usitatissimam non solum Coptitis (§. 428), sed Graecis etiam ipsis, eam fuisse ex pluribus hujus libri locis satis constat. Singula tamen verba dubiis, quae aliis quidem moveri poterunt, eximenda esse videntur:

ΩΡϤ. Pro hac voce in nostra inscriptione legi APB non magis mirum est, quam scriptum videre ΕΛΤΑϤ pro ΕΡΤΩΒ (*Rossi. p.* 52). Conferre etiam licet, quae de literis A et Ϥ supra (§. 429)

monni, et quae Sturzius (*p.* 117) de Alexandrina dialecto, A pro Ω substituente, observavit.

Ϧ. Posteriorem characterem Graeca litera X redditum esse, non ex solo illius in Graeco alphabeto defectu explanari debet: quandoquidem Coptitae ipsi illas literas commutarunt (§. 429). Extrema I notissimum suffixum est (§. 638).

ETEϨNE, participium ab EϨNE, *velle* derivandum. Extremam E ob sequentem vocalem elidi Crozius (*p.* 16) docuit.

OYϬAI vel OYXAI unum idemque est (*Rossi. p.* 153), in quo ab initio O pro OY, ex vulgari quidem sonorum (§. 213. 365. 596) permutatione positum, unde etiam illud *Ουσιρε* pro *Osiri.*

646. Facilius intelliguntur Graeca, quantumvis vitiose sint scripta. Solius vocis *βασανι* sensus est dubius. Satis quidem intelligitur *βασανῳ* voluisse inscriptionis auctorem. Ita enim pro OI etiam I reperitur (*Hesych. I.* 145. *n.* 8. *II.* 36. *v.* *ικετης*), neque erat quod miraretur Galeus (*ad Jambl. p.* 206) *κινουσα* se legere pro *κοινουσα;* namque et *τιχος* pro *τοιχος* observare poterat, et sexcenta id genus alia. Sed duplex illius verbi significatio lectorem morari potest. *Βασανος κυριου* enim tum „*tentatio divina*“ vertere licet, tum „*tormentum domini.*“ Posterius si admiseris vel praetuleris morbus forsan denotatur, quem *regium* Plinius (20, 12, 43. 26, 12, 76: *et* 30, 11, 28), appellat, et *την ἱερην νουσον* Herodotus (3, 33); quemque Appulejus (*de magia p.* 55) tradit „a majoribus comitialem et *divinum*, a Graecis autem *ἱερων νοσον* nuncupatum

esse." Neque silentio hic praetereundum, receptum fuisse a Coptitis Graecum vocabulum *βασανος*. In eorum enim precibus legitur: ϢΟΠ ΝΙΒΑΣΑΝΟΣ pro *tolerare cruciatus* (*Croz. lex. p.* 138). Unde non mirum in nostro monimento perperam id inflexum esse (§. 361. 362. 366). Z pro Σ (§. 616) et O pro OY in ZO tritae sunt permutationes (§. 198. 596). Magis molesta mihi vox HNOYΣ fuit. Quoniam autem praesertim Aegyptios OY pro Ω posuisse constabat (*Schow. p.* 91. *Sturz. p.* 43), neque ignotum erat AI etiam in H transire (*Sturz.* 118. *Montf. diar. Ital. p.* 419 *f.*); conjeci *αἰτως* intelligendum esse. In voce *σωον* nihil correxi, quum eandem scribendi rationem apud Philoxenum reperissem. Docent denique Aegyptiacae illius in extrema ora inscriptionis verba, quae haud dubius interpretatus sum, Osirin eadem pollere facultate, qua Aesculapius pollebat, quapropter illum non solum cum hoc conferri (*Tacit. hist. IV*, 84. *Fabric. bibl. Gr. XIII.* 72. 73), sed in eo etiam cum Baccho, qui item *σωτηρ* in numis (*Beger. I.* 485) appellatur, convenire, quod hunc quoque medicum fuisse perhibeant (*Pausan.* 10, 33, 5. *Plutarch. symp. II,* 1. *p.* 647). Quae quidem omnia lucem afferre videntur verbis illis cum Osiridis imagine, quae in altera gemmae facie apparet, conjunctis „*σου με σωον*" et ad morbum regium, modo *βασανος κυριου* de eo sit intelligendus, spectare possunt. Praeterea si quid est in mea hujus inscriptionis explanatione approbandum, hoc profecto esse videbitur, me nec versus turbasse, nec literis vim intulisse, sed


omnia, quae insolentia videri possunt, ex scribendi ratione barbaris usitata explicasse.




647. Non solum cum Graecis, sed cum Hebraeis vel Chaldaicis etiam verbis, Coptica mixta fuisse haec gemma (*ap. Pocok. I. tab.* 65) docere videtur. *Solis* imago clara est, neque dubitari de addito illius nomine Aegyptiaco ΦΡΗ potest, nisi quis lusisse hac voce Judaeos credere maluerit, qui quum Solem ab Aegyptiis nuncupari nomine audirent, cujus idem esset sonus, qui Hebraei vocabuli פרה (*frugifer*), eo libentius hac voce usi essent, quo certius Solem esse frugiferum nemo ignoraret. Nec clarius frugifer depingi Sol in Aegypto poterat, quam transiens per signum Leonis (§. 606. 640) sive, ut in nostrae gemmae imagine, Leoni insistens. Reliqua verba, nisi statuamus corruptam in eis latere formulam illam (§. 580) ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ ita exponenda esse mihi videntur:

ABA	AN	AMA	ABA	ABPACAΞ
אבא	לן	חמה	לכל	
Pater	*nobis*	*Sol*	*dominator*	Abrasax.

Quum enim *Chet* litera a Graecis pronuntiari non posset, ideoque omitteretur (§. 439. 441. 566. 592) *Αμα* hic pro חמה legimus, quod idem ab Epiphanio *ημα* (§. 566) et Latinis literis a Beda *Hama* scriptum fuisse (§. 283) vidimus.



648. Quo brevior sit inscriptio, eo difficilius ejus explicandi negotium esse, ex dubiis facile colligitur, quae semper fere remanebunt, nisi externi quid accedat, quod majorem adferat certitudinem (§. 444). Ita in hac gemma, quam Fabrettus (*p.* 533) vulgavit ipse quidem inscriptum in postica AMOPΩ, quasi Graecum esset *ἀμοροτων*, *intactum a fato* vertit. Quum vero inscriptionem non magis, quam imaginem, cum similibus in aliis gemmis exstantibus contulisset; verum sensum eruere vix poterat. Namque non dissimilem edidit gemmam Caylus (*IV. Tab.* 20):



atque hanc Capellus (*n.* 4)



in qua Bellermannus (*III. p.* 12. 13) neque cynocephalum, neque literae A formam agnoscens, et verba perperam distinguens, MA-

ΡΩΗΝΙ pro ΗΝ ΑΜΑΡΩ legit. Unde non mirum fugisse eum sententiae quoque sensum, quem Semiticae linguae subsidio eruere conatus erat.

649. Sed praestat insculptam in gemmis imaginem ante omnia contemplari, qua cynocephalum denotari modo dixi. Hunc enim Montfauconius (*II. tab.* 130) ex suo museo hac forma delineandum curavit:



Atque disseruerunt de hoc animali Aelianus (6, 10), Plinius (6, 30, 35. 7, 4, 2. 8, 54, 80) et e recentioribus in primis Alpinus (*rer. Aeg.* 4, 11. *p.* 241). Pium ex Aegyptiorum opinione erat, cujus apud Hermopolitanos publicum etiam cultum memorat Strabo (*L.* 17. *p. m.* 939). Quandoquidem sibi persvaserant homines, quendam illi cum Luna esse consensum (*Jamblich.* 5, 8. *p.* 123.

Laur. Lyd. mens. Maj. 52. *p.* 242). Aegyptii certe, tradente Horapolline (*I.* 14) Lunam orientem significare volentes cynocephalum *stantem manusque ad coelum tollentem* deaeque quasi congratulantem pingebant. Atque Plinius etiam (8, 54, 80) „Simias" ait „Luna cava tristes esse; novam exsultatione adorare." Conferas nunc velim in gemmis illis cynocephalos omnes ad coelum manus tendentes eorumque unum in tabula Isiaca (*Pignor. fig. F. F. ad p.* 45), Lunam in capite gerentem:



et in hac denique gemma



(*v. Chifflet.* 59. *Gorl.* 402. *Cuper. Harp. p.* 12) alium ad Lunam crescentem palmas tendentem. Unde minime pro Sole illud caput coronatum in gemma, quam e Capelli libro sumtam supra (§. 648) attulimus, sed pro coeli regina habemus.

650. Adscripta imaginibus verba in pluribus gemmis eadem leguntur, quae, antequam interpretationem aggrediamur, uno sub conspectu ponimus. Sunt enim haec:

ΑΜΟΡΩ	(*Fabretti* 533)
ΑΜΩΡΩ	(*Caylus. VI. Tab.* 20)
ΙΙΝ ΑΜΑΡΩ	(*Capellus n.* 4)
ΙΙΝ ΑΜΩΡΩΙ	(*Capellus n.* 98)
ΕΙΝ ΑΜΟΡΩΕΙ	(*Raspe. n.* 626)

Quibus inter se collatis vocalium commutationes perspicuae sunt, neque interpretum quenquam morari posse persvasum habemus. Contra ad Copticam linguam, cui permutationes illae praesertim sunt familiares, magis quam ad aliam eis ipsis adducimur. Accedit, quod verba illa in omnibus gemmis cynocephalo, palmas ad coelum tendenti, adscripta sunt. Quidni igitur sic ea distinguamus et interpretemur:

ΑΜΩ	ΡΩ
ΑΜΟϨ	ΡΩ
Imple	*faciem*

quasi Lunam illi alloquerentur, de cujus adoratione a cynocephalis facta modo diximus (§. 649). ΡΩ quidem proprie *os* signifi-

cat et *januam;* sed os praecipua faciei pars est, quare partem pro toto accipere licebat, quemadmodum in illo quoque Horatii (*sat.* 1, 8. 21) legimus

> – *Simulac vaga Luna decorum*
> *Protulit os* –

Si quis vero pertinaciter contenderit, PΩ verti non posse *facies,* sed omnino exponendum esse vel *os,* vel *porta;* haud video quid impediat, quo minus *cava* Luna dici *porta* possit, vel, quum *plena* fit, *os* suum *implere?* Quod autem in aliis gemmis AMO, in aliis AMA legimus hoc iterum Copticam linguam prodit, qua istud verbum tum MOϨ, tum etiam MAϨ, effertur; et Aegyptiis peculiarem literam Ϩ quoniam Graeci addere non poterant; in duabus gemmis Ω protractum in locum illius OϨ videmus substitutum, pariter atque idem supra (§. 590) jam observavimus. Extremam denique in quarto exemplo I (pro qua in quinto etiam EI est) saepe abundare aliis ex locis (§. 429. 609. 617. 639) compertum habemus. Sed explicanda restat in tribus posterioribus exemplis vox IIN sive EIN, quam quo referam ambigo. Videant alii utrum per EN, *educere, progredi* explicari possit, ut imperativo modo dictum forsan sit: *Progredere, imple faciem!* Scrupulum certe movit vocula illa, adeo ut in mentem veniret minime Copticam, sed Graecam inscriptionem esse, forsan *ἐν ἀμαυρῷ, in obscuro.* Sed Lunae in obscuro minime gratulantur cynocephali! Nihil igitur decerno, et dubia illa solvenda aliis relinquo; qui

omnia diligenter a me praeparata esse videbunt quo facilius illud negotium suscipi posset.



651. Avem, qua Harpocrates in hac gemma (*ap. Spon. recherch. p.* 124. *n.* 18. *et in ej. miscell. p.* 16. *Montfauc. Tab.* 125) vehitur, Sponius struthionem putat, Montfauconius anserem, Schmidtius (*de sacerdot. Aeg. p.* 307. *n. k*) vulpanserem (*Χηναλωπεκα*). Et certe vulpanseres Aegyptiis sacros fuisse Herodotus (2, 72 *f.*) Aelianus (10, 16) et Horapollo (1, 50) testantur. Equidem careo libro Gallico (*Musée nation. d'hist. nat. T. V.*) quo Geofroy hanc avem descripsisse dicitur; sed valde dubito quin in parva gemma nostra distingui illa possit. Praeterea Montfauconius praesidium habere videtur in Juvenalis (6, 540) *ansere magno*, victima Isidi praebenda (*Graev. thes.* 8. *p.* 102). In amuletis etiam haud inepte anser

adhiberi potuit tanquam *custodis* symbolum. Quod quidem non solum apud Romanos fuisse (*Aelian.* 12, 33); verum etiam apud Graecos, colligi potest ex Antipatri Sidonii verbis: „*ταν δε δομων φυλακᾶς μελεδημονα χαρος αγαλμα* (*Leich. sepulcr. carm.* 20. *Anthol. ed. Jacobs. II.* 31. *cet.*) sive legere, quod Jacobsius svasit, *χαν δε δομων φυλᾶκας μελεδημονα ταν' δ' ἀγορευσι* placeat, sive ex aliorum emendatione collatoque praecedentis proxime epigrammatis versu septimo „*ταν δε δομων φυλακᾶς μελεδημονα χαν ἀγορευσει.*" At vero sive anserem imagine expressum esse dixeris sive vulpanserem, mirum semper videbitur deum aliquem istis vehi avibus: minime si struthionem, cujus vera esse forma videtur, agnoscere malueris. Talem enim vectorem nemo adeo mirabitur, quippe qui non solum avium omnium sit maxima; sed quem Aegyptii etiam vectorem designasse Pausanias (9, 31, 1) testetur. Vidit enim in Helicone signum Arsinoes, struthione vectae, cujus quidem avis perfectam addidit descriptionem. Arsinoe autem quum Ptolemaei et soror fuerit et conjux; facile eo adducor ut struthionem credam ab Aegyptiis eodem sensu adhibitum fuisse, quo Romani in nummos sive aquilam sive pavonem intulerunt (*Agostin. dial.* 4. *p.* 121. 122. *Montf. V. Tab.* 127. *Beger. III.* 143. *Graev. XII.* 1172. *Mus. Moscardi p.* 38. 77), addita voce CONSECRATIO. Apud Aegyptios denique in honore fuisse struthionem vel ex eo patet, quod hujus penna aequum et justum denotatum esse dicunt (*Horap. II.* 110).

652. At vero ut fieri solet in ejusmodi imaginibus explicandis sem-

per dubii haeremus, verbis quae iis sunt addita non intellectis. Etenim quae in postica inter stellam et lunam leguntur: ΚΡΑ-ΤΟΥΑΘ adeo sunt obscura, ut ne lingua quidem, cui debentur, certa ratione erui possit; id quod ipse identidem hariolando expertus sum. Namque primum, Graecis literis scripta Graeca etiam verba, quamvis breviata, complecti arbitratus, similem sententiam atque illa in lapidibus (§. 374) est, *οὐδεις αθανατος*, hic quoque legi conjeceram, nempe *ΚΡΑΤιστος ΟΥκ ΑΘανατος* et verti posse: „neque optimus immortalis (erit)." Quo saepius enim in inscriptionibus Graecis quatuor literis ΚΡΑΤ notari *κρατιστος* legeram (*Maffei sigl. Gr. p.* 58. *Corsini not. Gr.* 39); eo magis reliqua etiam breviata esse verba suspicatus minime curabam literam Κ a particula negante ante vocalem abesse quum in codice Alexandrino (*Apocal.* 13, 8) etiam legeretur ΟΥΑΠΓΕΓΡΑΠΤΑΙ pro *οὐκ ἐγεγραπτο.* Stella quoque et Luna commode pro immortalitatis symbolo accipere licebat (§. 248. 700). Attamen plura impediebant quo minus in illa interpretatione acquiescerem. Primum enim a linguae peritis Graecam dictionem probatum iri quum diffiderem, deinde quum et Harpocratis sive Solis et avis, qua vectus, imagines nihil commune cum illa sententia habere animadverterem; alias linguas consulendas esse duxi.

653. Inscriptione igitur iterum sub examen vocata subiit mentem cogitatio, verba Hebraeae forsan linguae auxilio intelligi posse. Sic nimirum קרא צום, quod ad verbum sonat „*Clamat jejunium,*" sive

Annuntiat famem." Et sane avis illa clamare videtur, Solque sive Harpocrates quum retrorsum spectet et animal, quo vehitur, quum lente progrediatur, malae famis exspectationem denotare poterant, siquidem ex Solis cursu de anni fertilitate veteres esse auguratos, verisimile erat.

654. At vero experimentis, quae hactenus egeram, nondum contentus, Copticam etiam linguam adii, qua

ΚΡΑΤΟΥ ΑΘ
ϧΑΡΑΤΟΥ ΑϨΟ
Sub pedibus thesaurus

significat. Quoniam enim compertum habemus quam saepissime in literae O figura olim punctum insertum fuisse (§. 24. 193. 198. 251), extremum verbum, suppleto Ϩ, ΑϨΟ (§. 592) legere licebat. Quumque Harpocrate et fortissimis struthionis pedibus *Solis cursus* denotari sane potuit; nemo negabit, sub eo omnem fertilitatem, frugumque thesaurum, positum esse, sive ex Solis cursu pendere.

655. Atque ex variis gemmae nostrae explicandae conaminibus satis elucet frustra me hoc quidem loco, quamvis minime socordem, certitudinem quaesiisse. Id quod ingenue fateri haud dubitavi, licet non defuturos esse conjicerem, pingui istos quidem ingenio praeditos, qui illo exemplo arrepto demonstraturi sint, reliquas omnes interpretationes pariter esse incertas, pessimo sane argumentandi modo, quo a parte ad totum absurda fit conclusio. Alii

item qui literas ΚΡΑΤΟΥΑΘ interpretandi conatuum meorum nullum approbandum esse censuerint, citius profecto rejicient, puto, quae Sponius (*p.* 127) ad hanc gemmam commentus est qua contineri ait „des caractères fantastiques des heretiques *Basilidiens* et *Gnostiques*, qui mêloient impunement les *mystères* de la Religion Chrétienne avec les superstitions des Payens." Nonne perabsurda sunt, quae vir ceteroquin doctus hic de Basilidianis et gnosticis, de falsa religione, et de mysteriis Christianorum observavit? Ubinam ea detexit? num forte in ansere aut struthione? an in stella et Luna? Verba enim inscripta neque intellexit, neque ullam eis intelligendis operam impendit. Atque simili ratione equidem omnes fere ejusmodi gemmarum interpretes deprehendi vel laboris diligentius in eas inquirendi impatientes et pertaesos, vel spectri illius *gnostici* terrore adeo effascinatos, ut semper somniarent, vigilarent nunquam. Alioquin hoc saltem vidissent, nihil omnino esse absurdius, quam judicare velle de iis, quorum ne sensus quidem perceptus esset.

CAPVT II.

Inscriptiones, quae orientis lingua loqui videntur.

656. Verba, quae Semitica vocamus (§. 443), vel peculiaribus sermoni literis, vel Graecis in gemmis sunt exarata. Illa quidem interpretaturi, modo characterum haud semel immutatorum gnari fuerint, multo facilius, quam haec intelligent. Etenim veluti omnia, quae alienis a sermone literis sunt scripta (§. 11. 176) majorem afferunt obscuritatem, ita maxime Semitica Graecis reddita literis, tum propter variam et mutatam ipsam verborum pronuntiationem (§. 435. *sequ.*) eam praesertim, quae diversa introductis Masoretharum punctis exstitit (§. 437. 567), tum propter dubium interdum Graecarum literarum in lingua aliena officium (§. 347. 478), tum denique propter quarundam ex Semiticis etiam praetermissionem (§. 430. 431), explicatu saepe sunt difficillima. Incipiamus igitur ab illis, quae Semitica Semitico quoque charactere sunt scripta, quorumque expositionem eo magis gratam viris doctis fore arbitramur, quo minus adhuc ab aliis interpretibus sub examen illa vocata esse constat, et quo dignior observatu vel ipsa characterum varietas est: addituri deinde (§. 679 *sequ.*) majorem sane Semiticarum inscriptionum numerum, in quibus, quum Graecis literis solis exaratae sint, harum in lingua aliena usus (§. 439. 440. 441) omnino notus et perspectus esse debet.



657. Sunt haec duo unius ejusdemque gemmae exemplaria tantopere inter se dissidentia, et, quod magis mirum, ab uno eodemque scriptore, Gorio, in lucem prolata: primum in museo Florentino (*II.* 56. *Tab.* 23. *n.* 1), alterum in Etruriae inscriptionibus (*I. ad p.* LXX. *Tab.* XI. *n.* 1). Adeo negligenter in describendis monimentis plerumque versantur viri docti, ut inter plura ab eis vulgata ectypa, quodnam verius sit, incerti haereamus. Posterius quidem, Gorius (*p.* XXXVIII *sequ.*) ait, ex gemma ipsa se descripsisse, unde prius, quum inversum sit, ex imagine cera impressa exscriptum esse potest. Gemmam vero, idem scriptor (*in mus. Flor. II. p.* 56) observat, rudi coelatura et lineari antiquissima (*Plin.* 35, 3. §. 6. *p.* 681, *ibique Harduin.*), quae ab Aegyptiis originem traxerit, scalptam, cujus imaginem fidelius a se alibi, altero nempe ex nostris exemplaribus (*in inscr. Etr.*), reprae-

(12) *

sentatam esse. Quae tamen Gorii verba de artis tantum opere accipienda esse videntur. Etenim veras literarum formas, quas neque ipse, neque artifex, quem ad delineandam gemmam adhibuit, cognoverat, in eo, quod primo loco exhibuimus, exemplari longe accuratiores, ideoque intellectu faciliores esse animadvertimus. Dilucide etiam in hoc oculi conspiciuntur, baculis impositi, quorum veras figuras in gemma ipsa conspici ex eo colligitur, quod oculorum hoc loco significationis tam Gorius, quam ille, qui imagines in aes incidit, prorsus ignari, nihilominus ex gemma oculos exscripserunt. Atque eo etiam primum exemplum altero praestat, quod literae sinistrorsum spectant quo sane ordine et legi possunt et debent. Gemma igitur in annulo olim inclusa ad obsignandum usurpata fuisse videtur; unde cera impressa imago erat delineanda, nequaquam quae altero exemplo repraesentatur gemma ipsa (§. 210). Quae quum aperta sint, aut Plinio recentior gemma nostra, aut falsum est, quod (33, 1, 6) affirmat: „*Non signat* oriens aut Aegyptus, etiam *nunc* literis contenta solis."

658. Insignis haec gemma maxime eo est, quod imagines symbola praebent Aegyptiaca, inscriptio autem tam literis, quam lingua est Phoenicia. Quapropter eam observatu dignam habituros esse viros doctos, praesertim Hugium nostrum, arbitramur, quandoquidem hic totus in eo erat, ut (*in commentat. de invent. literar. p.* 25. 36. 37) demonstraret „natale Phoeniciarum literarum

solum fuisse Aegyptum" (*conf.* §. 174). Jam pridem etiam Münterus (*antiquar. Aufsätze p.* 149. *sequ.*) virorum doctorum animos advertit ad monimenta in Sicilia eique vicinis regionibus reperta, quorum imaginibus, quamvis Aegyptiacis, literae tamen Phoeniciae pariter atque in gemma nostra sunt additae. Quae quomodocunque fieri potuerint, equidem jam non disquirens, ut fidem tamen faciam eis, quae de imagine et inscriptione gemmae dixi, has puto me debere nunc uberius explanare, quum ante me nemo, quod sciam, eas illustraverit. Ac primum literas esse Phoenicias haud longa probatione indiget, siquidem ad Semiticam meam palaeographiam (*P. II. libri: Bild. u. Schr.*) lectores hac de re ablegare licet. Hebraeis characteribus in illarum locum substitutis inscriptio haec erit: לאבהבעל. Sola litera quarta dubia videri potest. In priori enim exemplari omnino obscura ejus forma haec  est. In altero clarior  apparet, quam ה legi, quamvis linea inferior non satis extensa sit. Eandem literam siquis  vel  esse contenderit, ideoque Jod legere maluerit, habebit אביבעל Abibal, nomen proprium haud ignotum, tum regis Berytiorum, cui Sanchoniathon opus suum dedicasse (*Euseb. I,* 6, 9. *p.* 31), fertur, tum regis Tyriorum, Hiromi patris, cujus Dius et Menander (*ap. Joseph. c. Apion. I,* 17 *et* 18. *Op. II. p.* 448) mentionem fecerunt. Quoniam autem erunt qui quartam literam *He* legere malint, quia ejus formam attentius observatam ad hanc propius quam ad *Jod* accedere adverterint; his quidem distinguenda

verba esse לאב et הבעל sic satis patet. Quorum vocabulorum prius אב non solum patrem denotat, sed auctorem etiam et eum, a quo beneficia accipimus; posterius autem בעל proprie quidem dominum significat, sed hoc loco intelligi Sol potest, qui *κατ᾽ ἐξοχην* בעל vocatus fuerit. Hanc enim, sententiam non solum veterum linguarum harmonia, sed inspecta etiam gemmae imago svadere videtur. Si quis vero negaverit voce אב aliud quidquam significari posse quam *patrem;* nos non fugit, ab Aegyptiis patris etiam et demiurgi nomine Solem esse appellatum (*Galeus ad Jambl. p.* 305 *f.*).

659. Ab antiquissimis inde temporibus Solem populis omnium deorum fuisse summum utique constat (§. 307. 309. 311. *sequ.*). Unde Phoenices teste Sanchoniathone (*ap. Euseb.* 1, 7, 10. *p.* 34) eum *μονον οὐρανου ΚΥΡΙΟΝ,* sua lingua *Βεελσαμην* (בעל שמין) appellarunt: quod nomen, seriori Punica servatum, Romanis quoque innotuisse (§. 106. 573) Bochartus (*geogr. p.* 850) ex Plauto (*Poen.* 5, 2, 67) observavit. Addatur Servius, qui (*Aen.* 1, 642, 729) Belum eundem ac Solem fuisse scribit. Et sane qui a Josepho (*ant.* 9, 6. *f. p.* 489) Bal nuncupatur Tyriorum deus, idem ab Hieronymo (*ad Oseam* 2 *et* 8) Sidoniorum dicitur. Aeschylus quidem ac Sophocles (*v. Stanleium ad Pers.* 659 *et Huschkium de Cajo Annio Cimbro p.* 51) illud nomen *Βαλην* efferunt; sed hoc e plurali, quem majestatis vocant, natum, nempe בעלין, haud dubie idem est atque illud; idemque quod Herodianus *Βελιν* scribit,

qui (8, 3, 19) addit, Aquilejenses hunc deum patrium interpretari *Apollinem*. Quare neminem fore credo, qui Berthaldi opinioni, qua nomen illud a Graeco *βολην* (*βολη*) ducit (*Graev. VI.* 381), calculum suum adjicere velit. Dei *Beleni* saepe mentionem faciunt historiae Augustae scriptores (*p.* 625. 860. 866. *Schrevel.*) et Ausonius eum memorat (*professor.* 4, 9). Multi praeterea sunt lapidum tituli, in quibus Apollo *Belinus* sive *Belenus* legitur (*Gruter. p.* 36. 37. *Murat. p.* 23. 24. *Reines.* 98. *sequ. Bertoli antiqu. Aquil.* 86 *sequ. A Turre vet. Ant. mon. p.* 259. *cet.*). Babyloniorum enim בל, cujus Hebraeorum libri et Plutarchus in Alexandri vita (*p.* 674) mentionem faciunt, idem fuisse videtur, qui apud Diodorum (2, 8 *et* 9) *Βηλος* dicitur; idemque etiam Assyriorum ille *Βηλος*, in Abydeni libro (*ap. Euseb.* 9, 4, 41. *p.* 456) memoratus: quem quidem scriptorem addendum censemus commentariis virorum doctorum in Virgilium (1, 729). Magis dubito an Cretensium Solis nomen *αβελιον* (*Hesych.*) huc referendum sit. In bilingui denique, quae Romae asservatur, inscriptione, Graeca et Aramea, ex Palmyrenorum *θεοις πατρωοις Αγλιβωλω και Μαλαχβηλω*, עגלבול ומלכבל, certe posterius nomen e בל compositum esse videtur, vix autem prius (*Bild. u. Schr. II. p.* 257), quod verbis עגל, *globus*, et בול, *proventus* constat, indeque deo Luno adscriptum est, quasi *globo*, ex quo omnes pendeant *proventus* (§. 27. 667. *sequ.*). Ex alia inscriptione, ipsa quoque bilingui, Latina quidem et Aramea, patet, nomen quod in Latina SOL est, idem

in Aramea redditum esse מלכבל, „rex Sol.“ Neque enim reges solum terrarum domini cum Sole tanquam in coelo regnanti comparari solent (§. 92. *Plutarch. ad principem indoct. p.* 780): sed quum a poetis tum in inscriptione etiam Memnoni addita Sol *βασιλευς Ἡλιος* appellatur. Atque ex recentioribus Hesychius habet *Βελα ἡλιος και αὐγη ὑπο Λακωνων*. - - Verum charta non sufficeret si omnia, quae de *Bal* jam scripta sunt, hic exponere vellem. In quibus tamen falsum Philippum a Turre esse animadverto, qui Herodianum corrigere ausus, ab *Heleno* nomen *Belin* derivare conaretur.

660. Cujus nominis origo licet omnem hominum memoriam excedat; primam tamen ejus radicem אֵל fuisse conjicio quidquid contra disputaverint grammatici (*Simon. onom. p.* 628), quandoquidem vocabulum *fortis* quum in *Dominum*, tum etiam in *Solem* valere potuit. Neque fore quemquam crediderim, quin sentiat affinitatem inter nomina אל, ἡλ(ιος) בעל, *Βαλ*, *Βηλ*, *Βολ*, *Sol*, et Persicum EL, modo verum nomen prodiderit Isidorus (*Etym.* 14, 12, 3. *T. IV. p.* 146. *Reland. diss. P. II. p.* 177): prout enim magis minusve anhelata primigenia vox fuerit. Illius autem mythi, quo Sol cum Oculo componitur (§. 312. 578), si quis memor fuerit; Aegyptiaca etiam vox ΒΑΛ quo pacto Oculum denotare possit, intelliget. Quibus omnibus perpensis haud miramur apud Photium legi haec Isidori verba: „*Φοινικες Κρονον Ἠλ, και Βηλ, και Βολαϑην* (*Cuperus in Harpocr.* 109 *legit Βολαδην*) *ἐπονομαζουσι*.“

Quae ut recte intelligamus Servium audiamus, qui (*v.* 731) „Assyrios“ ait „Saturnum, quem eundem et Solem dicant, coluisse . . unde et lingua Punica *Baldeus* dicatur.“ Sic Cuperus quidem haec verba reddit. In meo autem Servii exemplari lego: „Bal dicitur deus;“ et sint licet libri in quibus Baldeus scriptum reperiatur, hoc verbum tamen utique dividendum est. Nec placet doctissimi Cuperi annotatio, qua Baldeum cum Isidori *Βολαϑην* componit. Hoc enim nomen, modo sana esset ejus scriptio, nihil aliud significaret quam בעל־ארון, „*Sol dominus*“ quod idem in nomen proprium abiit regis, qui pater fuit *τοῦ Merodach Baladan.*. Quoniam autem illius nominis, quod Cuperus *Βολαϑην* profert, melior scriptio *Βολαϑην* est, latere in eo arbitror בעלאתן. אתן enim idem quod איתן *perpetuus* vel *fortis* est. Neque erat quod Hamakerus (*in mon. Punic. p.* 9. *et* 10) corrigere Photii verba vellet, ut pro illo, quod bene se habet, *Θολαϑην* substituendum esset. Vocabulum igitur בעל, quo dominus (coeli) significetur, omnino origine Phoenicium est. Nec moror Herodianum grammaticum, qui (*in partition. ed. Boissonad. p.* 5) „*Βηλ ϑεος Αἰγυπτιος*“ scribit, sive aperto ille errore lapsus fuerit, sive Phoenices in Aegypto commoratos intellexerit (*conf.* §. 283).

661. Quod vero Aegyptiaca symbola in imagine deprehendi dixi, hoc sane ex virga illa sive baculo erecto, cui oculus est impositus, colligi potest. Hanc enim notam vere Aegyptiacam esse, pluribus veterum scriptis edocemur. Primus Plutarchus duobus lo-

cis (*de Isid. p.* 354 *f. et* 371) scribit „Aegyptii regem et dominum Osirin *oculo* et *sceptro* pictis exprimunt." Verbosiores reliqui sunt. Macrobius enim (*Saturn.* 1, 21. *med.*) „Osirin" inquit, „Aegyptii, ut Solem esse asserant, quotiens hieroglyphicis suis literis exprimere volunt, insculpunt *sceptrum* inque eo speciem *oculi* exprimunt, et hoc signo Osirin monstrant; significantes hunc deum Solem esse, regalique potestate sublimem cuncta despicere: quia Solem Jovis oculum appellat antiquitas (§. 578). Addamus huic Cyrillum, qui (*c. Julian. IX. p.* 300), postquam de serpentis in gyrum adacti duplici significatione (§. 701) aliisque Aegyptiorum symbolis disseruerat, „aenigmatum artifices" inquit „in templis et obeliscis literas incidentes literis nostris non utebantur, sed aliis figuris rerum naturas efformantes abstrusam quandam scientiam sapientioribus ingerebant. Nam quum deum, sive supremam et omnia exuperantem illam naturam significare volunt, pingunt *oculum*, cui rectam *virgam* subdunt, ut eadem opera intelligatur ejus omnia intuendi vis atque adeo regalis majestas. *Sceptrum* enim regni symbolum fere semper est, et *erecta virga* significat naturam divinam inflecti nullo modo posse, sed quodammodo rectam semper esse, et omnia veluti sustentare ac firmare."

662. Quem Cyrilli locum utique legere debebant theologi, qui, quotquot apud Polum laudatos video, frustra tentaverunt interpretari illa Jeremiae (1, 11) verba: „virgam *vigilantem* video." Quum enim nullam *vigilantem* virgam nossent, vocem שָׁקֵד, quae

utique *vigilans* sonat, vertere maluerunt *Amygdalum*, quamvis quae sequuntur antecedentis vocis sensum dilucide commonstrent. Repetit enim Jehova (*v.* 12) illud verbum, quod Alexandrini γρηγορεῖν bene vertunt, quodque cum Jehova nunc conjunctum nequaquam *Amygdali* notionem habere potest. Num huc etiam referendae illae virgae sint, quae teste Artapano in templis religiose colebantur, neque affirmare, neque negare ausim. Refert enim (*ap. Euseb.* 9, 4, 27. *p.* 435) in singulis Aegyptiorum templis *virgam* consecratam, eandemque omnino, qua Isidem ipsam, religione cultam esse." Ita et Phoenices, Sanchoniathon (*ap. Euseb.* 1, 6, 9. *p.* 33) affirmat, *virgas* consecrasse (male enim Vigerus *ῥάβδους statuas ligneas* vertit) et maximo religionis cultu prosecutos esse. Quas quamvis ab Aegyptiis et Phoenicibus loco deorum cultos fuisse pateat, earum tamen qualis figura fuerit scriptores illi nobis non prodiderunt. Sed ad Cyrilli interpretationem firmandam omnino illo antiquior addendus est Diodorus, qui (3, 4) in Aegyptiorum hieroglyphicis signis explicandis occupatus haec docet: „*Oculus* justitiae servator et custos totius corporis." Quibuscum conferas licet quae de Osiridis nominis significatione idem scriptor (1, 11) disserit, et quae de Sole, oculo ipso, suprà (§. 578) commentati sumus.

663. Aliarum in gemma nostra figurarum, quae volucres esse videntur, explicationem in medio relinquo: hoc tamen animadverti velim geminum conspici cum oculo baculum, alterum quem ma-

nu tenet vir, alterum solo infixum. Inscriptum igitur vocabulum si quis nomen proprium Âbibal, virumque, non Osiridem, sed regem aliquem repraesentare statuerit; jam ille imagini hunc sensum tribuere poterit: *„regem Abibal similem esse Osiridi."* Quibus omnibus perpensis neminem fore arbitror, qui Winckelmanni (*catal. p.* 28. *n.* 125) explicationem praeferre maluerit, qua pro oculo loti florem baculo impositum in simili gemma (*Dactyl. Stosch. n.* 125) agnoscere sibi visus est.



664. Effigies haec illius gemmae est, quam Raspeus (*tab.* 7. *n.* 35) edidit, quamque praefero illi a Schlichtegrollio (*in dactyl. Stosch. tab.* 14. *n.* 7) publicatae. Apud hunc enim plus sibi indulsisse artificem jam pridem observarunt viri docti. Atqne antecedenti

hanc addidi, quia pariter diversum ab imaginibus scripturae genus esse videtur. Literae enim, quamvis Winckelmannus (*catal.* 18. *n.* 77) eas Aegyptiacas appellet, forma omnino sunt Phoeniciae, Hebraeis ita reddendae בן אר. Finalis tantum dubia videri potest, quia *τφ* כ Phoenicio non adeo dissimilis est. Sed Phoeniciarum literarum antiquissimas formas capita sua sensim aperuisse atque in iis praesertim literam Resch notandam esse, olim (*Bild. und Schrift. II.* 162. *sequ.*) docui. Neque ullus inde verborum sensus oriretur, neque imaginibus inscriptionem respondere quisquam demonstrare posset, si בן אך legere mallet.

665. Ab imaginibus interpretandis libenter abstinuissem, quippe bene gnarus palaeographorum neutiquam esse de mythis disserere, nisi Winckelmannus (*catal. p.* 18. *n.* 77), vir harum quidem rerum quam peritissimus, hoc loco egregie alucinatus esset. Haec enim ad gemmam nostram observavit: „Deux Osiris mitrés, ayant en main un baton terminé par une tête de hupe; au milieu d'eux est un vase d'une forme élégante, orné d'un ouvrage de treillage, dont les anses sont formées par des petites figures. Il contient la plante de Lotus. . . Au-dessus du vase il y a des caractères Egyptiens (!), deux cancers et un globe avec des ailes." Sed quis quaeso unquam sibi persvadere poterit in uno eodemque monimento Osirides geminos fuisse effictos? Quis in animalibus illis, quae globos vertunt, cancros agnoverit? Quis literas inscriptas, modo non omnino imperitus fuerit, ex Phoenicium alphabeto le-


gere non poterit? Quis parvas figuras, in manibus illius, quae in medio conspicitur, pro ansis accipiet, quum nullius amphorae ansae superiori loco sint apertae.

666. Mihi quidem imaginum, quae in gemma conspiciuntur, summa haec esse videtur: „*Calor*, qui *filius lucis* est, *fecunditatem* et *fertilitatem* producit." In medio enim posita figura, quamvis haud distincta sit expressa, facile tamen mulier agnoscitur ambabus manibus infantes ferens. Atque hac ipsa forma fecunditatem denotari ex numo discimus Faustinae (*Eckhel. VII.* 78), aliarumque Augustarum, in quibus simili imagini claris literis adscriptum legitur FECVNDITAS (*Agostini dial. II. p.* 78. *Choulii relig. Rom. p.* 144. *Graev. V.* 72. *Banduri. I.* 29. 235. *Montf. I. tab.* 206. *n.* 4. *Ang. Maius ad Fronton. tab.* 1. *n.* 8). Neque rara sunt ejusdem rei symbola: quapropter Passerium miramur ea non agnovisse, sed (*II. p.* 163. *n.* 131) Pantheam deam explicasse, quae in gemma, quam pagina, quae sequitur exhibebit, comparet. Omnia enim in ea concurrunt, ut eadem significetur res. Cornu copiae enim, quod dextra tenet mulier, pariter atque calathus in capite, fertilitatem designat, et infans, quem laeva amplectitur, fecunditatis est symbolum. Praeterea si reliquorum nullum, profecto leporis symbolum, interpretem de notata per eum fecunditate (*Aelian. N. A.* 2, 12. *Phile* 58. *p.* 205. 206. *Plin.* 8, 55, 81. *Philostr. imag. p.* 740 *ed. Morell.*) admonere debebat. Sed conferas nunc velim, quae in gemma est, imaginem ipsam:



667. Mediam igitur in Raspei gemma figuram haud dubii fecunditatis symbolum declaramus. Accedit quod praegnanti mulieri similis est et caput floribus vel frugibus ornatum esse videtur. Siquidem non fructibus tantum, sed floribus etiam fertilitatem denotari Macrobius (*Saturn.* 17. *f.* *p.* 235) docuit. Lunam pariter crescentem, quae super caput picta est, huc spectare supra (§. 27) demonstravimus. Nec desunt rationes, ex quibus globulum inter Lunae cornua positum (§. 668), pro Sole habeamus. Aperta enim hujus astri symbola in scarabeis latent, qui ab utroque latere pedibus pila volvunt (*Plutarch. de Isid. p.* 355. *Clem. Alex. str.* 5. *p.* 556), quo ex facto Apion apud Plinium (30, 12, 33) colligit


„Solis operum similitudinem huic animali esse." Atque scarabaeo Solem ipsum repraesentari Pignorius (*mensa Is. p.* 61) hac gemma docuit



cui similem deinde Chiffletius (*n.* 98), Montfauconius (*tab.* 154) Gorlaeus (*n.* 452) et Ebermayerus (*n.* 422) ediderunt.

668. Verum magis ad rem nostram Horapollo facere videtur, cujus igitur verba (1, 10) hic inserere juvat: „Scarabaeus quum sobolem procreare vult, bovis fimum nactus, globulum ejusdem cujus mundus figurae fingit, quem ubi ab ortu ad occasum aversis pedibus volutarit; ipse rursum ut orbi persimilem figuram edat, atque exprimat, in ortum convertitur. - - Nono autem et vicesimo die apertam pilam in aquam conjicit: eum enim diem esse putat quo et *Luna cum Sole congrediatur* et *mundi* insuper fiat *generatio.*" Haec ille. Sed praeterenndus hoc loco minime Porphyrius est, qui (*de abst.* 4, 9. *p.* 327 *et ap. Euseb.* 2, 5. *p.* 94 *f.*) „Aegyptii" inquit, „scarabaeum tanquam animatam Solis imaginem venerantur. Scarabaeus enim masculi tantum sexus quum sit, semen in fimum emittit, atque id quum in globum redege-

rit, posterioribus pedibus convolvit, non secus ac *Sol* coelum, et octo et viginti dierum circuitum admittit, qui *Lunaris* est" (*conf. Aelian. d. nat. anim.* 10, 15). Unde in gemma nostra tum Sole et Luna tum scarabaeis etiam significari fecunditatem sic satis patet. Quae quidem itidem alia gemma (*ap. Capell. n.* 242. *Montfauc. Tab.* 155), omni quamvis inscriptione carente, aperte denotatur, quare hic eam subjiciendam duximus:



Sed longe aliter de scarabaeo in Aegyptiorum monimentis exstante sentit Kircherus. Primum enim illo Osiridem significari, deinde etiam Christianorum mysteria denotari (*prodr. Copt. p.* 263. 264), et hoc quidem ex Augustino, nobis persvadere vult, quem scilicet haec scripsisse affirmat: „Bonus ille scarabaeus meus, non ea tantum de causa, quod *unigenitus*, quod ipsemet sui auctor

mortalium speciem induerit, sed quod in *hac faece nostra sese volutarit*, et ex ipsa nasci homo voluerit." Verum frustra equidem haec apud Augustinum verba quaesivi, et vix a me impetrare potui, ut hunc tam absurdam comparationem instituisse crederem. - - De illo autem *Solis cum Luna congressu* librum scriptum ab Aegyptiis vel in ipsis solemnibus eorum processibus praelatum fuisse Clemens Alexandrinus (*str.* 6. *p.* 633) refert. Eorum etiam placita Herodotus (1, 11) sic exponit: „*Solem* et *Lunam* deos mundum universum gubernare statuunt, nutrientes et augentes omnia tripartitis anni temporibus. Haec autem, licet naturam inter se maxime contrariam habeant, annum tamen *consensu* optimo efficere: illorumque deorum naturam plurimum conferre ad *generationem omnium*." Item et illo recentior Plutarchus (*de facie Lunae p.* 944) „*Lunam*" ait „*amore Solis* adsiduo revolvi, cum eo *coire* ac *fecunditatem* ab eo captare (*add. eund. de Is. p.* 367). Quam vulgatam deinde sententiam (*Macrob. somn. Scip.* 1, 19) vel Mohammedani a philosophis didicisse videntur (*Herbelot. n. Dissan*). Quid? quod in gemmis, quae haud dubie originis sunt Aegyptiacae (*Rasp. tab.* 5. *n.* 167. *Dact. Stosch. n.* 13. 35), eandem Solis inter Lunae cornua figuram , cum globo praeterea alato super imposito, incisam videmus quam in nostro monimento observamus.

669. Pariter ex recentiorum Graeco-Aegyptiorum philosophia Jamblichus (8, 3. *p.* 159) illa sic exponit: „rerum apparentium opi-

ficio praesunt duces, opifex quippe mens, qui et veritatis custos et sapientiae, quatenus ad *generationem* sapienter descendit et incognitam rationem latentium vim *producit in lucem,* lingua Aegyptiaca dicitur *Amun:* quatenus vero perficit omnia - - vocant eum *Phtha,* quem Graeci nominant Vulcanum." Idem Heraclides (*in Gal. opusc. mythol. p.* 468) docet, ignem sive calorem intelligens. Quibus Jamblichi ex verbis patet, illos sibi persvasisse, Amun et Phtha unum eundemque deum esse (*conf. Gal. ad Palaephat. p.* 64. 65) nominibus tantum diversis pro diversa ejus vi ac potestate appellatum. Iisdem deinde verbis Jamblichus verum Aegyptiaci nominis Amun etymon prodit, quod idem est atque Hecataeus docuerat, quasi Latine dixeris *producens in lucem.* Quibus fisus Jablonskius (*panth. I. p.* 181. *Creuzer. myth. I.* 526) verba finxit Coptica AMOY-OEIN (*adesto lux*), errore sane lapsus, quem Rossius quidem (*etym. Aeg. p.* 9) jam pridem detexit, sed nomen illud ab Hebraeo חם originem ducere pejus etiam statuit. Quodsi Jablonskius ad Aegyptiaca verba MOYE, *splendor,* et EN, *ducere,* quod litera 'N sola etiam scribitur, respexisset, equidem facilius ei adsensum praebuissem. Literam enim A ab initio vocum saepe otiosam esse inter omnes linguae peritos constat (§. 429. 609). Quod in lexico quodam scripto Champollion (*l'Eg. sous les Phar. I.* 217) vidit vocem AMOYN explicatam esse „*gloriam, celsitudinem,*" hoc pariter ad splendoris notionem referri potest.

Hujus autem Amun symbolum globo illo alato, in summo 670.

gemmae nostrae loco collocato, denotari ex eo conjicio quod in alio monimento supra (§. 600) exhibito idem globus ipsi nomini Amun insertus est. Ejusdem sive του Phtha filium fuisse Solem in catalogo regum deorum a Manethone confecto (*Chron. Alexandrin. p.* 45) et in Palaephati fragmentis (*p.* 65) traditur. Diodorus quidem haud decernens uter prior exstiterit Sol an Vulcanus, „sunt tamen" addit (1, 13) „inter sacerdotes, qui Vulcanum primum regem dictitant, ignis inventorem." Haud absurde igitur conjeceris in gemmae nostrae summo loco positum esse Amun, quem excipit lux sive Sol, ex cujus cum Luna congressu filia nascitur, omnis in terra *fecunditas* et *fertilitas*. Atque eodem sensu ab Orphico (*de lapid.* 9, 18. *p.* 318) Sol appellatur φερεσβιος, et a Laurentio Lydo (*mense Maio* §. 54. *p.* 246) non solum „Ἡφαιστος γονιμον πυρ ἐστιν" scribitur, sed (*c.* 53. *f. p.* 244) etiam ἀρχη γενεσεως Σεληνη. Similiter Plutarchus (*de Isid. p.* 368) Lunae adtribuit τας γυνητικας ἀρχας. Dignae praeterea quae hoc loco conferantur sunt Firmici pro Constantini salute preces maxime illae, quibus Lunam invocat (*Mem. de l'acad. des inscr.* 41. *p.* 511). Et erant, teste Irenaeo (2, 14. *p.* 133), inter recentiores Graecos, qui *ex lumine* genesin derivarent deorum. Mosi quoque Sole prior Lux erat; atque ipsorum etiam Christianorum in doctrina (*Jac. ep.* 1, 17) „omne bonum proficisci ἀπο του πατρος των φωτων" legimus. Quumque et lumen et calor et omnia, docente Heraclito, ab igne afferantur, hunc ipsum inde ab antiquissimis temporibus cultum

esse haud miramur. Ita Romanorum regem Numam, Plutarchus (*in Camillo p.* 139) refert, instituisse, ut tanquam omnium rerum principium coleretur. Nam in universa rerum natura nihil majorem movendi vim possidere; materiae vero partes, calore deficiente, otiosas ac veluti mortuas jacere, ignisque vim, tanquam animam desiderare. Ignem denique imaginem virtutis aeternae appellat. Atque huic Carthaginienses etiam honores divinos tribuisse Münteri et Creuzeri testimoniis docet Orellius (*ad Sanchoniathon. p.* 18. *n.* 27).

671. Quae qui perpenderit, sane videbit reconditum et altiorem in gemmae nostrae verbis בן אר, *filius lucis,* esse sensum. Nec solum in oriente usurpabatur illa „filii lucis" appellatio, cui luci Chaldaeorum *φως νοηρον* (§. 470), ut puto, respondebat; sed Graecorum etiam in sermone tum *aurorae,* tum *diei filii* appellatio usitata erat. Certe de Memnone Eustathii (*ad Homer. λ.* 1697) verba sunt: *δοκει ὁ Μεμνων Ἡμερας ὑιος εἰναι:* atque in ipsius Memnonis statua (*Pocok. tab.* 39. *n.* 18) legitur: Ο ΠΑΙC ΗΟΥC (*ὁ παις Ἡους*). Qui denique praeter illas figuras in gemma nostra conspiciuntur ab utroque latere adstantes homines, vultu persona obtecto, crucem ansatam altera manu tenentes, altera baculum, cui transversum superne impositum est lignum, hos conferas velim cum similibus quasi janitoribus ad januam stantibus templi cujusdam Aegyptiaci (*Lucas voyag. II. p.* 108. *ed.* 1720 *et Montfauc. Suppl. II. tab.* 5. *ad p.* 37 *et post tab.* 51), cujus frontispi-

cium globo alato, nostro simili ornatum est. Longe igitur abest, ut geminum Osirin (§. 664) cum Winckelmanno hic agnoscamus.



672. Eadem haec gemma (*ap. Raspeum tab.* 11. *n.* 654. *Murr. Journal zur Kunst-Gesch. IV.* 141. *tab. I. A. Passer. tab.* 24. *Fundgr. des Orients. I. tab. III. n.* 1) est, cujus inscriptionem ab Olao Gerhardto Tychseno perperam esse lectam olim (*Bild. u. Schr. II.* 181) contendi. Imagines Persicum magis habitum quam Aegyptiacum produnt. Superne Sol pictus esse videtur, et septem pone sellam globuli planetas repraesentant. Quare astrologicam gemmam hanc esse conjicio, aeque ac similem apud Caylum (*III. tab. X. n.* 4). In alia (*ap. Wild. tab.* 18. *n.* 67) quatuor globuli cum sella sunt conjuncti, haud scio utrum ex errore, an ex causa mihi adhuc ignota. Sed majoris negotii esse videtur verba in-

scripta interpretari. Passerius quidem (*II. p.* 72) haec omnia missa vult fieri, quoniam literae nullum se judice sonum prodant: sed quominus in hoc ejus judicio acquiescamus, major nostra diligentia prohibet.

673. Itaque, quo cardine res vertitur, literas ut agnosceremus operam dedimus. Quarum exactam se formam dedisse professum Raspeum eo lubentius secuti sumus, quo similius, excepta extremae literae geminatae forma, hujus exemplar illi est, quod Murrius, in ejusmodi, quae ad artes spectant, rebus vir belle curiosus, vulgavit. Prima quidem litera, quae linea erecta scripta, dubia esse videtur; sed in Passerii exemplari transversa ei hoc modo: [glyph] addita est, ac facile fieri potuit, ut in reliquis exemplaribus haec inferior literae pars cum circulo, quo gemma circumdata est, coincideret. Quod si ita est, ל erit hac forma [glyph]. Atque illud etiam accidisse suspicor literae, quae sequitur [glyph], quippe quae similiter, in circulari linea insistat, cujus circuli partem si illi addideris Jod ([glyph]) habebis, nec pro alia litera illam figuram habere poteris. Tertiam et quintam ר esse modo (§. 664) vidimus. Quarta ד legenda erit. Sexta notissimam figuram τοῦ ז exhibet. Septimam eamque adhuc incognitam, neque in meam palaeographiam Semiticam (*Bild. u. Schr. II.* 95 *sequ.*) illatam, hac forma [glyph] si cum magis nota [glyph] (*ib. p.* 391) contuleris, facilius ס Phoenicium agnosces. Restant duae extremae omnino similes, in quibus incertus haererem, nisi Murrii exemplari adjutus, ex hac

forma ᒣ, quam ille exhibet, literam נ agnovissem. Eo enim nostra ᑫ differt a ᑫ (*Daleth vel Resch*), quod caput inferiori loco est apertum. Ex illa autem literae ᒣ forma facile hanc ᑫ prodire potuisse alia gemma (*Mus. Flor. II. tab.* 23. *n.* 4), inter Graecas proferenda, docet, in qua Graecum Γ simili modo in hanc formam Ρ conversum fuisse videmus. Omnium igitur literarum vi ac potestate explanata inscriptionem sic legere licet:

לירד רז סגג

quod ad verbum vertitur: *usque ad descendere mysterium occlude*, sive, quod idem est, *usque ad inferos mysterium serva.* Verbum enim ירד, quod *descendere* proprie sonat, saepe additis vocabulis *ad Orcum* vel *ad sepulcrum* usurpatur. Si vero hanc nostram interpretationem admittere nolueris propterea quod verbum illud solum legatur; hoc ipsum et *corruere* significat (*Deuter.* 20. *f.*), unde idem fere sensus *usque ad interitum* nascitur. Verbum denique סגג, Chaldaicum סג *sepire* denotat, quod perinde est atque *claudere*, hoc autem loco, quia cum voce *mysterium* conjunctum, *servare* vel *tacere.* Egregium inde veteribus proverbium fuit: סייג לחכמה שתיקה, quod qui Buxtorfium (*lex. Chald. p.* 1447) secuti sunt vertunt quidem „*sepes sapientiae est silentium:*" sed melius forsan illud verteretur *sepes sapienti* (quo sapiens linguam sepit) *est silentium.*

674. Duos, qui praeter illas literas in gemma exstant, characteres ⚸ et ♀ alii (*Fundgrube des Orients I.* 209) ita explicarunt,

ut ille *terram*, hic *coelum* repraesentaret. Verum isti interpretationi, omnibus idoneis argumentis destitutae, vix erit quisquam qui calculum suum adjicere velit. Prior enim character exactam literae Phoeniciae *Aleph* formam habet, unde conjicere licet alterum, qui crucis ansatae speciem prae se fert, literam etiam esse, nimirum *Thau*, quod crucis forma a Phoenicibus pingebatur. Quibus literis, praeter illud, quod in cruce ansata inest aenigma (§. 707), significari videtur *ab initio usque ad finem* (§. 289. 469. 581). De notissimo in Graecis praesertim symbolo, literis Α et Ω notato, infra uberius disserendi locus erit. Quod ad formam attinet literarum, pluribus sane argumentis confirmata opinio est, quam olim (*Bild. u. Schr. II.* 281) prodidi, antiquissimas Persarum literas Phoeniciis fuisse similes. Persae certe quum per longum temporis spatium Aegyptum tenuerint, quidni eos literas a Phoenicibus in Aegypto commorantibus accepisse (§. 174) statuamus? praesertim quum alia plura Persas ibi didicisse Herodotus (1, 135) tradiderit. Darii quidem tempore eos suae genti propriam scripturam nondum habuisse ex duabus columnis colligi potest, quas ille erigendas curavit, alteram Assyriis, sive Phoeniciis (§. 110), alteram Graecis literis inscriptam (*Herodot.* 4, 87). Sed aliae praeterea accedunt rationes, quibus verisimillimum fit, Persas primum usos esse literis Phoeniciis (*Mem. de l'acad.* 40. *p.* 95. *f. Mionet. tab.* 29. *f. et* 30).




675. In Sardonyche insculptum hoc aenigma Caylus (*IV. tab.* 55. *p.* 161) nobis proposuit simulatque haec addidit verba: „Le pays, qui a produit cette antiquité est prouvé en général par les caractères Phéniciens placés au-dessous de cet animal; je dis en général, par la raison, que ce peuple négociant et navigateur par conséquent avoit des habitations fort répandues sur les côtes. Je ne puis dire comment ces lettres doivent être lues; elles sont exactement gravées. - - Il est vraisemblable qu'on y trouveroit le nom du Graveur.“ - - Qua quidem viri docti conjectura licet nihil minus sit verisimile; noli tamen meliorem nunc a me exspectare, qui ne literarum quidem exploratam habeam potestatem. Quum enim characteres excavatos in gemma esse Caylus affirmet, haud scimus quorsum versae legendae literae sint. Siquidem fieri potuit, ut annulo signatorio gemma olim esset inserta: quo posito

omnia, quae ex gemma ipsa delineata sunt, inversa nunc videamus necesse est (§. 210). Neque literarum figurae illam expellunt dubitationem, quum haud semel literas singulas inversas, quin integram etiam Phoeniciam in numo inscriptionem dextrorsum versam (*Bild. u. Schr. II.* 141. 192. 193) observaverimus. Atque ad ista impedimenta plurium characterum insveta accedit forma. Primus quidem a laeva incipienti videri ס Phoenicium potest, sed retroversum. Secundus, qui literae B speciem prae se fert, mirus inter Phoenicios foret. Tertius ר esse videtur. Quartum autem varie explicare licet, prout ad unum vel alterum Semiticorum alphabetorum respiciamus. Multa igitur conjicere, sed certi nihil statuere licet.

676. Quae magis distinctae, sed dextrorsum spectantes, comparent literae prima et tertia me eo adduxerunt ut rectius ex imagine cera impressa delineandum hoc monimentum fuisse censerem. Phoenicias enim literas plerumque sinistrorsum legimus. Vide igitur si inversa inscriptio sic forsan legi poterit literis

in gemma
Phoeniciis



Hebraeis ו ר ס מ

Omnes enim Phoenicias literae ס formas nobis nondum cognitas esse supra (§. 673) suspicatus sum. Extremae *Vau* figura cum ea congruit, quam (*Bild. und Schr. II.* 154) in lateris frusto detexi, quod in Babylonis ruderibus repertum est. Confer si placet va-

rias etiam literarum ו et ס figuras a me (*in libr. cit. p.* 382 *et* 391) collectas. Sed dixerit forsan aliquis „demus veram hanc esse literarum lectionem, vox tamen illis literis composita nullum praeberet sensum.“ Recte hic quidem, nisi si conjicere liceat contractam vocem מסרו esse pro מאסרו. Quod si defendi posset, certe verborum *ex vinculis suis*, tauro effugienti adscriptorum, sensus neutiquam ineptus esset.



677. Annulus signatorius, quo inclusa haec gemma erat, in Cypro est repertus (*Clarke travels. II. s.* 1. *p.* 326). Inscriptio lectu difficilis; sed ex illo בן, *filius*, quod medio loco haud dubii legimus, recte colligitur, literis, quae praecedant, pariter atque illis, quae sequantur, nomina contineri propria, possessoris nimirum ejusque patris. Notissima enim res est non Graecos solum, sed totum etiam orientem filii nomini nomen addidisse patris. Quae vero nomina eo difficilius hic legi possunt, quo clarius ex pluri-


bus literis inter se junctis apparet manu currenti ideoque minus accurate (*v. Bild. und Schr. II.* 104. 163. 302) illa scripta esse. Prioris quidem nominis ab initio literae לב et in extremo ח satis distinctae sunt, ex quibus ל non nisi praepositivam literam esse jure conjicitur. Ac posterius nomen נשחר esse videtur. Sed reliquarum literarum omnino dubia est lectio et dubia etiam imaginis significatio. Quod ad insulam denique attinet, in qua annulus ipse repertus esse dicitur, conferas licet, quae de aliis in ea detectis Phoenicum monimentis olim (*Bild. u. Schr. I.* 203) disserui.



678. Qui amuletum hoc edidit (*Dubois choix des pierr. grav. Egypt. et Pers.* 1817. 4. *in fronte*) inscriptionem minime interpretatus li-

teras has Aegyptiacas similes iis esse, quae in lapide Rosettano conspiciuntur, sibi persvasit. Ego vero hanc inter utramque scripturam similitudinem nequaquam agnoscens Hebraeas potius literas videre mihi videor, antiquiori illas quidem forma, quae propius ad Phoeniciarum genus accedat. Quas igitur inter se collatas sic interpretor

Phoenicias
In gemma



אתיז לו שן

Latine: *Exscindam ei dentem*, pro *innoxium reddam* nimirum *hostem*. Verbi quidem נתז ex inconstanti Hebraeorum orthographia (§. 433) variam, praeter illam, formam et נתץ, et נתס, et נתש legimus sensu permanente eodem. Locutione ipsa orientis poetae pluribus locis (*Ps.* 3, 8, *et* 58, 7) utuntur, quibus *dentes evellere* idem est atque *vim frangere* inimicorum. Moleste sane fero non nisi mea auctoritate illam interpretationem niti, quae si vera esset, dilucide appareret recentioris Hebraeorum scripturae ex antiquiori Phoenicia transitus. Specimen etiam haberemus finalis *Nun*, quod quo minus cum *Sain* confunderem sola ejus longitudo me admonuit. Observatu praeterea dignum illud literae ש impositum signum est, quod pro nota lectionem adjuvante equidem habeo, de cujusmodi signorum genere viros doctos non ita pridem (*Heidelb. Jahrb.* 1824. *p.* 446) admonui.



Consulto ex Semiticis inscriptionibus, quae Graecis scriptae sunt literis, selectam hanc primo loco posui, quo clarius pateat, quantopere alienae a sermone literae interpretes turbent, adeo ut quae intellectu sint facillima legant relegantque, sed nihilo magis capiant. Victoriam in gemma illa a Capello (*n.* 53) edita quilibet agnoscet qui ubique fere similes ejus imagines in permultis aliis conspexerit monimentis (*Mus. Flor. II. tab.* 70. 71. *IV.* 71. 79. 96. *sequ. Cayl. III. tab.* 83. *n.* 4. *Burm. ad Dorvill. Sic. tab.* 4. *Montf. I. tab.* 208. 209. *IV. tab.* 106. *V.* 189. *Mus. Pio-Clem. V. tab.* 31. *Mem. de l'acad. I.* 215. *XXIV.* 122. *Camden. Britan.* 851. 1101. *Choul. rel. Rom.* 52. 152. *Banduri num. I. p.* 2. 79. 92. 315. 317. 325. 356. 365. *II.* 417. 584. 599. *Agostin. dial.* 2. *p.* 50. *Wilde num. tab.* 24. *n.* 84. *Haym. I. tab.* 28. *f. Seguin. p.* 65. 183). Neque fore quemquam qui ignoret, arbitror, imperatoris titulum pro nu-

679.

meris victoriarum fuisse auctum (*Dio Cass.* 52, 41. *p.* 692. *Reim.*) numerumque illum in numis et lapidibus annotatum (*Cayl. III. tab.* 68. *Eckh. VI.* 72. *VII.* 401. 402. *VIII.* 345), utpote in numis Augusti (*Graev. thes. V.* 62. 63) Caesaris dictatoris (*Biaei num. tab. IX. n.* 11) Sexti Pompeji Magni filii (*Occo cura Mediobarbi p.* 13. *Agostin. p.* 34. 59. *Beger. thes. II.* 574. *Salengr. II.* 482. *Spanh. II.* 184. *Mus. Farnes. I.* 1. *Winckelm. Gesch. d. Kunst II.* 779. *Wachter. arch. num. p.* 91) inscriptis IMP. ITER. et in Sullae denique denariis, in quibus omnibus literis perscriptum ITERVM est. Faciamus igitur in gemma nostra Victoriae fuisse adscriptum *Iterum*, nonne omnes gemmae sensum illico cepissent? At vero *Σνμ*, quod in ea legitur, idem est, modo pro Graecis literis Hebraeas שנים reponas. Videtur itaque hoc opus a Judaeo in honorem Romani alicujus imperatoris esse elaboratum.



680. Imago in hac gemma, a Pocokeo (*I. tab.* 65) edita, sacerdotis esse videtur, cujus caput Loto vel Perseae foliis ornatum.

Inscriptio duabus partibus constat, quarum alteram ABAAN. ΑΘΑΝΑΑΕΑ facile intelliges, modo memineris literam B et hac forma E vel Ǝ obviam esse (§. 198. 580. 616. 689), literamque A linea transversa saepissime carere. Latet enim in illis literis formula solemnis, de qua (§. 580. *sequ.*) pluribus disserui. Difficilior reliquorum verborum XPAMMAXMAPEI est explanatio. Quare nostri moris memores in aliis gemmis verba similia conquisivimus; in quibus gemma etiam ea est, quam Capellus (*n.* 20) male exscripsit, et Montfauconius (*tab.* 147) aeque vitiosam repetiit. Correctam igitur ex lapide ipso, quem Cassellis vidi, inscriptionem cum reliquis, quas reperire licuit, exhibeo:

KPAMAXAMAPL	(*Chiffl.* 35)
AKPAMMAXAMAPEI	(*Capell.* 20)
XPAMMAXMAPEI	(*nostra*)
AKPAMMAKPAMMAKAMAPI	(*Chiffl.* 69)
XAMAPEI	(*Montf. tab.* 166 *f.*)


Omnino extremum in primo exemplari characterem L debere I legi supra (§. 196. 197. 198) demonstravi; atque in sequentibus EI ab I non differre, etiam (§. 395) monui. Deinde bene notanda literarum K et X in iisdem verbis permutatio est.

681. Jam vero primae curae nobis esse debet, ut exploremus cuinam linguae verba illa sint tribuenda. Atque duo sunt quibus ad Semiticam adducamur. Unum quod observamus Alpha, ab initio modo praepositum, modo omissum, quapropter א esse vide-

tur, quo prima futuri denotetur. Deinde ratio verbum posterius scribendi modo literis XAMAPI, modo XMAPI opinionem excitat illud plene, hoc omissa vocali, Semitico more scriptum esse (§. 438. 708). Semitica autem si verba illa credamus, eorum radices sint necesse est XPM et XMP, quas ipsas apud Jesajam (27, 2) conjunctas כרם חמר legimus. Sed sensum amuletis neutiquam aptum praeberent voces illae, si cum interpretibus eas vertere vellemus *plantatio vineae!* Neque adeo certa Graecarum literarum potestas est, quandoquidem literam X pro כ, ח et ק, K autem pro ק, כ, ג et ח usurpatas esse (§. 440) vidimus. Sacerdotis quidem imagine fere eo adducebar, ut כמר lectum verterem *sacrificulum.* At vero non in omnibus eadem est imago: et observata illa literarum X et K permutatione voces quaerere praestabat, quae similem in Semiticis quoque admitterent. In Chaldaeorum maxime dialecto tales obviae sunt, in quibus כ, ק et ח alternant. Ita כמר sonat *abscondere,* קמר *obtegere* et *alligare,* תחמרא *tegumentum,* חומר *ligamen,* quin etiam *amuletum.* Accedit, quod quaecunque *tegendi* habent notionem verba, eadem et *protegere* significant, uti גנן, חפף, סכך sive שכך, סתר et Arabicum *Gaschi. Ligare* autem et *ligamen* usitata veteribus vocabula erant, quibus amuleta denotarent (§. 51. *sequ.* 139 *f.* 556). Quo fit ut קמר pariter atque כמר et חמר pro amuleto accipere liceat. In primo igitur exemplo inscriptionem sic explanandam esse conjicio, praesertim quum ABΔANAΘ, *accede ad nos pater* (§. 581) praecesserit:

KPAM	AXAMAPI
קרם	חחמרי
Liga	*amuletum meum.*

In ea, quae sequitur, illud A sive א, ab initio positum, nisi ex conjugatione Aphel id esse malueris, pro primae futuri nota haberi potest. In iis denique inscriptionibus, in quibus M geminatur, conjugatio aucta, instar formae שובב, קטלל, latere videtur. Quumque Hebraeum verbum כמר *consecrandi* etiam sensum habeat, in gemma nostra integram inscriptionem vertere fortassis licet: *Pater ad nos accede, consecra amuletum meum.* Quae certe interpretatio, quanticunque eam feceris, praeferenda tibi videbitur ei, quam Wendelinus (*ap. Chifflet. p.* 113 *ad n.* 69) protulit, qui in gemma *ακραμμα κραμμα καμαριΣ* legit, quamvis harum literarum extrema ad formulam, quae sequitur, *σες εγγεν* (§. 576) pertineat, et magis etiam inepte vertit: *simplicia, mixta, incurvata!* At vero geminata illa vox *κραμμα κραμμα* eum admonere debebat, non Graecam linguam, sed ex Semiticis dialectis aliquam adeundam, atque ex harum genio קרם קרם *ligando ligare* vertendum potius esse.



682. Hujus gemmae (*ap. Molinet. tab.* 30. *n.* 5 *et* 6. *Montfauc. II. tab.* 152) in adversa facie vir capite radiato laeva flagellum tenens perfectam praebet Solis imaginem. In circuitu lego Graecis literis scriptum COYMAPΘ. Aversa non nisi hoc inscriptum nomen habet XEPOYBI, quod Hebraeis literis substitutis est כרובי, *Cherub meus.* At priorem inscriptionem, quae quam plurimum negotii interpretibus fecit, Montfauconius (*p.* 565) se non intelligere fatetur. Audacior quam sanior Molinetus pro literis ΘC substituens K, et ab M incipiens, legit MAPKOY, ut nomen extorqueret haeresiarchae! Nonne admodum absurda ista de haereticis semper repetita sunt somnia?

683. Primum equidem Graecam esse inscriptionem conjiciens ΣΟΥ, a *σοω*, vertebam *serva*, quo facto ceteris contineri nomen proprium arbitrabar. Inspectis autem similibus inscriptionibus, in quibus idem semper nomen proprium vix inesse poterat, et observata in aversa facie nominis *Χερουβ* flexione; ad Semiticam linguam me converti. Quumque שמר non minus, quam כרוב, verbum

Hebraeum sit, et „*vigilare, custodire, servare*" sonet; idem esse vidi, quod in amuletorum inscriptionibus alia conceptis lingua *φυλασσειν, διαφυλασσειν, servare, conservare* (§. 340. 548) legitur. Atque ipsi veteres Judaicorum librorum interpretes Hebraeum שמר Graeco *φυλασσειν* reddiderunt, Reliqua est litera Θ, quae *τῳ* ת Hebraeo respondet, nec aliter explicari potest, quam ut שמרת, si pro verbo id accipiamus, secundam singularis esse, si vero pro nomine, in statu constructo שמרת, conjungendum cum *Cherubi* dicamus. Sed verbum omnino praeferendum est, et omnem dubitationem eximit alius gemmae haec inscriptio COYMAPΘA ΦΗΛΙΞ ΑΒΡΑΞΑC, quam Raspeus (*n.* 506) vertit *sumartha Felix Abraxas,* quod nihili est. Melius igitur שמרתָּ prima vox legenda erit, in qua extrema in Graecis A, pro *Kamez* posita, jam non sinit de nomine cogitare, sed ut secundam praesentis personam agnoscamus facit, quam *custodi* vertere licet, si praesens pro imperativo positum esse (*Gesen. gramm. maj. p.* 797) statuamus, vel *utinam custodias,* si ad Arabicae linguae usum respiciamus (*Rosenmüll. inst. ad fund. l. Arab. p.* 329). Nomine proprio *Felix* amuleti possessor denotatur, quod quamquam quarto casu positum esse debebat, ex linguae tamen ratione inflecti non potuit. Abraxas igitur ille est, qui Felicem ut custodire velit imploratur. In tertio quodam amuleto (*ap. Chiffl. n.* 35) legitur illud scriptum quidem COYMAPTA, sed inscriptionis auctor respexerit forsan *dagesch lene,* quod in Hebraea litera inest.

684. Jam vero quum ab antiquissimis inde temporibus (*Genes.* 3, 24) Cherub custodis munere fungi traderetur, opinio facile hominum animos cepit, nomini illi nunquam non adjunctam illius officii significationem esse (*Exod.* 25, 20). Etenim suum cuique homini tutelarem genium (§. 459) non solum Graeci et Romani (*Hesiodi op.* 122. 251. *Platon. Theag. T.* 2. *Bip. p.* 19 *sequ. Plutarch. de genio Socrat. p.* 585 *f.* 591. *Appul. de deo Socr. p.* 151. *Senec. epistola* 12. *Censorin. c.* 3. *Virgil. Aen.* 5, 95. *Servius ad* 6, 743. *Horat. epist.* 2, 2, 187. *Boissard IV. tab.* 137. *Montf. I. tab.* 200. 201) esse putarunt; sed Judaei etiam (*Exod.* 23, 20. *Ps.* 34, 8 *et* 91, 11) ipsique Christiani (*Matth.* 18, 10. *Ep. ad Hebr.* 1, 14. *Hieron. in Jesaj.* 66. *et in ep. ad Eustoch. Tertull. de anima* 57). Hinc in nostra inscriptione illud additum suffixum *mi* Cherub intelligitur.

ΑΒΡΑCΑΡΗΑΡΙΡΙΗΩΙΘΑΒΛΑΝΑΘΑΝΛΑΒΑ.

685. Hanc gemmae inscriptionem Josephus Scaligerus (*opusc.* 569. 572) Hebraeis literis הברח שר יי. והיטת לן אתה נא. ל. ב א redditam sic interpretatur: „*Fuga! Princeps dei, maledictos dei, et benefac nobis tu, obsecro te; in aeternum tu benedictus.*“ Quam quidem interpretationem, quum mediam in inscriptione syllabam AB vir


doctus prorsus praeterierit, falsam esse vel inde colligitur quod pervulgatam formulam ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ (§. 580 *sequ.*) ne agnovit quidem, sed verba in fine per siglas explicare conatus est. Quem refutaturus Salmasius (*de ann. climact.* 572) „prave descriptum" inquit „e lapide est ΑΒΡΑCΑΡΗ, ΑΡΙΡΙΗ, ΩΙΘΑΒ, et quae sequuntur. Debuit esse ΑΒΡΑCΑΞ ΙΑΩ. Ipsa inscriptio tota est Aegyptiaca non Judaica, ut frustra se torserit vir ille summus in eruendo sensu quasi ex Hebraicis verbis." - - Sed licet facile demus errasse Scaligerum; Salmasium tamen non magis verum perspexisse persvasum habemus. Quo enim jure qui gemmam ipsam nunquam vidit affirmare potuit perperam eam esse descriptam? Nonne eadem verba, quae *Abrasax Jao* emendanda esse censuit, in alia etiam gemma (§. 708) comparent; in qua praeterea nomen Abraxas omnibus perscriptum literis est? Num forte et illa eodem prorsus errore perperam descripta fuerint? Quod denique addit, totam inscriptionem Aegyptiaca lingua esse conceptam, nihili est, neque tantum virum decebat nullis argumentis allatis, ex sua ipsum auctoritate aliam alius sententiam perstringere. Quodsi inscriptionem haud intellexerat, qua quaeso ratione, contendere poterat, verba esse Aegyptiaca? Sin sensum assecutus erat, quare interpretis officio functus non est? Sed formula illa *Ablanath,* quam non esse Aegyptiacam omnes jam compertum habent, manifesti eum erroris convincit. Nihilo tamen minus Chiffletius (*p.* 65) qui in gemmarum inscriptionibus,

prorsus nihil vidit temere Salmasium secutus in Scaligerum invehitur.

686. Missa igitur formula illa, de qua plura jam verba feci, priorem inscriptionis particulam Semiticam quoque esse ex alio amuleto (§. 708) colligo, in quo ABPACAPEI legitur, quamvis nullum ex reliquis verbis Copticae linguae auxilio explicari possit. Quod enim in illius amuleti vocabulo diphthongus EI (§. 395), in nostrae autem inscriptionis eadem voce litera H (§. 423. 431) pro I legitur, hoc rei peritorum nemo jam mirabitur: quapropter utroque loco Hebraeum *Jod* iis notatum, verbaque sic distinguenda et explicanda esse censeo:

ABP	ACAPH	APIPI	HΩIΘ
אביר	עזרי	ארר(י)	הוּת
Fortis	*adjutor meus*	*abigens*	*calamitates.*

Non enim tantum *maledicendi* notionem verbum ארר habuisse, sed etiam *abigendi* Schultensius, ad Arabicam dialectum recurrens, mihi quidem persvasit. Jod autem additum mere paragogicum (*Gesen. gr. maj. p.* 159) vel ex quadam scriptori pronuntiatione peculiari natum esse videtur.



687. „Vix dubitari potest" inquit Montfauconius (*Suppl. II. p.* 212 *ad tab.* 55. *n.* 5) „hanc gemmam destinatam fuisse curando morbo, qui elephas et *elephantiasis* appellabatur." Ne vero verba inscripta, in quibus praecipue omnis gemmarum explanatio vertitur, intacta reliquisse videretur, nomina ea esse (*p.* 213) contendit potestatum coelestium a Basilidianis (!) omnia excogitata." Unde hoc sciret vir ille celeberrimus nobis nec prodidit, nec prodere sane potuit. O terque quaterque beatum interpretem, qui in ejusmodi interpretationibus acquiescere, verbaque a se haud intellecta nomina esse propria sibi persvadere potuerit, quamvis ne unum quidem fando audierit vel legendo unquam cognoverit.

688. Equidem, imaginem contemplatus, elephantum oleastro sumto ut veneno forte devorato occurreret (*Plin.* 8, 28, 41) videre mihi visus eram, vel elephantum ramum ablaturum, ut novae


Lunae eam offerret (*Aelian. N. A.* 4, 10). Sed verbis inscriptis attentius examinatis ex iis omnia alia exire videbam. Quam tamen conjecturam proferre vix ausus eram, nisi sententiam qualem ex verbis erueram, tam cum imaginibus, quam cum Montfanconii opinione, gemmam remedio contra elephantiasin fuisse adhibitam existimantis, amice conspirare vidissem. Atque etiam Orphicus (*proem. de lapid. v.* 51) hunc morbum gemmis sanari posse, affirmaverat. Et si qua terra illi malo obnoxia, profecto Aegyptus ea erat, cui plurima amuleta originem debere saepenumero (§. 55. 342. 588) monuimus. De multis eo morbo per Aegyptum laborantibus digni sunt qui consulantur Plinius (26, 1, 5) Marcellus Empiricus (*c.* 19. *f. p.* 130) Warnekrosius (*in Eichhorn. repertor. XIV.* 274) et Cuperus (*de eleph. in Salengr. thes. nov. III.* 207). Addatur eis Alpinus, qui (*in hist. Aeg. natur. I.* 77) malum hoc nomen invenisse demonstrat „a crassitudine pedum, quippe qui similes fiant magnorum elephantorum." Ac parilem pedum in Aegypto morbum descripserat olim Thevenotius (*voyage au Levant.* 1665. *P.* 2. *c.* 80. *p.* 518). Manethon tamen (*apotelesm.* 1, 53) nomen morbo inditum fuisse a colore contendit, qui idem sit atque elephantorum.

689. Ex literis unica tantum Ǝ inversa dubia esse potest. Sed pluribus exemplis (§. 193. 580. 616. 680) edoctus B eam lego. Nec profecto Montfauconius sic eam legisset, nisi in gemma ipsa B vidisset. Inscriptionis igitur verba ita distinguere placet, ut He-

braea inde exeant, quibus versionem ad verbum quidem factam subjungimus:

KICP	ACIΦEP	MXN		OYNP	
קשר	הספיר	מכן		ונחר	
Alliga	*hanc gemmam*	*ex recta*	*dispositione;*	*et exsiccabitur*	
ACA	BOK	AO	BAPA	XΩ	BN
אול	בהק	לא	ברא	כה	בן
evanescens	*pustula.*	*Non*	*depasce*	*sic*	*fili*
AM	MΩC	IAKHP			
חם	מעץ	יקר			
caloris	*ex arbore*	*meliorem partem.*			

Vocem נחר a חרר deduxi (*Ps.* 69, 4). Ad vocem BOK observes velim tradente Alpino (*p.* 77) hodieque vitiliginem in elephantiasi ab Arabibus in Aegypto *Bach* appellari. In בן-חם verborum quidam lusus animadvertitur. Namque tam elephantus, quam morbus ille, quem a calore originem trahere quidam ferunt, *filius caloris* dici potuit. Arbor, quam depascit elephantus, cum corpore humano, quod a morbo correptum est, comparatur. Horrendum hunc morbum et Romanis visum fuisse ex sepulcrali titulo (*Murator.* 1298 *f.*) patet, quo auctor *elephantiasin* imprecatur ei, qui sepulcrum violaverit.



690. Edidit hoc amuletum Fabrettus (*p.* 536), ejus autem significationem ne verbo quidem attigit. Ipse etiam Montfauconius denuo (*II. tab.* 144) id proferens, nihil in eo se intelligere professus est. Neque alium quemquam interpretem hoc longo temporis spatio praeterlapso gemma invenit. Cujus inscriptiones posthac allaturus nunc quidem imagines pro virili parte explicandas mihi sumsi. Gemma enim haec ea est, ex qua figuram, quae in aliis innumerabilibus comparet, et a plurimis Abraxas vocatur, me per partes descripturum esse (§. 589) promisi, ut tandem quid tot symbolis conjunctis significare voluerint veteres, hodie intelli-

geretur. Praetermissis igitur iis, quae in genere de monstrosis ejusmodi figuris, et in specie de Taciti opinione, „Aegyptios animalia effigiesque *compositas* venerari," (§. 49) diximus, unum adducere praestat Porphyrium, qui (*de abstin.* 4, 9. *p.* 322 *et ap. Euseb.* 3, 2, 4. *p.* 93), postquam contenderat, divinum numen non hominem solum permeare, sed omnia prope animantia, ita pergit: „Aegyptii ad deorum fabricam omne *animal una cum homine* adsumserunt: in qua et pecudum et hominis, et avium item et hominis corpora *commiscuere.* Singulae enim apud ipsos deorum statuae vel usque *ad collum humanam speciem* praeferunt, faciem vero, vel *avis*, vel *leonis*, vel *alius animalis*, impositam habent: vel e contrario capiti humano subjectum alterius animalis corpus praemonstrant. Ex quibus videlicet significant haec ex deorum sententia habere inter sese societatem: nobisque cognata tam mansveta quam agrestia animalia non sine divina quadam voluntate esse." Verane sit an falsa haec hujus philosophi explicatio, nunc non discutimus, hoc tamen pro comperto habentes haud sine causa, nec sine recondito aliquo et altiori sensu Aegyptios fingendis istis figuris tantopere a natura recessisse. Contra quidem Lactantius (*inst.* 2, 13. *p.* 147) „Aegyptios" ait „portentificas animalium figuras coluisse, quibusdam prodigiis inductos, quorum auctores *mali daemones* fuerint (*add.* §. 49 *et Tertull. ad nation* 2, 8 *f.*). At vero Christianis doctoribus id vitii inhaesisse videtur, ut de omnibus, qui alia sequerentur sacra, inhumane

et inique judicandum sibi sumerent. Aequius certe Maximus Tyrius judicium (*diss.* 38 *f.*) hisce verbis tulit: „Animus modo deum proponat sibi! sive memoriam ejus Graecis ars Phidiae, sive Aegyptiis animalium cultus, sive aliis fluvius, sive ignis aliis repraesentet. Intelligant modo *quem* colunt" (*conf.* §. 51).

691. Ex recentioribus Camillus Leonardus picti illius, quem Abraxas vocant, sensum se assecutum esse persvasum habebat. Duobus enim libri sui (*specul lapid.*) locis de hac imagine agit, ac priori quidem (*L.* 3. *c.* 6. *p.* 49) hisce verbis: „In meo Jaspide figura est habens caput galli, corpus totum usque ad crura hominis thorace tectum, sinistra tenens clypeum, dextra vero flagellum, et crurum locum ac pedum duae viperae supplent; quae partes figurae si bene considerantur, lapidis virtutem indicant." Obscura sunt extrema haec verba: sed paulo clarius postea (*p.* 58 *versa*) scribit: „Hominis imago in Jaspide habentis scutum in sinistra et in dextra idolum, vel aliquid bellicosum, et loco *pedum* sint *viperae*, et loco capitis hominis sit *caput galli*, sive *leonis*, et cum *thorace.* Hic lapis sic sculptus virtutem contra inimicos, ac victorem gestantem reddit, et ad venena valet. Sanguinem quoque stringit a quocunque loco fluat." - - Atque haec omnia, quantumvis absurda, repetita leguntur in libro qui inscriptus est: Veterum sophorum sigilla (*p.* 18. *nomine Thaletis*). Quod *invictum* fore isti scribunt, qui ejusmodi amuletum, capite galli gallinacei insignitum, gestaret, hoc originem traxisse videtur a fabu-

la de gemma *alectoria*, quam in ventriculis gallinaceorum inventam in certaminibus invictos reddere gestantes vulgus credebat (*Plin.* 37, 10, 54. *p.* 787. *Isidor. etym.* 16, 13, 8. *T.* 4. *p.* 277).

692. Quoniam autem nulla horum scriptorum penes nos est auctoritas; missis eorum commentis satius erit in singulas illius imaginis partes paulo diligentius inquirere. Primum quum obvium sit galli caput, reminiscamur, non solum ab Aegyptiis volucrum capita in deorum symbolis esse habita (§. 487) sed Zoroastrem etiam in Persicorum rituum commentario deum quasi accipitris capite insignitum descripsisse, atque in Ostanis quoque doctrina, qualem Eusebius (*I*, 7, 10. *p.* 42) nobis tradit, idem legi. In amuletis autem galli gallinacei capite significari vigilantiam conjicimus; maxime in gemma nostra, in qua omnia fere ad *tutelam* designandam convenire videntur. Gallinaceus animal Solare erat (*Proclus de mag. p.* 277) vel Soli sacrum (*v. symb. Pythag. et Jambl. in ej. vita p.* 70 *et* 124) eundemque vigilantissimum nuntiare Solis reditum Pausanias (5, 26, 5) observat. Ac vel ante Solis ortum illum canere, neque unquam Solem orientem illum fallere alii (*Lucian. Gall.* 3. *f. T.* 6. *p.* 294. *Aelian. nat. animal.* 4, 29) animadvertunt. Unde Plutarchus (*de Pyth. orac. p.* 400) docet „qui gallum, in manu Apollinis insidentem pinxit, matutinum voluit tempus significare et Solis ortum appetentem.“ Qua occasione oblata interpretis notetur error, qui Aesculapium pro Apolline substituit, adeoque Thomasino fucum fecit, ut in doctis-

sima de donariis commentatione (*p.* 218. *sive in Graevii thesauro XII.* 866), Graecis Plutarchi verbis neglectis, incaute Aesculapio tribueret, quae de Apolline erant dicta. Praeterea gallinaceo idem quod Soli nomen Graecum olim fuisse videtur. Neque erat quod dubitaret Gesnerus (*in commentar. Gotting. III.* 69) Solem dici potuisse ἀλέκτορα, quum hoc nomen gallus gallinaceus jam occupasset. Pluribus quidem Homeri versibus demonstrat ab *antiquissimis* inde temporibus Solem ἠλέκτορα potius appellatum fuisse. Sed minime recordatus vir doctissimus erat, *antiquissimis* temporibus Graecos vocali H prorsus caruisse. Gallinacei autem in amuletis symbolo aliam quoque causam interdum subfuisse credibile est. Homines enim superstitiosi (*Philostr. in vita Apollonii* 4, 5. *f. p.* 173. *Euseb. c. Hierocl. Op. II. p.* 529) sibi persvaserant galli cantu spectra vel malos daemonas arceri et dissipari; quos jure ridet Lucianus (*philops. T.* 7. *p.* 264). - - Atque haec sunt quae de illo symbolo ego quidem sentio. Sed dissimulare nolim, a Begero (*I.* 86) interpretationem a mea prorsus diversam, magisque piam, esse adlatam. Etenim „caput gallinaceum," inquit „et rostro armatum et radiata christa ornatum, quidni significare poterit *spiritus sancti merita*, quibus et *de peccatis* monemur et ad sanctiorem vitam illustramur?" Haec ille. Habes nunc e quibus eligas.

693. Serpentibus, in quos monstri crura desinunt, prudentiam significari Bellermannus quidem (*I.* 54) arbitratur. Et certe ipsam

sapientiae deam legimus serpentum fuisse refugium ac tutelam (*Virgil. Aen.* 2, 225. *Hygin. astr.* 2, 13. *p. Munck.* 377. *Plutarch. de Is. p.* 381). Unde additum ei anguem in permultis monimentis videmus (*Donii inscr. p.* 21. *Passer. tab.* 99. *ejusd. lucern. I.* 63. *Mus. Pio-Clem. IV. tab.* 6. *Murat. inscr. p.* 52. *Agostin. dial. p.* 169); atque huic animali ab ipsis etiam Christianis sapientiam tribui (*Matth.* 10, 26. *Epiphan. haer.* 37, 8. *p.* 274) constat. Nihilo minus aliam serpentum significationem in nostra gemma esse conjicere licet. Ex veterum enim opinione istud animal *custodis* officio fungebatur (*Pausan.* 10, 6, 3. *Apollodor.* 1. *p. m.* 23. *Curnut. in Gal. opusc. c.* 20. *p.* 186. *Hesych. v. οἰκουρὸν*), atque Macrobio (*Saturn.* 1, 20) et Festo (*v. dracones*) tradentibus „aedium, adytorum, et thesaurorum custodia serpentibus demandata erat.“ Quapropter ipsi *Tutelinae* deae anguem comitem esse (*Boissard. V,* 8. *Montf.* 1. *tab.* 203) videmus; et draconem quum velleris aurei, tum malorum aureorum custodem fuisse legimus. Primum quidem crura illa contemplanti similia in mentem veniant necesse est Titanum vel gigantum (*Macar. ap. Chiffl. p.* 37. *Liceti gemm. p.* 153. *Rasp. tab.* 19, 20, *et* 26. *Gorl. II.* 324. 325. 489. *Cayl. III.* 98. *IV.* 30. *Mus. Flor. I.* 57, 7. *II.* 35. *Schlichtegr. in Stosch. I. tab.* 23. *II. n.* 106–108.) qui gigantes cum Titanibus confusi a multis deinde sunt scriptoribus. At vero quo minus monstrum illud cum gigantibus confundamus, aliae gemmae prohibent, in quibus illi ipsi, gladio armato, adscriptum legimus γι-

γαντοϱηκτα, quo itidem sententiam meam, monstrosa ista figura denotari Solem, magis etiam stabiliri infra demonstrabo. Sol quidem ipse *Titan* saepe vocatur (*Orph. in hymn.* 77, 3. *Albric.* 12. *Munck. p.* 316. *Pap. Stat. Theb.* 1, 717. *Ovid. met.* 2, 118. *fast.* 1, 617) et certe τιταν φαιτων apud Manethonem (5, 148) perperam a Gronovio vertitur *Titan Jupiter:* sed hoc nomen Sol tantum invenit, quia ipse Titanum e genere erat, et hoc cognomine olim quasi honorifico appellabatur. Notanda praeterea in gemma nostra sunt illius serpentis, qui loco dextri cruris est, bina cornua. Namque Herodotus (2, 74) „circa Thebas" inquit „sunt sacri serpentes nihil omnino hominibus noxii, pusillo corpore *binis* praediti *cornibus* e summo capite enatis." Iidem fortassis erant quos Heliogabali (*Lamprid. c.* 28) adhuc temporibns Aegyptii *agathodaemones* nuncupabant (§. 487).

694. *Flagellum*, quod dextra tenet monstrum, imperii et regiminis signum quum in hominibus fuisse, tum in diis, animadvertimus. Inter *muta* apud Romanos *signa* Vegetius (*de re mil.* 3, 5. *f.*) refert „flagellum, quo belli dux more barbarico quae fieri vult significet." Quibus verbis Svidas lucem afferre videtur, Indos memorans in bello flagellis uti tubarum loco. Tacet quidem Lipsius (*de milit. Rom. L.* 2. *dial.* 12) de illo imperatoriae potestatis symbolo. Non autem solum in Byzantinis numis (*Bandur.* 2. *p.* 570) Bonifacius dux quadrigis vectus manu flagellum tenens pingitur; sed triumphantibus etiam imperatoribus Romanis institutum erat,

ut suspenderentur e curru nola et flagellum; quibus tamen symbolis Zonaras (*annal. VII*, 21. *p.* 353) omnino aliam significationem tribuit.

695. Aegyptii quidem, qui deos navigiis vectos repraesentare solebant (§. 238. 507. 609, 649), *regimen* significabant navis gubernaculo. Confirmat hoc Jamblichus (7, 2. *p.* 151) scribens „ubi in symbolis deus tanquam *navis rector* est, id ostendit potestatem mundi gubernatricem. Sicut enim gubernator navis adstat clavo, eodem modo et Sol mundi totius temonem regit.“ Graecorum autem et Romanorum diis currum agentibus, opus omnino erat flagellis. Quare ea et ab aliis manu teneri observamus, veluti a Marte, Luna, Aurora, Victoria, maxime autem Soli hoc symbolum tributum esse videmus, qui „flagello stridulo quatuor temporum agit currum.“ Atque hunc ex Orphei hymno (7, 19) locum imitatus est Prudentius (*c. Symach. L.* 1. *v.* 344) hisce versibus:

Hoc sidus currum rapidasque agitare quadrigas
Commenti, et radios capitis et verbera dextrae.

Ab eodem etiam symbolo argumentum petit Macrobius demonstraturus Assyriorum Jovem (Bal) Solemque unum eundemque esse. Quod tam ex sacrorum ritu, quam ex habitu dignosci (*Saturn.* 1, 23) ait; „namque simulacrum aureum specie imberbi instare, dextra elevata cum *flagro* in *aurigae* modum.“ Hinc Plinius (2, 6. *init.*) Solem coeli rectorem et principale naturae regi-

men esse affirmat. Hinc Macrobius (*Sat.* 1, 23) „alato curru velocitatem sideris vult intelligi, et Sol" inquit, „quia, in quocunque signo fuerit, praestat omnia signa et sidera signorumque praestites deos, videtur cunctos deos ducatu praeire ornando cuncta ordinandoque; atque ideo velut *exercitum* ejus ceteros deos haberi per duodecim signorum partes distributos." Ecquis hic non meminerit Judaeorum אלהי צבאות (§. 480)? Hinc Zoroastres (*ap. Euseb. I. f. p.* 42) deum dicit ἡνιοχον παντος καλου, quam etiam magorum doctrinam Dio Chrysostomus (*orat. Borysth.* 36) laudibus extollit. Hinc aurigam currus Israel deum praedicant Judaei (4. *Reg.* 2, 12). Hinc denique Philo Hebraeus (*Op. p.* 360) Abrahamum animadvertisse, ait, ειναι τον κοσμον τινα ἡνιοχον.

696. . Per flagrum igitur auriga significatur, per aurigam rector. Atque Soli inprimis ex opinione vulgo recepta in imaginibus tribuebatur hoc insigne (*Montf. I. tab.* 64. *II. tab.* 144. 157. *Liceti gemm. annul. p.* 251. *Passer. tab.* 39. 40. 42-44 *et in ej. Lucern. I. tab.* 75. *Gorlaeus II. n.* 70. 326. 329. 330 *sive Chiffl.* 1. 3. 4. 5. *Mus. Flor. II. tab.* 88. 89. *IV. tab.* 89. *Biaei num. tab.* 55. *n.* 17. *tab.* 61. *n.* 3. *tab.* 64. *n.* 22. *Mus. Pio-Clem. IV. tab.* 18. *Cayl. VII. tab.* 79. *n.* 2. *Pignor. magnae deum matris init. p.* 6. *Capell. n.* 49. 71. 155) unde id etiam Horo semper fere addebatur. Adeo ut ubi, Solis capite solo picto, manus abessent, flagellum nihilominus adpingeretur (*Mus. Flor. II. tab.* 89), quemadmodum in hac gemma a Passerio (*tab.* 2) edita perspici potest:



Solem etiam imitaturus Nero (*Sveton. c.* 53) audire voluit Caesar Apollo, sive Nero Apollo (*Dio* 61, 20. *p.* 1000. 63, 20. *p.* 1041. *conf. Lucian. Nero. T.* 9. *p.* 296): ac similiter Caracallam (*Dio* 77, 10. *p.* 1296) legimus propter aurigandi peritiam voluisse se huic numini aequiparari. Unde in numis Neronem videmus *flagrum* dextra tenentem (*Graev. IX.* 124); in gemma etiam eundem Solis radiis ornatum et quadrigis vectum, addita inscriptione NEPUN ΑΓΟVCΤΕ (*Caylus I.* 86).

697. Quid igitur mirum in illius monstri manu videre flagellum, quum ejus imagine ipsum Solem denotari vix dubitare liceat (§. 124. 460. 566. 589. 700). Neque obstat flagrum illud quo minus totam imaginem inventam esse in Aegypto putemus. Quod enim supra (§. 695) differre diximus inter Aegyptiorum et Graecorum vel Romanorum significandi regiminis rationem, id nec semper, nec sine exceptione valuisse, tum clavus sive gubernaculum testatur, quod tam Vespasiano (*Agost. dial.* 2. *p.* 57 *f.*) quam Fortunae

aliisque Romani ipsi tribuerunt, tum flagellum, quod adscripsisse Aegyptios Osiridi (*Montf. II. p.* 289) plurium fert opinio, licet dubiis haud levibus obnoxia. Instrumentum enim, quod in antiquissimis Aegyptiorum monimentis manu tenet Osiris hoc:  magis aptum videtur granis ex frugibus excutiendis (*v. Belzoni tab.* 5, 19. 43), quam jumentis incitandis. Quumque Aethiopum perinde atque Aegyptiorum sceptrum, docente Diodoro (3, 3) agriculturae instrumenti, nimirum aratri haberet formam; satius videtur hac de re nihil adhuc decernere, praesertim quum Romanus etiam poeta (*Tibull.* 1, 8, 28) cecinerit:

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.

698. In amuletorum autem imaginibus aliam praeterea flagelli causam subfuisse credere licet, quam hoc loco praetermittere nolim. Aperit eam illud apud Lactantium (1, 7) Apollinis responsum: „daemonas qui circa terram et mare vagentur, *flagello* domari dei." Quam sententiam suam fecit Proclus egregio in Solis laudem hymno (*Fabr. bibl. Gr. VIII.* 511) canens

Te vero metuunt tua si quid flagra minentur
Invisi nobis genii semperque feroces.

Eadem de causa Hecatae quoque, cui subjecti erant daemones (§. 619), plerumque flagrum affingitur (§. 618).

699. Videmus porro imagini in gemma nostra attributum esse *clypeum*, quod inde ab antiquissimo tempore manifestum praestan-

dae tutelae (§. 252) erat symbolum (*Genes.* 15, 1. *Deuter.* 33, 29. *Ps.* 3, 4. 47, 10. 84, 10. 89, 19. 91, 4. 113, 10; *et* 2 *Sam.* 22, 31); unde Hebraeorum poetae (*Ps.* 84, 12) deum appellarunt שמש ומגן, *Solem et clypeum*, et recentiores Judaei inciderunt in amuletis (§. 59. *Reichelt. tab.* 5. *n.* 1) מגן דוד, *scutum Davidis.* Hinc quoque Romanorum vulgus ancile coelitus lapsum venerabatur. Ipsi autem Soli Martianus Capella (*I. p.* 20) „*clypeum* tribuit *corruscantem.*"

700. Stella et Luna, quae in inferiori gemmae loco incisae sunt, in permultis ac diversi generis monimentis observantur (*Boissard. III.* 94. *Spon. recherch. p.* 124. *Molinet.* 131 *p.* 9. *Chifflet.* 40. 64. *Capell.* 5. 22. 39. 62. 84. 173. 185. 189. 228. *Passer.* 10 *et per tot. fere op. Biaei num. tab.* 35. *n.* 18). Quorum tamen astrorum significatio non una fuisse videtur. Quamvis enim Eckhelius (*VII.* 181) in numis (*Agostin. dial.* 2. *p.* 35. *f.*) Sole et Luna conjunctis aeternitatem designari doceat, ac stella pro Sole facile accipi possit; multae tamen gemmae (*Capell.* 5. *Passer.* 31. 32. 35. 39. 43. 44. 45) praeter stellam et Lunam simul ipsum exhibent Solem. Certe Luna et stella (*Passer.* 182), bubulci imagini additae, aeternitatem vix denotare possunt; sed potius, me quidem judice, bubulci officium ne noctis (*v. Horapoll.* 2, 1) quidem interventu cessare. Ad amuleta propius accedunt quae de illorum astrorum vi atque effectu infra ad Graecas gemmarum inscriptiones afferemus. Quumque Luna et stellis coelum significari

docuerimus (§. 248), in eodem coelo Solem etiam monstro illo denotari veri est simillimum.

701. Quas hactenus descripsimus imagines circumdat *serpens in gyrum coactus.* Macrobium si audias (*Saturn. I,* 9) Phoenices fuere, qui mundi (latissimo verbi sensu) imaginem in sacris expressuri draconem fingerent in orbem redactum caudamque suam devorantem; ut appareret mundum et ex se ipso ali et in se revolvi. Praeterea duo Horapollinis loci hic respiciendi sunt. Quorum prior (*hier.* 1) ita habet: „Aegyptii aevum (*αἰῶνα*) exprimere volentes serpentem pingunt, cujus cauda reliquo involvatur ac tegatur corpore.“ Altero loco (*hier.* 2): „Mundum (*κόσμον*) exprimere volentes serpentem pingunt, *qui suam ipsius caudam rodat,* variis interstinctum *squamis:* per squamas quidem stellas, quibus coelum mundusque distinctus est, obscure indicantes.“ Utrumque confudit Claudianus, qui (*laud. Stilic. L.* 2 *f.*) pulchris hisce versibus aevum canit:

> *„Est ignota procul nostraeque impervia menti*
> *Vix adeunda deis annorum squalida mater,*
> *Immensi spelunca aevi, quae tempora vasto*
> *Suppeditat revocatque sinu. Complectitur antrum*
> *Omnia qui placido consumit numine serpens*
> *Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto*
> *Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.“*

Quibus de aevi natura dictis in memoriam redeat necesse est Sa-

turnus, quem liberos suos devorasse mythologi tradunt. Illo enim tempus ipsum repraesentatum esse nemini non vel e Cicerone (*nat. d.* 2, 25) est notum. Quam vero de mundo Horapollo affert imaginem, eandem Servius (*ad Aen.* 5, 85) *anno* tribuit; atque illum ad verbum exscripsit Isidorus (*etym.* 5, 36, 2. *Op. III.* 229), illiusque etiam vestigia premere videtur Martianus Capella (§. 232). Quorum tamen scriptorum auctoritas non tanta est, ut alias omnes opiniones e medio tollere valeat. Certe Porphyrius omnino aliam Aegyptiorum mundi imaginem protulit (*ap. Euseb.* 3, 4, 11. *p.* 115). Nec de gemino apud Horapollinem serpentis symbolo est quod dubitemus. Cyrillus enim (*c. Julian.* 9. *p.* 300), quem saepe negligi a viris doctis animadverti, hieroglyphicas notas recensens haec inserit: „aspidem, ut coelum eo designent, pingere (Aegyptii) dicuntur propterea quod in gyrum volvitur. Serpentem, ut tempus, quoniam longum et volubile est.“ Sed ad gemmam nostram explicandam praesertim posterior ille Horapollinis locus facit. Serpens enim, quem in illa incisum videmus, non solum *caudam vorat*, sed *squamae* etiam apparent, qua utraque re conjuncta coelum, isto quidem scriptore teste, significetur: in cujus medio loco monstrum illud positum Sol est.

702. Quibus omnibus perpensis facile intelligitur quo pacto conciliari possint diversae illius symboli interpretationes. Generaliora enim nobis aperit Porphyrius, qui (*ap. Euseb.* 3, 3, 7. *p.* 98) „Aegyptii“ inquit „circulum et quae circularis sunt figurae partim diis,

partim aeternitati, partim coeli motui assignarunt." Quae quidem eorum doctrina Graecis deinde (*v. Roether. ad Laurent. Lyd. p.* 20) pariter atque Romanis (*Cic. de nat. deor.* 2. 18) placuit. Ejus autem origo haec fuisse videtur. Circuli quum animadverterent neque initium, neque exitum posse definiri (*Hygin. astr. I.* 1. *p.* 347) cum aeternitate eum comparabant (§. 233). Quapropter non solum mundum, ob rotundam figurae formam (*Platon in Tim. X. Bipont. p.* 8) et sempiternam motionem in orbem (§. 234. *Ocell. Lucan. c.* 1. *Gal. p.* 514. *Goens. ad Porphyr. de antro c.* 9. *p.* 97) sphaerae symbolo (§. 527) notabant; sed eodem dei etiam aeternitatem (*Senec. epist.* 113. *p.* 645). „Aegyptii enim," Anastasius Sinaita (*in hexaemer. L.* 1) refert „sacra ratione draconem, qui caudam vorat, pyramidibus insculpunt, aeternam et individuam circumactionem divinarum rerum significantes." Certe alia omnino deorum simulacra populo conspicienda sacerdotes praebebant, alia in secretis recessibus habebant, *sphaeras* videlicet in arcis servatas. Ita enim Synesius intelligendus est, neutiquam quemadmodum Galeus (*ad Jamblich. p.* 289) ejus verba Latine reddidit. Deum *gyro similem* Chaldaei etiam praedicabant (§. 235 *f.*) haud secus ac Trismegistus et Empedocles fecisse videntur (*Gal. l. c.*). Atque ad ipsos etiam Christianos hujus symboli notionem pervenisse, ratio docet quam afferunt cur episcopi annulus debeat esse *rotundus?* Respondetur enim „propter *aeternorum* contemplationem" (*Boldett. p.* 504. 505). Ex hac igitur gene-

raliter recepta opinione Martianus quoque Capella (1. *p.* 36) „virgini Philologiae" scribit contigisse „*rotunditatis arcanis* susceptis *aeternum* sine mortis legibus aevum." Ex eadem opinione equidem illud serpentis in gyrum adacti symbolum adverbio ἀεὶ supra (§. 267) explicare non dubitavi. Semper denique aequabili coeli motu, quem *orbem* Virgilius (*Georg.* 1, 231) appellat, annos effici quum viderent, quorum dies reditu *continuo* sese exciperent, in hosce etiam illud symbolum transferebant. Hinc illud (§. 234) Martiani de tempore aenigma: hinc forsan in Abraxas nominis etiam literis numerus dierum anni creditus, quippe qui ex Solis cursu penderet (§. 454).

703. Atque haec sunt, quae de imaginum significatione in adversa amuleti facie incisarum conjectura assecutus esse mihi videor. Inscriptionum autem mitto eam quae in margine exstat, quoniam tres habet lacunas, quae omnem interpretandi conatum frustrantur. Literae tamen ΠΥΝΟΗΛ, quae ad sinistrum figurae latus legi possunt, angeli nomen פנואל sive פניאל, e Genesi (32, 30) petitum, exprimere videntur, quod *dei facies* sonat. Exstitisse hujus nominis angelum Beda testatur, qui saepenumero ejus mentionem facit (*in Gen.* 32 *f. Op. IV.* 69. *Luc.* 2. *V.* 245. *Homil. VII.* 200). Idem angelus in veteri etiam calendario (*Cancellier. de secretar. II.* 1013), legitur, in quo *Paniel* quidem, a Beda autem *Phanuel,* nomen scribitur. In interiori gemmae gyro, quamvis literae A forma admodum variet, haec tamen haud dubie legun-

tur: ΙΑΩ (§. 468) ΑΔΩΝΑΙ (§. 481) ΕΛΩΑΙ (אלוהי) ΑΒΡΑCΑΞ (§. 452) ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ (§. 580), quarum literarum duae extremae ob spatii angustiam a reliquis divulsae super flagrum sunt positae. Difficilior eorum est interpretatio, quae columnarum instar (§. 215) utrique imaginis lateri adscripta leguntur. Varias enim admittunt interpretationes, ex quibus equidem hanc eo magis elegi, quod Graeca litera Z pro Hebraeo ז saepissime usurpatur:

CBAIΩΘ	ZIPΗN
שבעת	זירין
Septem	*coronae.*

Chaldaica haec vox est; et illas intelligo coronas septem, quibus secundum Judaeorum placita (*Buxtorf. synag. c.* 1. *p.* 32) deus coronabit justos.

704. Contemplemur nunc aversam gemmae faciem, in qua virum videmus insignitum capite leonino (*Montf. p.* 359), cui septem additi sunt radii, in quibus duo formam habent cornuum cochleae (§. 705). Pectus videtur lorica tectum. Dextra anguem (§. 706), sinistra crucem dependentem (§. 707) tenet. Quae omnia vigilantiam significare et ad tutelam denotandam juncta esse haud sine causa arbitror. Capite enim leonis (*Plutarch. sympos.* 4, 5. *p.* 670. *Horapoll.* 19) Aegyptii vigilem aut etiam custodem denotabant, quoniam leonem vigilantem oculos claudere, dormientem vero aperire putabant (*Phile de animal. proprietat.* 57. *p.* 204). Atque

„hoc *custodiae* et *excubiarum* signum esse" observat Horapollo. Certe visus notio in ipso leonis nomine latere videtur, sive Hebraeum ארי a ראה, sive Graecum λεων a λαω derivaris.

705. In numis quoque leonem radiis Aegyptii ornarunt, ut hac nota Solem exprimerent (*Spanh. I.* 307. *Mus. Corton. p.* 28). Solare enim animal leo (*Proclus de sacrif. p.* 277) vel Solis est symbolum (*Laur. Lyd. de mens. excerpt.* 20. *p.* 28); quo etiam spectare videtur, quod Macrobius (*Saturn.* 1, 20) refert „apparuisse in proelio navali *leones* proris Gaditanae classis superstantes, ac subito naves hostiles exustas esse *radiis*, quales in *Solis capite* pingantur." Solis etiam radii quoniam omnia penetrant, vel certe assequuntur; ipse propterea Sol cuncta cernere et observare dicitur (§. 578). Attamen pro *duodecim* radiis, quibus insignitus Sol plerumque pingitur (§. 296) et a poetis describitur (*Aen.* 12, 163. *Mart. Capell.* 2. *p.* 43) hic non nisi *septem* caput circumdant. In quibus singulare mysterium latere Julianus imperator testatur, qui (*orat.* 5. *Oper. p.* 172 *f.*) „jam vero," inquit, „si arcana illa et mystica persequi velim, quae circa *septem radiis* insignem deum Chaldaeus celebravit, ut per illum animas in sublime provehat, obscura quaedam eloquar, et in vulgus ignota maxime; tametsi beatis illis hominibus, qui theurgicis sacris operantur, probe sint cognita." - - Quos inter radios duos *cornuum cochleae* instar effictos in gemma nostra videmus, hos cautelae et providentiae insignia esse nullus dubito. „Cornua enim" ut verbis Plinii (11,

37, 45. *p.* 614) utar, „sunt cochleis ad praetentandum iter, et ut resiliant," vel retrahantur si periculum adest. Adde quod oculis quoque instructa sunt ista cornua; unde illud apud Athenaeum (*L. X. c.* 83. *p.* 455) aenigma:

Ζωον ἀπουν, ἀνακανθον, ἀνοστεον, οστρακονωτον
Ὀμματα τ'εἰς κυπτοντα προμηκεα κ' εἰσκυπτοντα.

706. Nec sine causa in gemma vir ille leonino vultu insignitus anguem dextra tenet. „Ferunt enim," Macrobius scribit (*Saturn.* 1, 20), „serpentem acie acutissima et pervigili natura esse, quod etiam nominis fictione monstratur, quod sit nuncupatus ἀπο του δερκειν, id est *videre*" (*conf. Festus v. Draco*). Addere poterat alterum quoque serpentis nomen ὀφιν ab ὀπτομαι deduci. Ita et Horatius (*Sat.* 1, 3, 27) *serpentis visum* laudat, et Lucanus (4, 552) *insomnem* eum appellat, aliique (*Phile l. c.*) somno eum fungi simulque cernere fingunt. Radiato praeterea serpentis capite Sol iternm, eoque visus (§. 578) denotari videtur. Visus enim auctorem vel causam (*Plat. de re publ.* 6. *T.* 7. *Bip. p.* 118. 119), quin dominum etiam, Solem esse credebant (*Horap.* 6). Unde Sol ipse apud Ovidium (*metam. I.* 4. *v.* 226. *quocum conf. v.* 195)

Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum
Omnia qui video, per quem videt omnia tellus.

707. *Crucem*, quae e sinistra figurae manu pendet, famosam illam esse ansatam, vix dubitari potest, quamquam in gemma, uti delineata est, ansa non apparet. Crozius et Jablonskius (*I.* 283)

phallum ea repraesentari arbitrabantur, quam opinionem nuper defendere conati sunt quidam inter Gallos (*in mon. mus. Napol. IV.* 110) vocatis in subsidium quibusdam monimentis tum in Italia, tum etiam in Scandinavia repertis, quae tamen ad rem minime pertinent et praeter ansam nihil cum cruce illa commune habent. Ac merito Pawus (*recherch. sur les Egypt. et les Chin. I.* 29) jam exploserat istam de phallo opinionem; nec veterum interpretum (*Lips. de cruce.* 1670. *p.* 33. 34. *Kircheri prodr. Copt.* 165) quisquam eam tuetur. Quaenam enim, obsecro, huic figurae ♀ cum phallo similitudo? Magis approbanda illorum videtur sententia, qui signum hoc clavem esse contendunt. Certe harum rerum peritissimus Zoega (*num. Aeg. p.* 36) perversas de rebus Aegptiacis recentiorum opiniones perstricturus: „Sic" inquit „*clavem* Niliacam apertionis et clausionis, id est summi arbitrii, mox productionis, vitae, aquae, Solis, numinis, sacrum symbolum, neotericis pro *phallo* habitam invenio, quem in iisdem monimentis, quae sacro (illo) Thau decorantur, figura prorsus diversa pingi solitum ignorare videntur." Quodsi verum est hoc celeberrimi viri judicium, profecto clavis in amuleto nostro identidem pro custodiae agendae signo agnoscenda erit; quo etiam reliqua fere omnia hujus amuleti symbola respiciunt. Falsus sane Viscontius est, qui (*mus. Pio-Clem. II. p.* 146. 169) doctum reprehensurus Danum, illud signum neutiquam clavem, sed phallum esse eo demonstrare conatus est, quod idem phallus ♀ Veneri planetae tributus sit, ignarus scilicet

hujus signi originis, quam e litera Φ Salmasio docente repetendam esse supra (§. 287) diximus.

708. Inscripta verba interpretaturus Passerius (*II.* 254. *n.* 27) *Abrasarei* ait ab imperito pro *Abrasax* insculptum esse! Sed idem, quem imperitum fingit, in altera amuleti facie, hoc nomen ipsum accurate exaraverat! Quare Passerium potius fuisse imperitum dixeris, qui e ceteris verbis decerptas literas ΓΝCΧΙΩΝ explicat „*γεινομαι, genero, generator.*" Atque CECENIEM, quod CECEWIEMATA perperam legit, a *νεμω, tribuo* deductum vocabulum esse, dicit! Quod quo pacto fieri potuerit qualisve in illis verbis sententia lateat, nemo sane erit, qui divinet. Frustra etiam ad hunc interpretandum locum e Graeca lingua subsidia petiit. Reliqua enim, quae in gemma incisa sunt, verba Semiticae linguae indolem sapiunt; et maxime tot literae consonae sine vocalibus junctae ad hanc nos ablegare videntur. Supra (§. 438. 681) enim vidimus, veteres interpretes, licet plerumque in Hebraea verba, literis Graecis scripta, vocales insererent, non nunquam tamen illas omisisse. Ac primum, quod figurae ipsi intus adscriptum est ΑΒΡΑCΑΡΕΙ in alio jam amuleto (§. 686) verti אביר עזרי, *fortis adjutor meus.* E reliquis quae in margine leguntur non nisi quaedam mihi aperta sunt; cetera explicare eo minus ausim, quod Fabrettus, hoc amuleti exemplum edens, (*p.* 536) ipse scripsit „in literis imaginem circumplectentibus, tanquam longo gestamine attritis et visum fugientibus vix aliud praeter Abra-

sa legi posse." Operam igitur luderet, qui omnia illa interpretari vellet, in quibus num verae literarum figurae sibi traditae sint minime habeat compertum. Certe L illa Latina, quae sub pedibus figurae conspicitur, et litera I geminata, quae hanc sequitur, illam suspicionem augere debent. Nihilo tamen minus verborum CEC ENIEM, (§. 576) lectio certa est. Cetera tacere quam incerta proferre malim. Sit licet interpretatio mea non omnibus numeris absoluta, id tamen ex ea elucet, Fabrettum profecto errasse, qui (*p.* 535) „ex omni *Basilidianorum* improbitate amuletum hoc conflatum esse," affirmaverit.

AAAAA
CABAΩΘ
EEEEE
AΔΩNAI
HHHHII
IAΩNA
NIOOOYYYΩ
CTPAHA

709. In antica hujus gemmae, quam Raspeus (*n.* 443. 444) descripsit, monstrum illud, quod pro Solis symbolo habemus (§. 124. 460. 566. 589. 697. 700) comparet: in postica autem literae, quas exscripsimus, leguntur. Vocalibus repetitis inscriptionem interru-

ptam esse patet: quibus praetermissis Hebraea, si quid video, haec supererunt verba:

ΣΑΒΑΩΘ	ΑΔΩΝΑΙ	ΙΑΩ	ΝΑΝΙ	ΣΤΡ	ΑΗΛ
צבאות	אדני	יהוה	נחני	שמר	האל
Sabaoth	*Adonai*	*Jao*	*dux esto mihi*	*antistes*	*deus.*

Quodsi verum vidi excidit ex septem vocalibus Jod, neque absque causa hoc omissum esse arbitror. Quum enim supra (§. 284) litera Jod, quae medium in septem vocalibus tenet locum, Solem denotari docuerim, illam vocalem addere non attinebat, quoniam monstrum istud pro Sole ipso jam substitutum erat. Ac sane inferiori loco alia afferam exempla omissae ex septem vocalibus unius, ex causa mihi quidem admodum probabili (§. 753).-- Huic monimento aliud ob pariter in eo repetitas vocales addendum esse duxi. In Magnete hoc incisum esse Raspens (*n.* 537. 538) refert quidem, sed ectypon, quod dolemus, non dedit, hisce tantum verbis id describens: „In priori facie insculptus est angelus vel genius, miles *capite leonis* radiato, dextra sceptrum tenens. Ex adverso τοῦ Sabaoth (?) miles stat *capite asinino*, laeva tenens amuletum quatuor stellis insignitum. In posteriori antem facie quinque hi versus sunt incripti“ sinistrorsum legendi:

HƎƎA
OOIIIIHH
VVVVOOO
ΩΩΩVV
ΩΩΩΩ“

Quas literas non nisi septem illas vocales esse patet (§. 250 *sequ.*) quibus planetae, sive coeli, una cum lyrae sonis (§. 260), deum quasi hymno celebrantes, significantur. Repetitarum autem vocalium numerus crescens et ab acutissimo sono ad gravissimum descendens concentum quendam exprimere videtur (§. 256), nisi alia forte et superstitiosa crescenti numero a *monade* A usque ad *septem* Ω causa subfuerit.

710. Quo autem jure Raspeus militem illum capite leonino insignitum Sabaoth nominare potuerit equidem non perspicio. Qui si alterum, cui asininum caput est, sic appellasset, praesidium certe habuisset in Epiphanii (*haer.* 26, 10. *p.* 91) verbis: „Quod ad Sabaoth attinet, hunc *asini* quidam (gnosticorum), alii porci figura, constare censent." Sed ad hujus gemmae imaginem illustrandam praestat afferre testimonium Origenis, qui (*c. Cels. L.* 6. *p.* 295) „ab Ophianis," ait, „Michaelem pingi *leonina* facie, Onoelem asinina;" quos angelos ipsos in Raspei gemma arbitramur depictos esse. Nomen Onoel, nisi Anael (§. 715) intelligendus sit, duabus linguis tribuendum et ex Graeco vocabulo *ὄνος* atque Hebraeo אל compositum esse videtur: sed eidem aliud praeterea nomen fuisse inde apparet, quod Celsus eundem Onoelem, *Thaphaoth*, Origenes *Thartaraoth* appellavit: quorum nominum hoc ab Origene proditum magis imagini respondet, quam illud. Licet enim Spencerus (*ad Orig. p.* 79), haec nomina nusquam apud haeresium scriptores legi, similiaque videri moneat aeonum illis

Valentinianorum nominibus; ego tamen explicari ea posse censeo. תרע enim *portam* vel *janitorem* denotat, et עיור Chaldaeorum lingua *asinum*. De septem autem daemonibus qui totidem *portis* praepositi essent, Celsus illo loco (*p.* 290) egerat. Alterum nomen Thaphaoth Surieli magis convenit, quem taurum esse uterque scriptor tradit. Suriel enim Hebraeum שורי־אל mihi esse videtur, nec doctissimi Rossii sententiae accedere possum (*etym. p.* 213) Suriel et Ouriel idem nomen esse contendentis. Diversa enim ea omnino fuisse, aliis edocemur nominentis (*Cayl. VI. tab.* 21) in quibus utrumque nomen concurrit. Thaphaoth autem nomen ut fingerent ansam praebuisse pentateuchi locum (24, 8) תועפת ראם לו crediderim.



711. Gorius ad hanc gemmam, in praefatione ad inscriptiones Etruriae (*tab.* 12. *n.* 5) editam, (*p.* 74) „literas Graecas esse, observat, sed incognitas, Basilidianis similes.“ Recte illud quidem, sed

peculiares gnosticis fuisse literas omnino negamus (§. 194). Neque ex imagine, neque ex literis patet, quibus hoc amuletum auctoribus adscribendum sit. In orbe enim scripta CEC ENΓEN et BAPΦAPANΓHC ea sunt, de quibus (§. 570. 576) hariolatus multa, decrevi nihil. Notatu tamen digna literae Rho haec forma Γ est, quam quolibet alio loco Π legissem. Serpentis in gyrum adacti symbolum satis quidem novimus (§. 28. 234. 267. 664. 701. *sequ.*) sed verbum in medio inscriptum certa ratione explicare nequimus. Difficultas eo augetur, quod quatuor tantum literis inscriptio constat (§. 648), numerusque nimius vocum est, quae omnes ex literis illis erui possint (§. 347), quas, sinistrorsum scriptas, dextrorsum equidem ZBIE lego. Minor enim secundae literae b forma eo minus aliquem morari potest, quod *Eta* pariter hac minori forma h in eadem gemma observatur, et non b solum, sed alias etiam literas minutas (§. 193) majoribus intermixtas fuisse (*Lup. Sever. mart. p.* 154) maxime Byzantinorum temporibus, notissima res est. Ex multis, quae in mentem venerunt, verbis Chaldaicum hoc verisimilius visum est סביה, ad verbum quidem vertendum *circumda eum*, cui sane *protegendi* notio inest.



712. Imaginem haec gemma (*Capell. n.* 193. *Montf. tab.* 152) praebet serpentis erecti cum capite leonis, septem (§. 705) radiis cincto. Literae inscriptae hae sunt XNOVBICNABILBIENVΘ. Latinam L inter literas Graecas semper fere alius literae loco positam esse supra (§. 198) jam monui (*conf.* §. 723). Sed opportune hic succurrit alia gemma ex eodem museo (*Cap.* 181. *perperam a Montf.* 152. *transscripta*) in qua inscriptio iisdem fere verbis NABIC BIENVΘ terminatur, quae Hebraea esse nullus dubito: sic nimirum legenda: נחבש בענות ut sensus sit: Chnubis *ligatus precibus.* ענות (*Ps.* 22, 25) veteres interpretes omnes vertunt *clamor, preces.* ענה autem non *clamare* solum, sed etiam *cantare* significat, et ענן *fascinare.* Quare si quis hoc loco pro *precibus* vertere maluerit *incantationibus* per me licebit. Certe Salmasius (*ann.*

climact. 566) si illas vidisset gemmas, in sua quoque licet mutila legere non dubitasset NAABIC BIεrYΘ. De tribus SSS in medio collocatis supra (§. 337) diximus.



713. Primus edidit hanc gemmam Pignorius (*n.* 2), repetierunt eam Gorlaeus (*n.* 361) Kircherus (*II.* 2. 462) Chiffletius (30) Montfanconius (*tab.* 149) Ebermayerus (*n.* 438) et sine literis Niedeckius (*de adorat. ad p.* 206. *dd.*) Aversam faciem inserere supersedeo, quoniam nullam habet inscriptionem, sed solam leonis imaginem, septem additis stellis cum Luna crescente. In adversa autem, oculis lectorum subjecta, voces adscriptas interpretandi negotium Passerius (*II.* 260. *n.* 60) suscipiens has inde effinxit literas IABA ΙΝΩ ΙΑΩ, nihilque praeterea addidit. Ita et Renschius (*ad Ebermayer. p.* 215) literas, quas corruptas esse affirmat, legi debere affirmat CABAΩΘ ΘΕΟC! Tanta equidem licentia neutiquam usus Hebraea tamen verba e literis elici posse arbitror. Quibus

autem num litera in medio collocata, quae deorsum versae F est similis, etiam adjungenda sit, valde dubito. Qua quidem praetermissa legendum esse videtur:


IABA	EΔΔ	IAΩ
יבא	עדד	
Adveniet,	*eriget,*	*Jao.*

A verbo enim עדד *Pilel* intelligo, cujus infinitus modus ex praecedenti futuro in futurum ipse transierit (*Gesen. gr. maj. p.* 782). Imaginem si cum verbis illis contuleris, videbis hominem genu procumbentem: quem quidem humilem statum iis, qui amuletorum opem et auxilium praestolentur, quique a superis gratiam aliquam sibi impertiri velint, convenire praeter hanc alia etiam gemma inter Graecas proferenda docet. Nec desunt numi, in quibus provinciarum et regionum imagines genu procumbentes expressae sunt adscriptis earum nominibus (*Spanh. II.* 625. *Montf. suppl. IV. tab.* 20). Quod quidem symbolum porrigendae supplicibus manus adeo solemne apud veteres fuit, ut ab urbibus etiam imperatorem invocari legamus verbis „δος μοι χειρα χαμαι κειμενῃ, βοηϑησον ἀσϑενουσῃ" cet. (*Leichse. pulcr. mon.* 7). Manu autem, quae super (על) aliquem extendatur, saepe denotari auxilium, Judaeorum libri (*Ps.* 119, 173. *Esdr.* 7, 6, 28, 31. 8, 22. *I. Reg.* 18, 46) testantur.

COΛΒΙΩΜ
ΑΙΜΑΙΘ
ΑΩΘΑ
ΘΥ

714. In Magnete lapide Raspeus (*n.* 216) refert insculptos quatuor hos versus esse, et in orbe formulam illam (§. 580 *sequ.*) frequenter obviam ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ; imagine praeterea addita repraesentari Canopum cum canis vel lupi capite, stantem quidem in basi serpente ornata. Neque in exscribenda inscriptione illum errasse testor, qui ipse ectypon vidi gypso expressum Stugardiae in bibliotheca regia asservatum. Jam vero quantumvis imagines Aegyptiacam linguam ab interprete adeundam esse postulare videantur, satis tamen perspexi, nequaquam verba inscripta hujus esse sermonis, sed Hebraea potius hunc in modum explananda:

COΛ	ΒΙΩΜ	ΑΙ	ΜΑΙΘΑΩΘ	ΑΘΥ
של	ביום	חי	מחטאות	אתו
Extrahe	*per dies*	*vitae*	*ex casibus adversis*	*eum.*



715. Mirum in hac gemma (*ap. Capell.* 69. *Montf. tab.* 171) scripturae *cursivae*, ut vocant, specimen, quae in materia dura incisa certe raro reperitur. Praeter literam L in primo verbo *Anael* reliquae Graecae sunt, et in altero versu *αλεσανδρ* legendae. Quod quidem nomen ut saepenumero corruptum fuit (§. 392), ita in alia gemma (*ap. Capell. n.* 22) pari modo terminatur ut omnibus casibus inservire possit. In hoc quidem amuleto utrum possessor eo denotetur, an genius tutelaris, quem Alexandrum ipsum fuisse constat (§. 494), adhuc ambigo. Quodsi enim vocem *Anael*, Hebraeis scriptam literis, חן האל „*propitius esto deus* Alexandro" verteris, hic amuleti erit possessor: sin Anael nomen proprium esse statueris, uterque pro genio tutelari haberi potest. *Anael* enim, qui et *Haniel* scribitur (*Rasp. n.* 592) prout literam א effer-

re unus vel alter consveverat, angelus (§. 300. 301. 302) erat, inter principes Michaelem, Gabrielem et Raphaelem comparens, et in aliis etiam amuletis invocatus (*Capell. n.* 2. *Reichelt. tab.* 2).

716. Ad adversam nunc gemmae faciem, explicatu longe difficiliorem, accessuri primum contemplemur imaginem, quae satyri esse videtur vel Panos (*v. Montf. I.* 270. *f. tab.* 176. *n.* 5). Capite, quod laeva tenet, Lunam plenam significari conjicio. Aegyptiacis enim in gemmis imago cynocephali Lunam adorantis quum frequentissima fuerit (§. 648. *sequ.*) Graeci cynocephali loco Pana magis sibi notum substituisse videntur. Id quod clarius ex verbis inscriptis patebit. Licet enim Montfanconius (*II. p.* 375) hanc inscriptionem intelligi posse neget; nihilominus Hebraeae linguae ope eam, si non totam, maxima tamen ex parte explicari posse censeo. Ita enim literas lego verbaque interpretor:

CO PHC MTOVP ΩHPOV

זו ראש מטהור ויראו

Hoc caput majestatis (est) *quod adorent.*

Tertia vox, cujus radicem טהר esse conjeci, utrum vere Hebraea sit, an intelligendum potius nomen peregrinum, dubitandi adhuc locus est. Prodiderat enim Plutarchus (*p.* 374) *Μεθυερ* Isidis fuisse cognomen, cujus etymon cruere studuit Jablonskius (*Panth. II.* 123. *Opusc. I.* 133). Neque Panos imago me moratur, quamvis Pignorius (*mens. Isiac. p.* 22) addubitans quaerat „quid cognationis Pani sit cum Iside?" Omnino enim talem fuisse tum ex antro

colligitur; quod in Arcadia Lunae et Pani commune erat (*Porphyr. de antro c.* 20. *p.* 19), tum numus docet Aegyptiacus (*Zoega num. tab.* 21 *f. Harduin. ad Plin. in tab. Eckhel. II.* 112) capite insignitus Isidis, verbis autem inscriptus ΘΕΟΥ ΠΑΝΟC. Simile ei, quod gemma nostra praebet, symbolum in alio numo conspicitur figura nimirum mulieris caput laureatum Neronis, uti Belleyo (*mem. de l'acad.* 26. *p.* 440. 453. *conf. tamen. Eckhel. III.* 429) visum est, venerandum dextra porrigentis. In Gemma autem a Gorio (*inscr. Etr. I. praef. tab.* 10. *Mus. Flor. II. tab.* 16) edita, Baccha caput laureatum manu gestans adspicit, cui inscriptio *Καλλιμορφος* addita. Mercurium quoque caput adspicientem, quod manu tenet, in alia gemma (*Mus. Flor. I. tab.* 70. *n.* 7) observamus. Sed praesertim notatu digna gemma haec est



a Sponio (*recherch. p.* 124. *misc. p.* 16) edita, et ab aliis (*Montf. II. tab.* 125. *n.* 12. *Ebermayer. p.* 219) repetita. Serpens caudam

vorans circumdat Horum sive Solem leonino capite insignitum, ex loto emergentem, et caput Lunae sive Isidis ostendentem. Superiori loco septem incisae sunt vocales, inferiori legitur OTIHΛ, quod Hebraice עיאל, vertendum *ornamentum*, sive ut Simon (*in onom. p.* 505) vult *laus dei*, et cum verbo *adorare* in gemmae nostrae inscriptione comparari potest. Quod autem in *Οτιηλ* Graeca litera T pro Hebraea ד posita est hoc prodere Aegyptum videtur, ubi usitatum erat pro Δ scribere T (§. 431): extremae denique literae Λ forma A supra (§. 198) commemorata est.



717. In altera hujus gemmae facie (*ap. Gorl.* 460. *Chifflet.* 105. *Montf. II. tab.* 160) hominis imago est velati, sinistra baculum tenentis, dextra pateram. Quem delineare pigebat quum dubitationem afferret Chiffletius, qui (*p.* 135) pro viro illo Junonem velatam agnoscere sibi visus esset. Inscriptionem vero *gnosticam* esse idem contendit, unde liqueat horum hominum cum Romanis com-

mercium. - - Quod quidem illis fuisse uti minime nego, hoc tamen ex gemma perspectum neutiquam habeo. Inscriptionem scilicet non magis quam reliquas vir doctus intellexit, immo ne legit quidem recte. Neque alius quisquam eam legere poterit, nisi imperfectas literarum (§. 200) formas agnoverit. Quarum ignoratio adeo turbavit Passerium, ut (*II. p.* 266. *n.* 97) *χακος κουϱος Αδωναι* non solum legeret, sed pejus etiam ficta illa verba *„mala leves deus"* verteret.

718. Melius profecto quam illi interpretes doctissimus Thorlacius (*in opusc. acad. III.* 23) in antica imaginem sacerdotis agnovit, in postica autem inscriptionem nostram, primo quidem verbo praetermisso, ΣΟΦΗ ΑΔΩΝΑΙ legit. Quum vero posteriori Hebraeo prius *Graecum* inepte additum esse observarit vereor ne falsus sit. Haud enim video, quid nos impediat, quo minus inter duas Hebraeas voces tertiam etiam Hebraeam esse dicamus. Imperfectis igitur literarum figuris agnitis legere licet

ΣΑΒΑΩΘ ΣΟΦΗ ΑΔΩΝΑΙ

צבאות צפה אדני

Sed media illa vox duplicem admittit interpretationem pront nimirum primam verteris. Quam si pro vulgari nomine Sabaoth acceperis, צפה participium erit verbi, quod *excubias agere, speculare, diligenter observare,* vertitur, et *custodiendi* hinc notionem quoque habere potest. Sententia igitur haec exire videbitur: *Sabaoth custodiens,* vel *vigilans, dominus meus.* Sed צבאות illud si

δυναμεις cum veteribus interpretibus (§. 98. 480) vertere malueris; sensus verborum esse poterit: *Ad daemonas potentes adtende diligenter mi domine*, nempe *ne noceant*. Illa verbi צפה *observandi, attendendi* notio primigenia fuisse videtur. Philo enim, Sanchoniathonis interpres (*ap. Euseb.* 2, 7, 10 *p.* 33), ad verbum *ζοφασεμιν* observat *τουτ' ἐστιν οὐρανου κατοπται;* quibus patet, vocem illam Hebraeis literis vix aliter reddi posse, quam צפי־השמין, licet non constet quid hisce verbis significare scriptor voluerit. Orationis enim nexus vetat, quominus de hominum genere cogitemus quorum nomen *ἀνθρωπος* Platon (*in Crat. III. Bip. p.* 262) haud scio jocone an serio ab *ὀπωπε* derivat. Cicero certe (*Tusc.* 1, 28. *f.*) „videmus" inquit „hominem ipsum quasi *contemplatorem coeli;*" cui addamus notissimum illud Ovidii (*met.* 1, 85):

Os homini sublime dedit; coelumque tueri
Jussit et erectos ad sidera tollere vultus.

Egregii hi versus si tibi pariter atque mihi placent; noli Aristophanem (*περὶ.* 193) illico legere!



719. Inserui hanc gemmam haud quaquam ut eam explicarem, sed ut aliis explicandi negotium facilius redderem, proponendo eis veram inscriptionis lectionem. Primus Gorlaeus illam (*n.* 137) in lucem vocavit, ex cujus exemplari ceteri omnes (*Salmas. ann. clim. p.* 573. *Chiffl. n.* 7. *Ebermayer.* 443. *Montf.* 2. *tab.* 145) sua deprompserunt. Salmasius quidem „inscriptio“ inquit „Aegyptiaca est, ut *omnes* qui cum hujus *dei portentosi* vultu reperiuntur:“ sed harum nullam explicavit, ne hanc quidem, quam tamen libro suo inseruerat; ita ut non nisi verba inania nobis dedisse videatur. Nec Montfauconius quidquam de gemma nostra quod diceret habuit, nisi (*p.* 359) septem stellis planetas significari. Bellermannus quidem (*I.* 36), Salmasii forsan auctoritate permotus, inscriptionem Coptice explicare conatus est; sed quam infeliciter res ei successerit ex hac ejus interpretatione, praesertim si cum gemmae literis eam comparaveris, et in verba ipsa inquisiveris, patebit:

BAI	NXΩ	ΩΩ	X
BAI	NXOII	ΩOO	X
Palmae ramus	*clam*	*honor*	*Christus.*


Ex quibus verbis hanc sententiam conjiciendo elicere conatur: „*haec gemma praemium clandestinum est honoris Christi.*"

720. Jam vero quum in gemma nostra prima litera R Latina inter Graecas illico mihi suspecta erat, similia in aliis gemmis verba requisivi, quo certior fieret lectio. Quae mox reperta hic, ut conferri possint, singula exhibeo:

RAINXIOIOIOX	(*gemma nostra*)
BAINXΩΩΩX	(*Bellerm. I.* 36)
BAINXΩΩΩX	(*Rasp. n.* 452)
BAINXΩΩΩX	(*Id. n.* 450)
BAI XΩΩΩX	(*Capell.* 22)
BAINXΩΩΩK	(*Alex. Trallian. p.* 657)

Quibus inter se comparatis patet veram esse lectionem BAIN (sive BAI) XΩΩΩX; superstitioso autem illo ternario literae Ω numero (§. 274) ad simplicem reducto, BAINXΩX, aut BAIXΩX. Ne quis vero in nostra gemma in illud IO ter repetitum et pro tribus Ω positum offendat, sciat nequaquam id errori fabrili tribuendum, sed IO ipsius Ω formam esse, cui similem in aliis etiam scriptis exstare (*Nov. op. dipl. I. tab.* 16. *fig. penult.*) eamque imperfectis literarum figuris, de quibus supra (§. 200) dixi, esse adscribendam. Cur inter Semiticas inscriptiones hanc reposuerim,

haec est ratio. Videbam modo AI, modo AIN, in gemmis exstare: jam vero Hebraea vox, quae *defectum* sonat, etiam modo אי, modo אין scribitur, quapropter באין commode *in defectu* verti potest. Quod reliquum est XΩX obscurius videtur, quum pro litera ח Graeci vocalem solam ponerent. Suspicatus igitur כחך legendum et vertendum totum esse *in defectu virium tuarum* ille nempe aderit, quem gemmae imago exhibet. At vero, quod ab initio dixi, interpretationem dare nolui. Notatu praeterea dignum est eandem formulam Alexandri Tralliani etiam aetate in usu fuisse (§. 506); licet dubitari possit, an verum sensum ipse intellexerit.



721. Ad hanc gemmam Caylus (*VI. tab.* 19. *n.* 5. *p.* 66) haec observat: „*Cette inscription est un Abraxas*“ (latiori certe sensu)

„gravé sur une pierre Ematite et dans le goût le plus général de ces sortes de monumens: je n'ai d'autre raison pour le mettre à cette place, que la symmétrie et le coup d'oeil convenable à l'amulette précédente.“ At vero quod huic gemmae in ejus tabula (*n.* 3) respondet amuletum, quodque ille in mente habuisse videtur, non nisi hieroglyphica signa exhibet. Fefellit nempe virum illustrem, quod gemmam nostram inversam inspiceret eamque deorsum versam delineare curaret (§. 204). Quodsi eam invertisset, quemadmodum ego eam repraesentavi, minime signa hieroglyphica, sed veras literas, rudes illas quidem, attamen Graecas, agnovisset. Bis enim haec leguntur ΟΡΩΡΙΟΥΘ ΟΡΩΡΙΟΥΘ quae eadem in alia gemma (*ap. Eberm. n.* 430), sed semel tantum, incisa sunt.

722. Si vero quaesiveris, quid illis significetur literis; sententiam ex eis elicere arduum sane factu erit. Sunt qui Copticam esse inscriptionem putent, ut Te Water (*ad Jablonsk. opusc. I.* 423) secutus Bonjourium (§. 658), qui similem in gemma inscriptionem videns (*ap. Georg. in fragmento ev. Joh. p.* 391) Coptice eam sic reddiderat:


ΟΡ	ΩΡΙΟΥΘ
ΟΡ	ΟΥΡΙΤ
Horus	*custos.*

Vides virum inter Copticae linguae peritos sua aetate facile principem majori etiam licentia usum esse, quam ego unquam mihi concesserim. Atque ingenue fateor certi prorsus nihil me illis in

verbis videre, immo inter linguas fluctuare quarum alicujus ope ea possint explicari. Sed quamvis virum illum Copticae linguae peritissimum ego, qui modicam ejus cognitionem habeam, reprehendere non ausim, magis tamen ex Semitica lingua petita haec placeret interpretatio:

ΟΡ	ΩΡ	ΙΟΥΘ
אר	ער	יעות
Lux	*expergefacta*	*sustentet.*

Quarum prima vox, quum praeter lucem Solem ipsum disignet, loco שמש ab Hebraeo auctore ideo forsan adhibita fuerit, quod ab Aegypiis Solem saepe *Hori* nomine appellari audiens et in patrio sermone nomen Solis simile quaerens, in illud forte inciderit, eodem modo, quo Aegyptiacum ΦΡΗ cum Hebraeo פרה ab Hebraeis collatum esse supra (§. 647) suspicatus sum. Voces enim sono, in diversis linguis, similes conferri ab hominibus solent (§. 116. 458. 474). Atque meae illorum verborum, de Sole majorem vim accipiente, interpretationi majus forsan pondus adjicietur inscriptionibus in gemma, quae proxime sequitur, incisis.



723. Ejusdem gemmae exemplar Capellus (*n.* 172. *conf. et* 28) quidem ediderat: quoniam autem viderem artificem haud satis accurate in literis delineandis versatum esse, illud cum gemma ipsa, quae Cassellis asservatur, collatum, et correctum hic denuo exhibui. Namque Montfauconius (*II. tab.* 173) exemplar suum tantummodo ex Capelliano sumserat, quapropter aeque est fallax. Certe in priori hujus gemmae facie verba eadem inscripta esse videbis, quae modo explicare studuimus. Imago rudi forma globum repraesentare videtur Solis, „*inclinatis,*“ ut Macrobius (*Saturn. I,* 23) de Assyriorum Sole refert, „*radiis,* quae demitantur *in terram;*“ simili igitur ratione, qua in gemma nostra globus ♀ repraesentatur. Quae in altera gemmae facie leguntur verba Copti-ca esse, ut Bonjourius censuerat, non magis persvadere mihi possum, quam in antecedenti inscriptione licuit. Paulo aliter enim


atque in nostra inscriptione vir egregius (*ap. Georg.* 391) legerat: ΟΡ ΜΕΡ ΦΕΡ ΓΑΡ ΚΑΡ ΦΡΙ ΟΥΡΙΤ ΑΙ; hac versione subjuncta: „*Horus accingere, germina, disgregare, obturare, ligare Sol custos in aeternum.*" Silentio praetereo quae contra hanc versionem alii forsan objiciant, id tantum observans, vocabulum Ου-ριτ, quod maxime ad Copticam linguam nos adducere possit, neque in nostra inscriptione, neque in simili apud Capellum (*n.* 28) legi: literam etiam Γ, quae a veris Coptitarum verbis omnino abest, (§. 429) sane debuisse dissvadere illud ex eorum lingua interpretandi tentamen. Quare iterum ad Semiticam linguam conversi gemmae nostrae verba in orbem scripta sic explanare conamur:

ΣΟΡ	ΟΟΡ	ΜΕΡ	ΦΕΡ	ΓΑΡ	ΒΑΡ
שור	אור	מהר	פאר	גר	בר
Prospice benigne,	*illuce,*	*festina,*	*orna,*	*attrahe,*	*selige,*

ΜΑΡ	ΦΡΙ	ΟΥΡΙΓΕΙ
מרא	פרה	ורעה
exalta,	*fertile redde*	*et pasce.*

Auctam ab initio inscriptionem esse vides siquidem primum verbum in quo Latinae L forma pro Sigmate angulato est (§. 198. 712) Bonjourius non legit. Sententiam singulari artificio (§. 596) ita concepit auctor, ut omnia fere verba in R exirent, et ad id genus dicendi referenda essent, quo non nisi abrupta et quasi fracta verba audirentur (§. 505. 506. 510). Ceterum cum hac gemma comparandae sunt aliae (*ap. Capell. n.* 28. *Rasp. n.* 544),

quibus tamen hic immorari nolumus, quum earum inscriptiones magis etiam corruptae esse videantur. - - Imaginis explicandae negotium aliis relinquimus, quippe qui nihil agnoscamus, praeter serpentem caudam vorantem (§. 701 *sequ.*) adscriptis septem vocalibus (§. 250 *sequ.*) quarum ultima Ω, una linea deficiente, obscura est.



Montfauconius ex suo museo (*II. tab.* 153) hanc gemmam vulgavit arbitratus „Graecam esse inscriptionem, quae intelligi nequeat.“ Sane si Graeca verba esse omnino statuerimus: nemo unquam erit, qui eam explicet. Vidit et Bellermannus similem (*II.* 37), quam corruptae Hebraeorum linguae ope sic explicandam esse duxit: 724.

AP ΛΑΝΑ ΘΑΜΑΑΚΑ CAAKANA XAMKIM

אר לנו תמיך סלקנו חמוקים

quae quidem verba licentia quadam poetica munitus sic vertere

audet: „*Lux nostra! gratia tua da nobis uterum plenum;*" ut amuletum hoc adhibitum esse videretur ad fecunditatem uteri adjuvandam. Sed improbat libri censor (*Hall. Lit. Zeit.* 1818. *II.* 703) Gesenius istam versionem, haud sane injuria, quamvis meliorem interpretationem neque ipse substituerit. Non enim viderunt viri illi egregii priorem inscriptionis partem formulam illam consvetam ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ corruptis partim literis (§. 580) exhibere, neque ad alteram pertinere, neque utraque conjuncta sententiam cohaerentem effici posse.

725. Quod quo clarius pateat aliae nobis adeundae sunt gemmae, in quibus posterior inscriptionis pars sola legitur, ut in hac,



quae prout a Pocokeo (*descr. or. I. tab.* 65) vulgata est accuratiorem literarum formam exhibet, quam in similibus inscriptionibus, tum nostra, tum aliis a Raspeo (*n.* 375 *et* 629) exhibitis, observamus, id quod haec earum collatio docebit:

1) CAAKANAXAMKIH (*v. nostram*)
2) CAAKANAXAMKIM (*Bellerm.*)
3) CAABANAXAMKPH (*Pocok.*)
4) CAABANAXAMBPH (*Rasp.* 375)
5) CANBANAXAMBPH (*Rasp.* 629)

Jam vero facile perspicietur unde in reliquis exemplaribus diversa lectio ab ea, quae in Pocokiana gemma est, oriri potuerit. Literae enim B forma haec angulata Ƹ in causa fuit ut saepe cum litera K ab imperitis confunderetur (§. 198. 200. 727). Unde qui ex gemmis verba illa exscripserunt alii ab initio (*in n.* 1 *et* 2) K pro B, alii in fine (*in n.* 4 *et* 5) B pro K legerint. Idem accidisse literae P verisimile est, quam hac forma ᚠ et ᚴ (§. 193. 194. 200) non agnitam et pro I (*in n.* 1 *et* 2) acceptam esse mihi persvadeo (§. 207). Quumque Bellermannus (*in n.* 2) extremam literam M legerit pro H, easdem literas interdum simillimas videri supra (§. 198. 203) monui, et infra (§. 747) dilucide demonstrabo. Pocokiana igitur inscriptione cum reliquis exemplaribus conciliata haud dubius verba sic distinguo et Semiticae linguae ope interpretor:

CA	ΛBANA	XA	MKPH
זהה	לבנה	כא	מקרא
Superbit	*Luna*	*hic*	*advocata.*

Prima vox Chaldaica pariter (*Buxt.*) atque Arabica est. Secunda cognomen continens Lunae (§. 283) ab albitudine inditum in alia gemma mox (§. 737) producenda etiam legitur. Imaginem (§. 724) si consideraveris, cynocephalum agnosces, de cujus cum Luna cognatione supra (§. 648. 649. 716) disseruimus.

ΑΒΡΑCΑΜΙΑΩΑΚΑΩCΘ

726. Exscripsit ex amuleto quodam Scaligerus (*opusc.* 573) has literas, quas interpretaturus, pluribus pro siglis habitis sic vertit: *„Fuga nomen dei afflictores omnes affligentes nos et osores boni nostri."* Quem jure quidem reprehendens Salmasius (*ann. climact.* 572) ipse tamen perperam addit ΑΒΡΑCΑΜ scriptum esse pro Abrasax; et, quod pejus est, negat verba esse Hebraea, omnia Aegyptiaco sermoni temere vindicaturus. Sunt autem, si quid video, hunc in modum illa explicanda:

ΑΒΡ	ΑCΑΜ	ΙΑΩ	ΑΚΑ	ΩCΘ
אביר	השם	יהוה	לקל	עזת
Forte est	*nomen*	*Jao;*	*per vocem*	*firmaris.*

ΑΒΡ non semel pro אביר in amuletis (685. 686. 756) legitur. Ac velim Salmasius non dixisset „jocularem esse hallucinationem Scaligeri vertentis ΣΑΜ *nomen.*" Graecis enim literis hoc aliter vix scribi potuit, nisi quis forte in vocalem offenderit et Masorethanum *Tseri* desiderarit. Sed iste se parum profecisse sciat in hoc scribendi genere, perpendatque pro Masorethanum Breschith a Samaritanis constanter Baraschith pronuntiatum esse. Sententiam congruere quoque observet cum iis in Hebraeorum libris, in quibus praeter multa alia usum illius vocis illustrantia haec leguntur: מגדל עז שם יהוה כל אשר (*Prov.* 18, 10) et כל אשר יקרא בשם יהוה ימלט (*Joel.* 3, 5). Perlectis etiam eis, quae de nominum singulari

virtute veteres imaginati sunt (§. 115 *sequ.*), et perspectis similibus aliarum gemmarum inscriptionibus elucebit, illam elocutionem minime abhorrere ab amuletorum inscribendorum ratione. Sunt enim in quibus instar Hebraei (*Ps.* 8, 2) אדיר שם (*conf.* §. 107) Graece inscriptum legas ΜΕΓΑ ΤΟ ΟΝΟΜΑ (*Nasarra ad Rodriguez. polygr. proleg. fol.* 11); aut ΜΕΓΑ ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΤΟΥ ΜΟΝΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΘΕΟΥ (*Gorii inscr. III.* 141); aut ΜΕΓΑ ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΤΟΥ ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ (*Spon. misc. p.* 87. *Zornii bibl. antiqu. p.* 217); aut ΑΓΙΟΝ ΟΝΟΜΑ (§. 777. *Rasp.* 1490). Qua data occasione observare mihi liceat, aliam gemmam, quam in museo Cassellano ipse vidi, perperam a Capello (14), melius quidem, nec tamen omnino recte, a Montfauconio (*tab.* 147) esse delineatam. In ea enim praeter quaedam alia haec legi ΔΟC ΜΟΙ ΧΑΡΙΝ ΝΙΚΗΝ ΟΤΙ ΕΙΡΗΚΑ ΣΟΥ ΤΟ ΚΡΥΠΤΟΝ ΚΑΙ ΑΛΗΘΙΝΟΝ ΟΝΟΜΑ, cet. *Και* enim inter *χαριν* et *νικην* a gemma sane abest, licet Montfauconius id vel legere sibi visus sit, vel, ut integram sententiam redderet, suppleverit. Male etiam vir doctus pro penultimo verbo (*p.* 359 *f.*) scriptum habet *ἀλικωφρον*, in palaeographia Graeca autem (*p.* 179) *αλιχωφνον*, quod quum nihili esse bene sentiret, *ἀνεκφωνητον* quidem substituit, repugnantibus tamen literis in gemma incisis. Sensus igitur illorum verborum est „occultum et *verum* nomen." Ubi etiam *δος μοι χαριν* Montfauconius vertit *da mihi gratiam*, equidem clarius vertisset velim *redde me gratiosum*, vel *amabilem*. In alia enim gemma, quam

inter Graecas inscriptiones proferemus, legitur *προς παντος ανθρωπους δοτ' αι χαριν conciliate mihi semper apud omnes homines gratiam.* Atque id voluisse amuletorum auctores (§. 494) mihi quidem persvasum est (*conf. Camill. Leonard. spec. Cap. in extremo*). -- Quod Hebraeum denique קל verti *vocem*, hujus versionis praesidium habeo in psalmi (29, 3) verbis קל יהוה.



727. Utramque gemmam Capellus (*n.* 150 *et* 113) in aes incidendam curavit; ex quibus prioris exemplar, quum gemmam ipsam in museo Cassellano reperissem, correxi, alterum non nisi ad Capelli fidem exscriptum tradere potui. Quae quum unam eandemque habeant inscriptionem, facile intelligitur prioris ex gemma ipsa petitam lectionem omnino esse praeferendam. Fieri etiam potuit, ut imprudenter Capellus unam eandemque gemmam bis

delineandam curaret. Obscuris autem verbis adferri aliquot lucis a tertia gemma videtur, cujus ectypon ab eodem Capello (*n.* 130) editum, et in eodem museo a me correctum, lectorum oculis hic subjicio:



Eandem enim haec, quae in superioribus est, inscriptionem praebet, nisi quod in illis quaedam verba ab initio sunt addita. In iis autem serpens quum compareat in gyrum adactus, qui in hac tertia desideratur, inde colligi posse videtur priora verba ad serpentis figuram quodammodo spectare. Videbis igitur quanti intersit gemmas conferre plures (§. 557), et cum imagine etiam comparare verba (§. 532). Tres autem illae inscriptiones hae sunt:

ΒΩΧΧΩΝΙΑΩΙΑΡ ΒΑΘΑΓΡΑΜΝΗΦΙΒΑΟΧΝΗΜΕΩ
ΚΩΧΧΩΝΙΑΩΙΑΡΚΑΟΑΓΡΑΜΝΗΦΙΚΑΟΧΝΗΜΕΗΙ
ΙΑΡΒΑΘΑΓΡΑΜΝΗΦΙΚΑΟΧΝΗΜΕΩ

Ex quibus nunc vera lectio facile erui, simulatque errorum, qui in prioribus deprehenduntur inscriptionibus, causa perspici potest, quae in confusione literarum B et K (§. 193. 198. 209. 725) Λ et Δ (§. 198. 203) et insveta literae Ω forma (§. 198. 201) quaerenda est. Attamen de prioribus verbis, adeo obscuris, ne ullam quidem conjecturam cepissem, nisi instituta illa trium gemmarum comparatione ad hanc, quae sequitur, interpretationem, quantumvis incerta ipsa sit, adductus essem:

BΩX	XΩN	ΙΛΩ	ΙΑΡΒ	ΑΘΑ
בעג	כן		יערב	אתא
In gyro	*statio* (est)	*τον Jao.*	*Gratum sit*	*signum hoc:*
ΓΡΑ	ΜΝ	ΗΦΙ	ΒΛΟ	ΧΝ
גרה	מן	עפי	בלוה	כן
excitat	*ex*	*languescere meo:*	*per appendere*	*firmat*


ΗΜΕΩ

עמהו

propinquitas ejus.

Infinitos modos loco nominum esse linguae gnari non ignorant. De Chaldaico illo vocabulo עג, quod idem atque Hebraeum חג, profecto non cogitassem, nisi *serpentis* in gyrum adacti figura et illa de eis, quae *circularis* sunt formae, veterum doctrina (§. 702) ad id me adduxissent. Nondum enim alibi observavi literam *Gimmel* a Graecis cum *Chi* permutatam esse; id quod hoc loco pronuntiationi tantum tribuo, ex *Caph,* quod proxime sequitur, exor-

tae. Verbis *signum* et *appendere* haud obscure amuletum denotatur, unde in alio etiam (§. 749) vocabulum אות verti *amuletum*.



728. Ediderunt hanc gemmam Capellus (*n.* 47) et Montfauconius (*tab.* 161), in qua Hercules Nemeum suffocans leonem conspicitur. Atque haud scio an illius laborum ullus imaginibus tam frequenter, quam hic, sit celebratus. Namque eandem imaginem non solum in aliis gemmis, sed in omni monimentorum genere deprehendere licet (*Gorl. n.* 442. *Chifflet.* 90. *Molinet. tab.* 28. *n.* 11. *Wildei gemm. tab.* 40. *n.* 149. *Rasp. tab.* 40. *n.* 5684 *et sequ. Passer. tab.* 118. *Lippert. p.* 14. *Montf. I. tab.* 126. *n.* 3 — 6. *V. tab.* 172. *Gemm. Malbur. n.* 44. *Ficoron. II. tab.* 9. *Mus. Flor. I. tab.* 36.

n. 9. *tab.* 37. *n.* 1 *et* 2. *III. tab.* 65. *IV. tab.* 22 *et* 52. *Creuzer. symb. tab.* 36. *n.* 3. *Fabretti inscr. p.* 534. *Agostin. dial.* 5. *p.* 168. *Choul. rel. Rom. p.* 160. *Num. cimel. Caes. I. tab.* 13. *II. tab.* 1. *Goltz. Sic. tab.* 9. *f. ejusd. insul. tab.* 13. *n.* 3. *Beger. II.* 573. *Boissard. II. lit. M. Gorii inscr. Etrur. III. tab.* 8. *Cayl. VI. tab.* 27. *Mazochi inscr. Heracl. in fronte. Ant. Hercul. IV. tab.* 4. *Hist. de l'acad.* 40. *ad p.* 92 *et* 94. *Mus. Pio-Clem. IV. tab.* 41 *et* 42. *Add. num. ap. Cuper. in apoth. Hom. p.* 263 *laudatos*). Antiquitas etiam similium Herculis imaginum ex Pausaniae (5, 10, 2. 5, 11, 2. 5, 26, 6. 9, 11, 4) relatione patet.

729. Causam cur tam frequens Hercules depictus fuerit quaerenti locus adeundus est Diodori (5. 64) quo Herculem, tradit, „gloria insignem fuisse, qui ludos Olympiacos instituerit; quos posteri nominis similitudine decepti ab Alcmenes filio conditos esse opinentur. Hujus rei documento adhuc esse, quod mulieres sua etiam aetate *incantationes* ab hoc deo mutuentur et *amuleta quaedam sibi circumligent;* utpote qui magus fuerit et sacras ceremonias tractarit. Quae longe aliena esse a more Herculis Alcmena editi.“ Quo quidem loco licet de Idaeo Hercule sermo sit, ad quem imago leonem suffocantis minime pertinet; Diodorus tamen ipse observavit, sua jam aetate utrumque Herculem confundi solitum esse, quapropter, quae de amuletis tradit, hoc loco silentio haud praetereunda duxi. Sed non desunt aliae eaeque certiores causae imaginis Herculeae in amuletis frequenter adhibitae. Hercules enim

hominibus adjutor esse censebatur ideoque *βοηθὸς* appellabatur (*Dio Chrys. or. I. p.* 17) quem ferebant (*Liban. parental. in Julian. c.* 92) „ubique terrarum mariumque a male afflictis absentem etiam invocari, iisque ipsum ejus *nomen* subsidio jam esse." Quod idem in alterum etiam Herculem Idaeum quadrat, cui Pausania (5, 8, 1) referente, aram jam Clymenus dedicaverat, Herculis *adjutoris* cognomine ei imposito. Quare *σωτὴρ* in lapidum titulis (*Donii inscr. tab.* 7. *n.* 2. *ad p.* 58) in gemmis (*Winckelm. catal.* 281) atque praesertim in Thasiorum numis (*Gesner. ad Orph. p.* 12. *Beger. I.* 413. *Gyraldi op. tab. p.* 1. *ad p.* 327) qui optimi in aere incisi sunt curante Schulzeo (*in diss. de num. Thas. Hal.* 1737), sive *Salutifer* (*Antiquit. d'Herculan. VII. p.* 7) appellatur. Romae enim III. non. April. Hercules *victor* colebatur tanquam *salutis dator* (*ὑγείας δοτήρ. Laurent. Lydus mens. Apr. c.* 44. *p.* 220). Nummum etiam Constantinus M. cudendum curavit cum typo Herculis leonem suffocantis inscriptum HERCVLI CONSERVATORI CAES. (*Banduri num. II. p.* 211). Nota praeterea sunt ejus cognomina et *Custodis*, et *Παραστάτου* (*Gyraldi op. p.* 328. 331), praesertim antem *ἀλεξικάκου*, id quod non marmora solum testantur (*Boissard. IV.* 117. *Montfauc. I. tab.* 135. *Murator.* 62, 9); sed plures etiam scriptores (*Clemens ad gent. Op. p.* 16. *Lactant. inst.* 5, 3. *Hesych. Phavorin. cet.*). Quod quidem cognomen adeo usu invaluit, ut quotidiano etiam sermoni exclamatio immisceretur *Ἡρακλες ἀλεξίκακε* (*Lucian. in Fugitiv. c.* 32. *T.* 8. *p.* 332). Quid? quod ad

domus extrinsecus adscribebatur Herculis nomen: Diogenes quum in aedibus cujusdam inscriptum legeret *ὁ καλλινικος Ἡρακλης ἐνϑαδε κατοικει: μηδεν εἰσιτω κακον* - - „quomodo igitur“ exclamavit, „ingredietur aedium dominus?“ (*Clem. Alex. strom.* 7. *p.* 713). De planeta, qui Marti plerumque tribuitur, sed a quibusdam Herculis nomine insignitus est (*Jablonsk. panth. II.* 129. *Guthberleth de Sal. c.* 4. *p.* 129. *Cleric. in ind. ad Stanley. v. Mars*) quo minus cogitemus, gemmae nostrae imago prohibet, quae ex Amphitryoniadae laboribus unum satis clare nobis repraesentat, qua imagine *malorum depulsorem* hic denotari arbitror.

730. Atque adeo superstitiosa opinio erat de Hercule mala averruncante, ut tradente Constantino Caesariensi (*de herbis L.* 2) homines, ad herbam, quae leguminibus infesta erat, depellendam in testis appingere solerent Herculem leonem suffocantem, easque in angulis medioque arvi loco ponere. Illius imaginis perfectam quoque descriptionem, in remedio habemus quod ad dolores colicos adhiberi Alexander Trallianus (*L.* 10. *ed. Henr. Petr. p.* 592) tradit, hoc pacto conficiendum: „*Herculem erectum suffocantem leonem* in lapidem medicum insculpito atque inclusum in annulo aureo gestandum dato.“ Etenim medicinae peritum sese ostenderat Hercules quum inter homines versaretur morbosque curaret (*Plutarch. in Erotic. p.* 761. *Euseb. praep. evang.* 3, 11. *p.* 112. *Eckhel. doctr. num.* 7, 213). Unde in hymno sic Orpheus (*interprete Salmasio p.* 164) eum alloquitur:

Adsis morborum averrunca piamina portans
Et portenta move, quatiens sacra februa dextra
Et mala praepetibus protela obscaena sagittis.

Pausania (9, 24, 3) denique et Diodoro (4, 24) testibus morborum remedia ex Herculis delubro petebantur.

731. Satis igitur perspectum habemus fieri potuisse, ut illa Herculis leonem suffocantis imago in gemmis insculpta amuleti loco a superstitiosis hominibus appenderetur. Sed nostrae gemmae an similis unquam fuerit usus ex inscriptione certe non liquet. Cui quamvis Bellermannus (3, *p.* 9), falsam Passerii (*II.* 271. *n.* 124) lectionem temere secutus, ut lucem afferret frustra laboraverit; ego tamen verborum sensum assecutus esse mihi videor. Nam solus ille character, crucis forma † pictus, dubius videri potest. Sed latent in eo literae T et I conjunctae. De quibus quasi conflatis literis uberius olim (*palaeogr. crit. I. p.* 138 *sequ.* 173) egi. Nec rara sunt monimenta, quae illum characterem exhibeant (*Chishul. ant. Asiat. p.* 34. *Torremuz. Cl.* 8. *n.* 11. *Verona illustr. P.* 4. *p.* 4. *app. Camden. Brit. ed.* 1615. *p.* 570. *Act. erud. Lips.* 1715. *p.* 519), ex quibus observes velim lapidem (*ap. Reines p.* 316), in quo verbum *majestati* sic MESTA† exaratum est. Legendum itaque in gemma nostra ΛΑΝΤΙΑΔΩΝΑΙ, et substitutis literis Hebraeis לא נטה אדני. Quae vertere licet *non deflexit se dominus meus*, quasi dixeris *non declinavit pugnam.* De tribus enim in medio collocatis literis, quas Bellermannus, nugaci illi Passerio fidem

adhibens, pro tribus A accepit, ad gemmam, quae proxime sequitur, disserendi locus erit.




732. Gemmam hanc, in qua eadem Herculis imago est incisa, Capellus (*n.* 47) et Montfauconius (*tab.* 161) ediderunt. Quumque de Hercule leonem suffocante satis jam dicta sint, ad inscriptionem protinus transientes primum observamus tres in medio collocatas literas minime A, sed pariter atque illae in antecedenti gemma K esse. Hanc enim literam quantumvis, ut literae A similis fieret, vertere volueris, hujus tamen formae ⊼ nulla in reliquis utriusque gemmae verbis comparet. Tria igitur *Kappa* omnino sunt legenda, quae tamen cave ne ad Sibyllinum illud τρια καππα κακιστα (*Fabr. bibl. Gr. I.* 181) referas. Reddita enim Hebraeis literis קקק sunt, quorum ternarius numerus istam, de qua supra

(§. 267. 274) egimus, superstitionem redolet. Atque Judaei, quum literam ק ter scribunt, vocem קדוש ter repetitam significatam volunt (*Buxt. de abbrev.* 184); id quod ex Jesajae loco (6, 3) petivisse videntur, quo קדוש קדוש קדוש יהוה צבאות legitur. Imitati hoc deinde Christiani sunt non solum ἅγιος ἅγιος ἅγιος κύριος σαβαωθ canentes (*Meursii gloss. p.* 581), sed in amuleta etiam haec verba incidentes (*Morgenstern. comm. de num. Basilii*). Illa autem tria *Kappa* ad reliqua verba non pertinere diversa in utraque gemmâ inscriptio docet, et alia insuper a Raspeo (*n.* 500) descripta declarat, in qua scarabaeus sub globo radiato positus tria K sibi subjecta habet. Sunt tamen gemmae, quibus tres alius formae characteres (*Molinet. tab.* 28. *n.* 12. *Rasp. n.* 5687. *Wilde. gemm.* 149) quid significent equidem adhuc ignoro. Quae in margine legitur inscriptio ob vitium lapidis non integra est: unde missa facta prima voce, quae literis ΕΩ terminatur, reliquas hoc modo interpretanda esse arbitror:

ΒΑΡ	ΡΑΒ	ΑΥΛ	ΡΥΗCC
בר	רב	אול	רצץ
Filius	*magni*	*roboris*	*violenter opprimens.*


Extrema vox Chaldaice רסס etiam scribitur. Locutione per orientem usitata *filius roboris* quid significetur linguae gnaros non fugit. Afer etiam ille Martianus Capella (*L.* 1. *p.* 21) verbis „quidam deus *roboris inauditi*" Herculem aperte designat.



733. Qui effigiem in hac gemma (*Capell. n.* 51) animalis, sex pedibus instructi, consideraverit, illico formicam agnoscet. Quae quidem etiamsi est parvula, neque in nostris regionibus, nisi ab agricolis et hortulanis, timenda (*Virg. Georg. I.* 185. *Ovid. Fast. I.* 685); aliis tamen vastationes infert horrendas. A peregrinatoribus enim accepimus, in Africae oris formicas interdum omnia populari, quin etiam domus ab eis everti. Quid? quod totam gentem, nomine *Gerham*, a formicis deletam esse scriptores quidam Arabes tradunt. Quumque noxia animalia antiquitas credebat averti insculpta in amuleto eorum effigie ipsa (§. 512) haud equidem repugnabo, si quis dixerit ut averruncarentur formicae hoc amuletum inventum esse. Horapollo quidem (1, 49) ab Aegyptiis formicae imagine γνῶσιν significari tradit. Atque ex proverbiis Salomonis (6, 6) colligitur formicam providentiae symbo-

lum esse; id quod Horatius (*Sat.* 1, 1, 35) confirmat: sed dies non sufficeret, si omnia quae ab Aristotele, Aeliano, Plinio, Epiphanio, aliis, de hoc animali traduntur, referre vellemus.

734. Inscriptiones quo breviores sint, eo difficiliores explicatu esse haud semel (§. 648. 711) observavi. Gesenius quidem (*in comm. de inscr. in Cyren. rep. p.* 15) ad hanc gemmam adnotavit: „ΘΧΙ i. e. Ἰχϑ(ύς) emblema Christi.“ At vero multi in aliis etiam gemmis hoc nomen legere sibi visi sunt, ubi neutiquam erat (§. 31. 49. 490) atque in numo quodam literae ΙΧΘ pro *Jesus Christus deus* pariter perperam sunt observatae (*Cuper. Harp. p.* 273). Equidem ingenue fateor, neque lectionem illam, neque explicationem mihi placere. Etenim si pro Graecis verba illa vir doctus habebat minime retrorsum legenda erant, sed ΘΧΙ. Ita etiam quae quinque siglis constant, ulterius breviari nequibant; et Christi nomina denique cum illius animalis effigie non bene conferri poterant. Quoniam autem nemo fere quisquam erit qui hanc tribus tantum literis notatam inscriptionem ita explicet, ut nullum remaneat dubium; ea tantum annotare lubet quae paucis cognita esse existimo. Erat enim TACHIA nomen proprium formicae cujusdam, qua cum Salomon confabulatus esse perhibetur: id quod Bochartus (*hieroz.* 4, 22. *T.* 2. *p.* 602) ex lexico Arabico Alcamus docet, etymonque vocis etiam eruere studet.



735. Exscripsi hoc exemplar e lamina plumbea, quae in museo Creuzeri nostri asservatur. De vi ac potestate literarum, quarum forma pessima est, omnino incertus adhuc essem, nisi in aliud amuletum forte incidissem a Baronio (*ad a.* 120. *n.* 10) primum editum, et a Gorlaeo (359) Chiffletio (*n.* 29 *et p.* 6) Montfauconio (*tab.* 168 *f.*) et Outreinio (*Symb. II. p.* 8) repetitum. Similia Raspeus (*n.* 582. 583) vidit, atque aliud Caylus (*VI. tab.* 22) publicavit. In illo Baroniano praeter alia eadem fere, quae in lamina nostra leguntur. Atque in priori laminae facie inscripta verba ABRACAC (§. 452 *sequ.*) ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ (§. 580 *sequ.*) supra in examen vocavimus. Longe autem difficiliora sunt intellectu in posteriori facie exarata, quae compares velim cum verbis baculo inscriptis, quem manu tenet vir apud Baronium in gemma depictus. Inscriptionum enim, quas nunc subjungimus, prior Baroniana, posterior nostra est:

ΟΙΝΘΑΡΑΙΑΘΑΜΘΥΑΑΧΑΒΡΑCΑΞΘΘΥΘ
ΟΙΝΘΑΡΑΙΑΘΑΜΘΥ..ΑΧΙΑΩ.

Quae in utriusque inscriptionis fine post syllabam AX leguntur, tutelarium numinum nomina esse facile intelligitur. In reliquis utraque inscriptio concinit, nisi quod in lamina nostra litera Λ ante syllabam AX omissa est.

736. Ac Passerius quidem, quum (*II.* 250. *n.* 3) quid significent verba illa apud Baronium quaereret, haec adscripsit: „ΦΡΗΟ, *emitto;* ΑΡΑΞΑ, *frango;* ΓΑΜΟΥΛΑΧ, ΑΒΡΑCΑΞ ΘΥΟ, *sacrifico deo Abraxas!*“ In quibus quid magis mirer, licentiam legentis literasque pro lubitu mutantis, an perversitatem vertentis, haud facile dixerim. Prudentior certe Montfauconius (*p.* 373) ab illorum verborum interpretatione prorsus abstinuit. Cujus et ego exemplum secutus essem, nisi suspicio mihi incidisset verba illa Hebraea esse sic forsan explicanda:

ΟΙΝ	ΘΑΡΑΙ	ΛΘΑΜ	ΘΥΛΑΧ
עין	תראה	לתם	תלאך
Ocule	*respicias*	*ad finientem*	*angustias tuas.*

Sequuntur nomina dei tutelaris angustias finituri; nimirum in lamina ΙΑΩ, in gemma ΑΒΡΑCΑΞ. Quod vero in hac sequitur ΘΘVΘ, nisi pro *Θωυϑ* quis id legere, vel, Hebraeis literis substitutis חת הוית, *efficere,* sive *fieri*, *significasti* vertere voluerit, equidem non intelligo. Omissa quidem in Creuzeri lamella est litera Λ: sed ΘΥΑΧ pro חועך itidem „*infortunium tuum*“ significat.



737. Ad hujus gemmae ectypon, quod a Passerio (*I. tab.* 138) mutuati sumus, ille haec (*II. p.* 169) adnotavit: „Aenigma potius quam symbolum continet in hac gemma Sphinx, nunquam magis ambigua, et vel *ipsi Oedipo insuperabilis*, cujus nodum nemo sane, nisi qui ligavit dissolvet" - - et paulo post (*p.* 170) „quia vero haec ipsa gemma in postica parte consveto *magorum* symbolo, *dracone, et literis* instructa est; puto inter amuleta censendam esse: quod ubi admittamus, hujus griphi solutio a scientia antiquaria minime (!) exspectanda est; sed ejus intelligentia cum illis periit, qui ex ingenio inanem hanc et *impiam artem* confinxerunt." Sed facile perspicitur, cur Passerius istam adfectarit pietatem, qui ne serpentis quidem in orbem coacti significationem cognitam haberet, nedum verba intelligeret inscripta. Equidem quamvis neque Oedipus sim, neque magus, neque illius gemmae auctor, sensum tamen quum imaginis, tum verborum adscriptorum, assecutus esse mihi videor.

738. Misso igitur Passerio audiamus virum illo longe doctiorem Tychsenium Gottingensem, qui (*Bibl. d. alt. Literat. VII.* 23. x)) suspicatus est, „errore ejus, qui gemmam delineasset, nec *rotam* pedi Sphingis subjectam agnovisset, pro illa *calvariam* substitutam esse: neque enim Lunam et stellam, neque Mercurii virgam *ad inferos* sed ad superos spectare." Verum enimvero, quod pace tanti viri dictum sit, verbis, quae inscripta sunt, non intellectis, aeque periculosum est, corrigere velle imagines quam literas. Profecto *calvariam* esse, quam videmus, minime *rotam*, et alia gemma (*in Mus. Flor. II. tab.* 94. *n.* 2), in qua itidem calvaria ante pedes Sphingis picta est, et inscriptio in nostra docet. Memoriae etiam lapsu negasse vir doctissimus videtur tam Lunam quam Mercurii virgam spectare posse ad inferos. Sed praestat ante omnia exponere verba iis adscripta, quae sic lego:

ΑΛΒΑΝΑ	ΘΑΛΑΚΑ
הלבנה	תלקח
Luna	*recipiet*

animam nimirum mortui, qui calvaria denotatur. Quae sequuntur ΙΩΙΩ, nisi יהיה *fiat* vertenda sint, ex Semitica lingua explicare nequeo. Bellermanni in interpretanda hac inscriptione labores praetereundos esse duximus, quippe qui (*III.* 10) ne literas quidem bene legerit: licet earum nulla dubia videri possit, praeter R Latinam, qua tamen figura Graecis literis inserta plerumque B denotari haud ignoramus (§. 198. 200. 720).

739. Jam vero imagines qui inspexerit mortuum videbit, quem pede premit *Sphinx*, qua quasi futurae sortis incerta ratio vel aenigma denotatur (§. 528). *Luna* autem, superiori loco collocata, receptaculum animarum dicebatur. (*Lips. stoic. physiol.* 3, 14. *Mosh. hist. Chr. ante Const.* 3, 49, 3. *p.* 862). Namque „infra eam," ut verbis Ciceronis (*Somn. Scip. Macrob. I.* 17) utar, „nihil est nisi mortale et caducum, praeter animos (*conf. Tertull. de anima c.* 54) munere deorum hominum generi datos (*Macrob. somn. Scip.* 1, 14. *Mart. Cap. L.* 2. *p.* 39): supra Lunam sunt aeterna omnia." Unde Macrobius (*I.* 11) „atque ideo" inquit „inter Lunam terrasque locum mortis et inferorum vocari, ipsamque Lunam vitae esse mortisque confinium, et animas inde in terram fluentes mori, *inde ad supera* meantes *in vitam reverti*, non immerito existimatum est." Plutarchus autem (*de facie in orbe Lunae f. p.* 944) „animae naturam" ait „ad Lunam deficere (λειπειν επι την Σεληνην)," et paulo post „*in Lunam resolvi animas* sicut cadavera in terram." Quoniam enim e sempiternis illis ignibus, secundum Ciceronem, qui Platonem (*Tim. X. Bip. p.* 18) secutus est, maxime e Luna (*conf.* §. 670) animas descendere in corpus humanum credebant; mox etiam retro, unde egressae essent, sese recipere docebant (*Petho in orac. ab init. p.* 81). *Animae* enim, ut Servius (*ad* 4, 654) inquit, *originem suam petunt*.

740. Caduceum denique, quem Sphingi additum non solum in nostra, sed in alia etiam gemma (*Mus. Flor. II. tab.* 94. *n.* 6) vide-

mus, omnino ad inferos etiam spectare Mercurii munus docet (*Macrob. Saturn.* 1, 19) quo functus, quemadmodum Virgilius, Homerum (*Odyss.* 24 *init.*) imitatus, (*Aen.* 4, 242) canit,

> *Tum virgam capit. Hac animas ille evocat orco*
> *Pallentis; alias sub Tartara tristia mittit.*

Pariter Appulejus (*met.* 11. *p. Oudend.* 775), ubi Aegyptiorum Anubidem sive Mercurium (§. 610) *Superûm commeatorem et Inferûm* appellat, haec ab Aeschyli (*Choeph.* 163) illo *κηρυξ μεγιστε των ἀνω τε και κατω* habere videtur. Ex hoc autem officio umbras Plutoni deducendi, cujus uberiorem mentionem Lucianus (*dial. deor.* 24, 1 *et mort.* 5, 1. *T. II. p.* 83. 140) facit, Mercurius cognomina invenit tum *ψυχοπομπου* (*Diod.* 1, 96. *Cornut. c.* 16. *Gal. p.* 166), tum *ταμιου των ψυχων* (*Diog. Laert. L.* 8. *in Pythag. p. m.* 586), tum *Arcetii* (*corp. inscr. Gr. p.* 488). Quin in lapidum etiam titulis diis *inferis* adnumeratur (*Hist. de l'acad. des inscr. III. p.* 213 *ed.* 2). Non erat igitur quod ea de re dubitaret Tychsenius. Duplex sane Mercurii officium scriptores aeque declararunt (*Orph. hymn.* 56. *Petron. c.* 140. *Burm. p.* 662. *Claudian. rapt. Proserp.* 1, 89. *Mart. Cap. L.* 2. *p.* 32) atque operibus suis artifices (*Pausan.* 8, 22, 3. *Sepulcr. Nason. ap. Graev. XII.* 1035. *tab.* 5 *et* 8. *Bartol. ant. sep. tab.* 55. *Mus. Flor. I. tab.* 70. *n.* 6. *Pio-Clem. IV. tab.* 34. *V. tab.* 18. *Capitolin.* 4, 25). Ubi nunc, quaeso, in gemma nostra magici illi characteres? ubi impia illa ars? Contra haec nempe quod declamaret Passerius, ignorantia

magis quam vera ejus pietas in causa fuit. Atque hoc tramite saepe istum deprehendi: nec satis mirari Gottingenses unquam potui, qui (*relat. de libr. nov. fasc.* 6. *n.* 3. *p.* 311) librum ejus *cultissimum opus* appellarent!




741. Ex iis, quae in antica hujus gemmae (*ap. Molinet. tab.* 30. *n.* 17. *Montf. II. tab.* 145. *Baudelot. util. des voyag. tab.* 20, *n.* 2) inscripta sunt nihil intelligo praeter nomen in clypeo exaratum *Jao*, cujus litera extrema brachio tegitur. In postica nomina *Adonai* et *Abrasax* dilucide apparent, in quibus literae Ξ forma notatu digna est. Ex iis quae sequuntur priores etiam literae AA-EIX clarae sunt; magis obscurae posteriores, adeo ut Molinetus pro eis (*p.* 123 *f.*) Ω legerit. Quoniam autem litera *Rho* saepe capite aperto, tum Ρ, tum Ɣ, obvia est (§. 193); equidem duas postremas PI lego, et vertendam esse conjicio hanc inscriptionem ad verbum quidem


ΑΔΩΝΑΙ ΑΒΡΑCΑΞ ΛΑΕΙΧ ΡΙ

לך רֵעַ

tibi (sit) *comes.*

Illud λαειχ pinguiori pronuntiationi tribuo.





742\. Recentioribus amuletis hoc adnumero, quod Kircherus (*in arithmologia Rom.* 1665. 4. *p.* 178) publicavit. Atque verba sic quidem lecta " Z ΕΕΕ ΜΑΧΕΙ ΟV CΑΒΑΩΘ ΒΗΛ ΒΑΛCOV-ΜΗΘ ΟΡΟΜΑΞΗ CΑΒΑΩΘ ΜΩΙΩΤ ΑΝΩΒΙ ΜΙΚΑΗΛ ΓΑΒΡΙ-ΗΛ ΝΕΟΡΙΗΛ ΑΒΡΑΞΙ ΑΚΟVΑΜΝΗΡ ΔΙΑΦVΛΑΖΟΝ ΑΛΕ-ΞΑΝΔΡΟΝ, interpretatus est: *Z(ebaoth) E(lan) E(lan) pugna o Sabaoth Bel Balsumith Oromaze, Sabaoth, Moioth, Anubis, Michael, Gabriel, Neoriel, Abraxas, luminis superni affusor custodi Alexandrum.*" Haec ille, qui ne literas quidem, in monimento suo conspicuas, omnes servavit. *Μαχει* a *μαχομαι* derivat, et *ου* pro exclamantis nota habet; *Balsoumith* interpretatur כל

שמים; *Moioth* ex Aegyptiacis verbis ΜΩΙ, *aqua*, et ΦΘΑ, *numen*, (*p.* 183) mira armatus audacia explicat. Sed pernotum est, quantopere nobis sit cavendum, ne Kircheri interpretationibus temere fidem adhibeamus. *Oromazen* iste (*p.* 182) celebre *Aegyptiorum* numen fuisse, affirmat, indice ad Plutarchum tantum consulto, qui si hunc scriptorem ipsum (*p.* 369) evolvisset, facile perspexisset, typographorum mendo illum indicis locum laborare.

743. Obscuram hanc inscriptionem, praesertim quum recentiora tempora redoleat, omnino praeteriissem, nisi amuleti loco eam adhibitam fuisse extrema verba Graeca manifesto declarassent. Sed reliqua Semitica esse videntur. Quibus omnibus certa ratione interpretandis parem me non esse quum bene sentiam, non nisi quae conjectura assecutus sum sagacioribus emendanda et corrigenda proponere licet. Etenim mihi quidem ad vulnera sananda amuletum confectum esse videtur, modo vera haec verborum sit versio:

ΞΕΕΕ	ΜΑΧΕΙΟΥ	CΑΒΑΩΘ	ΒΗΛ	ΒΑΛ
שעה	מכתו	צבאות	בֹּעֵל	בַּעַל
Respice	*vulnus ejus,*	*qui potestates*	*dominas.*	*Dominus*

CΟVΜΗΘ	ΟΡ	ΟΜΑΖΙ	CΑΒΑΩΘ	ΜΩΙΩΘ
שמת	אור	אמצי	צבאות	מאיות
constituisti	*lucem*	*fortium*	*potestatum*	*innumerabilium:*

ΑΝΩ	ΒΙ	ΜΙΧΑΗΛ	ΓΑΒΡΙΗΛ	ΝΕΟΡΙΗΛ
חנו	בי	מיכאל	גבריאל	נוריאל
estote gratiosi,	*quaeso,*	*Michael*	*Gabriel*	*Neoriel!*

ABPAΞI	ABOVAM	NHP	ΔΙΑΦVΛΑΖΟΝ
	אבותם	נהר	διαφυλαξον
Abraxa,	*pater eorum*	*splendide*	*conserva*

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ*

Αλεξανδρον

Alexandrum.

744. Jam vero, quo rationes aeque aestimentur, quibus adductus sic explicanda esse verba conjeci, haec lectorem non ignorare velim. De litera ter repetita, quae in prima voce conspicitur, supra quidem (§. 617. 720) disserui: hoc autem loco tres illas E repraesentare Hebraeas עז visae sunt. Ξ quidem in antiquis speciminibus, quae verba Hebraea Graecis scripta literis exhibeant, non memini me unquam legere; quoniam autem literae ש sonus a Graecis vix exprimi poterat (§. 440 *f.*), Graecum *Sigma*, seriori certe tempore, non suffecisse illis videtur, ut eo Hebraeae literae sonus exprimeretur, quo fieri potuit, ut Ξ magis ei respondere putarent. Atque ejusdem rei aliud exemplum inferiori loco (§. 756) proferemus. צבאות ut cum LXX interpretibus *δυναμεις* verterem verborum nexus postulare videbatur. E diversa in vocibus *Βελ* et *Βαλ* vocali conjeci priori participium, posteriori nomen denotari. OP lucem verti, quia צבאות etiam pro stellis sive angelis eas inhabitantibus (§. 98. 480) accipitur, quorum pater Sol, sive Abraxas, hic appellatur. Ab אמצים propter statum, quem vocant, constructum extrema litera abest. מאה proprie *centum* sonat. Quo-

niam autem pluralem numerum מאיות adhibitum esse observabam, huic eundem sensum inesse suspicatus sum, qui in Latina locutione sexcenta inest. Neque enim Homerum (*Il.* 14, 181) zonam *centum* fimbriis concinnatam, neque Horatium (*carm.* 3, 11, 17) Cerberi caput *centum* anguibus munitum, neque Virgilium (*Aen.* 7, 658) hydram *centum* cinctam serpentibus, vel (1, 295) Furorem *centum* vinctum nodis, vel (7, 609) Jani templum *centum* vectibus clausum, canentes centenarium omnino numerum exprimere voluisse dixeris, sed magnam tantummodo multitudinem. BI. Ita legi, quum primae literae figuram Ɛ pariter atque hanc Ƃ (§. 193. *Montf. pal. Gr. p.* 336) imperfectis literarum formis (§. 200) adnumerarem. Angeli, quorum nomina sequuntur, ipsae illae potestates esse videntur. In quibus nomen Neoriel Kircherus (*p.* 185) a Graeco *νοῦς* et duobus Hebraeis vocabulis אור et אל ducit: sed inepte ad Graecam linguam confugit, quum נהור, *lux* sive *splendor* praesto neque ignotum esset nomen נוריאל (*Buxtorf. abbrev. p.* 40). Quod reliquum est, recte quidem Kircherus vidit, non posse in voce AROVAM latinam R inter Graecas literas legi (§. 198. 200); sed male substituisse mihi videtur literam K, pejus etiam, ne dicam ridicule, vertisse „Akouamnar“ - - *luminis superni affusorem!* Cognomen denique NHP (נהר) *splendens* sive *splendidus*, quod Abraxas, quem pro Sole habemus (§. 460. 566), hic nactus est, apprime convenit cum Coptico illo AAM, quo idem in Aegyptiaca inscriptione (§. 589) ornatur.



745. A multis (*Spon voyage à la Haye* 1724. *I.* 337. *à Lyon III.* 156. *Outrein heil. Sinne-Beelden II. p.* 20. *Schwartz. miscell. philos. et theol. Cob. p.* 178) editum hoc amuletum inter recentiora referendum esse quum tota gemmae fabrica, tum ipsa inscriptio docet. Insculptam figuram qui Ophiuchi esse sibi persvadent omnino errant; hujus enim veriorem imaginem *ambabus* manibus serpentem tenentis (*Eratosth. catasterism.* 6. *in Gal. opusc. myth. p.* 103. *Empedocl. sph. v.* 44. *in Harles. bibl. Gr. I. p.* 819. *Hygin.* 3, 13. *p.* 432) videre in gemma possunt apud Gorlaeum (403) vel Chiffletium (60). Eam quoque versus declarant Ciceronis (*N. D.* 2, 42 *et phaenom. fragm.*)

Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graji


Hic pressu duplici palmarum continet anguem,
Ejus et ipse manet religatus corpore toto:
Namque virum medium serpens sub pectore cingit.

Sed posterior hujus descriptionis pars, cui Hyginus etiam fidem facit, neque in gemma illa est expressa, neque in recentiorum scriptis legitur. In Salomonis nempe sigillis Ophiuchus hunc in modum describitur: „Serpentarius est hominis figura habentis serpentem, tenentis in dextra caput et sinistra caudam. Est in signo scorpionis et in septentrione: naturam habet Saturni et Martis: virtus ejus, in lapide sculpti, est valere contra venena.“ Eadem repetiere Camillus Leonardus (*L.* 3. *c.* 13. *p.* 52 *vers.*) et Agrippa (*philos. occ. L.* 2. *c.* 36 *f. Op. I. p. m.* 217). Alius praeterea apud eundem Leonardum locus, qui magis cum nostro amuleto congruit (*in fine oper.*) hic est: „Hominis *alati* figura habentis *sub pedibus* serpentem, ac *tenentis caput* ejus in manibus, divitem, prudentem, et amabilem ab omnibus, gestantem efficit.“ Alatus, qui hic dicitur, in nostro Mercurius est, in capite et pedibus alis ornatus.

746. Quo autem melius perspici possit cur ille anguitenens specie Mercurii obveniat, icunculae, quae ex plumbo et stanno conflata est, imaginem e museo Moscardi (*Note overo memorie del museo.* 1672. *p.* 364) in pagina, quae sequitur, subjungimus:


כתר
חכמה בינה
גבורה
גדולה
תפארה
נצח הוד
יסוד
מלכות

Legenda autem et vertenda verba esse patet: in capite כתר *corona;* in humero sinistro חכמה *sapientia,* in dextro בינה *prudentia;* in brachio sinistro גדולה *magnificentia,* in dextro גבורה *fortitudo;* in pectore תפארת *gloria;* in ventre נצח *victoria,* הוד *majestas;* in crure sinistro יסוד *fundamentum,* in dextro מלכות *regnum.* . . Atque Judaeorum nugas has esse vel ipsae recentiores eorum literae declarant, et magis etiam verba illa, de quorum primo Reuchlinus (*de arte cabb. L. I. p.* 3. *versa*) „sicut deus in mundo ita mens in homine inter decem *Sephiroth* regni gerit diadema et recte cognominatur כתר, id est *corona.*" Conferre etiam licet Buxtorfium (*in lex. Chald. p.* 90. *et de abbrev. p.* 105) de cabbalistarum אכתריאל, et, si tanti est, Reuschium (*ad Ebermayer. cap. deor. p.* 218). Mercurium autem, a cujus cultu Maimonides (*de idolol. c.* 3. §. 2, 4 *et* 7) tantopere Judaeos dehortatus est, maxime eis placuisse haud miramur, quum mercatorum ille esset deus. Accedebat quod cum Michaele archangelo ipsum conferebant (§. 301. 302), qui princeps seu custos Israelitarum ex loco Danielis (12, 1) putabatur (*Hyd. rel. Persar. p.* 271. 273. *Millii diss.* 1, 44. *p.* 65). Quumque plurium amuletorum auctores fuerint Judaei, nomen Michaelis in ejusmodi monimentis haud raro nobis occurrit. Unde huic etiam plumbeo



quod Caylus (*IV. tab.* 104. *n.* 11) edidit, lux afferri potest. Male quidem in antica PATRIE pro PATRE, et pejus etiam in postica HI XA HA ille legerat. Qui si non ignorasset literam M saepe (§. 198. 203) hac forma H, et Graecam Λ hac forma A (§. 198) obvias esse; sane MIXAHA legisset. Mixtae enim in hoc amuleto Graecae cum Latinis literis rei peritorum neminem morabuntur (§. 188. 423. *sequ.*). Figuram etiam, quamvis non distinctam, persvasum habeo Mercurium repraesentare, et alas esse, quas Caylus pro litera I acceperit: hujus enim in illo verbo locus neutiquam esse potest. Fortassis: Patre Michaele *tutus* intelligendum.

747. Difficilius solvenda esse videtur quaestio, qua de causa serpens in illo amuleto et in similibus Mercurio sit additus? Namque veram serpentarii figuram hanc non esse modo (§. 745) dixi, quantumvis Passerius (*II.* 218) in hoc errore perseveraverit. Qui gnosticis omnia tribuere solent Ophitas advocant, veluti Kircherus qui (*in arithmol.* 185) a gnosticis Michaelem dictum esse Ophiomorphon, sive serpentis forma praeditum, refert, ejusque rei testem Irenaeum (*L.* 1. *c.* 30. §. 9. *p.* 111) excitat. Laudare quoque poterat Theodoretum (*fab. hered. I,* 92. *p.* 308) qui ab Ophitis dei filium serpentis forma praeditum Michaelis nomine appellatum esse tradit. Qui vero serpentem a Michaele, sive Mercurio, pedibus calcari animadverterit hoc certe loco perverse illam opinionem a Kirchero adlatam esse censebit. Serpentis figura fictum potius esse diabolum arbitror (§. 83), cum quo Michael semper

magnam habebat altercationem (*Dan.* 10, 13). Non enim solum disputabat cum eo de corpore Mosis (*Judae apost.* 9); sed proelio etiam magno ab ipsis commisso (*Apocal.* 12, 7) victus tandem draco est.

748. Verba in amuleto illo inscripta Sponius quidem hoc modo explicare tentavit: ΙΑΩΘ *Dominus*, ΣΑΒΑΩΘ *Exercituum*, ΑΒΡΑΘΙΑ *Majestas*, ΑΟυΘΑΤ *Abscondita*, ΟΥΡ ΗΣ *in lumine ignis*, ΜΑΡΣΑ *Possessio*, ΑΑΙΩΘΟ *divinitatis suae*, ΟΝ ΟΥΡ *Vis luminis*, ΙΑ ΜΙΧΑΗΑ *Michael.* In brachio dextro: ΑΒΡΑΜ *Abraham*, ΝΙΚΑΜΑΡ *Nicamarius.* In brachio sinistro (omisit interpretationem et possuit): in serpente ΣΕΣΑΓ *Sesac*, ΣΕΝ *nomen*, ΒΑΡ *filii*, ΦΑΡΑΝΤΕΣ *Pharantis.* In corona ΑΜΟ *Populi*, ΡΩΜΑ *exaltatio.* In cruribus ΡΑΦΑΗΑ *Raphael*, ΙΑΣΟΥΗΑ *Jasuel.* Sub pedibus: ΑΑΜΝΑ *Stercus*, ΜΕΝΕΥΕ *pulchritudinis.* Nempe Gallice haec extrema verba Sponius verterat „*la fiente de la beauté*," quae Belgice apud Outreinium (*p.* 22) sonant: „*Mest, Drek, van de Schoonheid!*" - - Qua in explicatione, sermonis vitiis non animadversis, Outreinius licet acquieverit; magis tamen ista mihi obscura quam ipsa inscriptio est. Nec Montfauconio (*II. p.* 374) ea satisfecit, quamvis meliorem ejus in locum substituere vir doctus supersederit. Certe falsum fuisse Sponium vel ex eo colligi potest, quod ne literas quidem omnes agnovit, formulasque *Ακραμα χαμαρι* et *Βαρ φαραγγες* saepissime in amuletis obvias esse prorsus ignoravit. Quid tandem, quaeso, Androcy-

dem (§. 504), si reviviseeret, judicaturum putemus legentem, illud *Δαμναμενευς*, quod olim interpretatus esset „*Sol dominans*,“ nunc a nobis verti „*Drek van de Schoonheid?*“

749. Mihi quidem, quamvis nomina et formulas illas usitatas facile agnoscam, ad reliquorum plurima non nisi conjecturas afferre licet. Ita enim interpretanda esse conjicio verba in pectore et ventre post nomina ΙΑΩΘ (§. 473) et CΑΒΑΩΘ inscripta:

ΑΡΒΑΘ ΙΑ ΑΩΘ ΑΤΟΥΡ ΙΙC

ערבת חיה האות אטר איש

spopondisti salutem! Hoc amuletum circumsepit virum

ΜΑΡCΑ ΛΑΙΩ ΒΟ ΟΝ ΟΥΡΥΑ ΜΙΧΑΗΛ

מרסא לחיו בא און ורוח מיכאל

oppressum: vitae ejus obveniat vis et spiritus Michaelis.

Porro in cruribus **ΡΑΦΑΗΛ ΙΑCΟΥΗΛ**

רפאל יחצאל

Raphael. Jasuel.

In brachio sinistro **ΤΩΒΗΛ**

טביאל

Tobiel (§. 104)

et in dextro: **ΑΚΡΑΜΝΙ ΚΑΜΑΡΙ**

אקרמני קמרי

Protegit me amuletum meum (§. 680).

In serpente, quem sinistra tenet: **CΕC ΕΓΓΕΝ** (§. 576) **ΒΑΡΦΑΡΑΝΓΗC** (§. 570).

In corona, quam dextra A MOP ΩMA

הא מר אמה

Ecce dominum populi.

in serpentis denique cauda pedibus Mercurii subjecta: ΛAMNA-MENEYC (§. 504).

750. Quam nostram lectionem ut defendamus, primum de literarum forma quaedam observanda sunt. L quidem Latinae inter Graecas vix locum esse, saepe (§. 708) monui, unde eam cum Sponio pro I accepi (§. 198). Vox *Signum* (אות) pro amuleto usurpatur (§. 727. 756). In vocis ΛAIΩ, quam לחיו verti, ad primam literam linea addita conspicitur, quae ad illam Λ haud pertinet. Fortassis ΛX legendum, ut Hebraei *Chet* sonus audiatur. Φ in PAΦAHΛ similior est literae Ψ, id quod non hoc solum loco observatur (§. 198). Bis quidem E positum est pro *Sigmate* quadrato; sed corrupto nostro exemplari hoc tribuimus, videntes in Outreiniano *Sigma* in nomine Jasuel utique legi. In eodem HC etiam videbis pro IIC. Gamma in voce φαραγγης linea superiori nimis producta speciem mentitur literae T (§. 198. 576), id quod in libris scriptis etiam saepe observarunt viri docti (*ad Aeschyl. Pr.* 711. *Ch.* 350. *Breitinger. vet. test. proleg.* 2, 4. *Genes.* 10, 9). In corona exemplar Outreinii habet AMOP, in nostro perperam legitur AMPP, atque hoc vel inde liquet, quod Sponius ipse AMOP legit, et in Passeriana gemma (§. 752) AMAP est. Vocem enim מר non solum μαρ, sed μορ etiam pronuntiabant (*Buxtorf.*

p. 1246). Ad verba *spopondisti salutem* conferas velim quae de iisdem in alio amuleto (§. 758) obviis observavi.

751. In corona verba inscribentes Judaei imitati sunt Graecorum nec non Romanorum morem, qui S. P. Q. R. similiter in corona exaranda curarent (*v. Agostini dial.* 2. *p.* 53 *al.*). Sententia ad Mercurii imaginem spectat, quem eundem Michaelem et populi principem agnoverunt. Magnifice enim de gentis suae dignitate loquendi Judaeorum semper consvetudo erat, quos constat, non solum in libris, sed in lapidibus etiam sepulcralibus mentionem injicere *populi a deo electi* (*Montf. diar. Ital. p.* 37). Fortassis Judaeus etiam auctor sententiarum fuerit, quas insculptas in patera ex orichalco efficta et Arabice inscripta fuisse legimus (*Explication de divers monum. sing. Par.* 1739. 4. *p.* 427); quam pateram amuleti loco a possessore habitam esse ex praescripto ejus usu et extremis verbis „*Colon fuge*" apparet. Incisa inter alia ei sunt haec: „*Sufficit dominus ei, qui confidit in eo. Deus enim exaltat populum suum.*" Sequitur index malorum, quae per hanc pateram depellantur - - quae omnia pius ille Benedictinus, qui librum edidit, per daemonem malignum ait fieri! Ex verbis autem *Deus exaltat populum suum* sententia, quam in nostri amuleti corona inesse, Sponius scripserat, defendi posset, modo hujus interpretis versio in verbis construendis non repugnaret indoli linguae. - - De septem vocalibus in aversa gemmae facie conspicuis multa jam verba (§. 250 *sequ.*) feci, et quamvis Gesnerus

(*commentar. Gott. I.* 256. *n.* 20) non liquere putarit quid mutato in singulis versibus vocalium ordine isti homines voluerint; ego tamen hujus rei causam (§. 254) satis exposuisse arbitror.



752. Adjungendam praecedenti amuleto ob imaginis similitudinem hanc gemmam duxi, quam edidit quidem Passerius (*tab.* 197), veri tamen nihil in ea vidit praeter nomen ΙΑΩ. Imaginem etiam perperam (§. 745) pro Ophiucho accepit, et vocales in serpente inscriptas, quamvis Graecae sint, tamen, quasi C litera esset Latina, ACHIVΩ legens, hoc verbi monstrum cum Graeca voce


ἀκιος comparat, indeque colligit adversus serpentum morsus amuletum confectum esse (*II. p.* 219). Artis suae summam denique exhibet, ad verba ΑΜΑΡΩΜΑ in aversa gemmae facie incisa (*p.* 253. *n.* 20) adnotans „forte ab *Αμορ* et *Ερων, aliquid amabile.*" Quam eandem inscriptionem, suae interpretationis immemor, paulo post (*p.* 255. *n.* 33) cum ΑΜΟΙΡΟ confundit. Nos vero Hebraeae linguae ope verba illa modo (§. 749) explicavimus, unde interpretanda tantum restant quae in adversa facie incisa sunt.

753. Literas Passerius quidem (*p.* 219) conjicit omnes initiales totidem verborum hac inscriptione contineri, nec tamen quaenam verba siglis denotata sint nobis potuit prodere, haec tantum addens: „sive potius (literis) numeros significarunt, aut si quid aliud ineptius excogitatum est." Nos vero omnino dubitamus hisce conjecturis ineptius aliquid excogitari posse. Melior forsan nostra videbitur, qua Hebraea verba figurae inscripta sic legimus: in pectore quidem ΙΑΩ CΑΒΑΩ (§. 206); in quibus solius literae B forma insveta est: sed vide similem in alphabeto Murbacensi (*Montf. pal. Gr. p.* 222. *Nov. op. dipl. I. tab.* 11). ΑΔ quod in crure dextro sequitur pro breviato nomine *Αδωναι* habemus. Excipiunt hoc literae, quae sic explicari possunt:

CEME	XAE	ΑΛΛ
שמע	כאה	חֵֽל
exaudi	*infelicem*	*pauperem.*

Atque verior haec interpretatio videtur, quam si extorquere ex li-

teris CE (m) MEXAEA cet. vellemus. Vocales Graecas esse serpenti inscriptas Gesnerus (*in commentar. Gott. I.* 256. 257. *n.* 21) jam vidit, sed *Omicron* desiderari non observavit. Quumque addidit „pro C erat ponendum E rotundum et Y pro V, sive *gemmarii* error sit, sive *sculptoris*" certe palaeographicae artis ignorationem prodidit. Vix enim quisquam erit, qui Graecae literae Y formam V ignoret. Literae autem E aliam formam C fuisse satis superque (§. 200) probavi. Nimis igitur ille quoque vir propensus erat ad literas corrigendas. Qua vero de causa e septem vocalibus O sit omissum difficile est dictu. Forsan quia Martis ea est litera (§. 289)? Mercurius enim *ramum* dextra tenet, *pacis signum*, ex quo Martem recusari vel declinari colligi potest, quamvis antiquiori tempore deorum unum praeterire homines in religionem traxissent (§. 254). Sed omissae ex septem vocalibus unius aliud exemplum supra (§. 709) jam attulimus, et consulto hoc factum esse conjecimus.



754. Jaspidis viridis, quam ex Herculani ruinis migrasse ferunt in museum Waldeccense, ἔκτυπον cera impressum mecum communicavit Voelkelius, egregio museo, quod Cassellis est, egregior etiam praefectus primarius, quem popularem meum esse et inde a primo juventutis flore amicum dulci decori mihi duco. Inscriptio, quae exceptis secundo et tertio versu (§. 213) dextrorsum legitur, hoc pacto exponenda esse videtur:

ΙΑΩ ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ CΑΒΑΘΩ ΑΔΩΝΑΙΟΝ

אדני (?) צבאות אב לן את את לן אב יהוה

Jao pater ad nos veni, pater ad nos veni! Sabaoth Adonai

ΕΛΩΑΙΟΝ ΛΑΚ ΙΩΒ ΒΗΑΒΛΑ ΑΝ

חן באבלא איוב לך אלוהי

Eloe ad te Job in luctu miserere

ΑΕΗΙΟΥΩ (§. 250 *s.*) CΕCΕΝΓΕΝ (§. 576) ΒΑΡΦΑΡΑΝΓΗΝ (§. 570). Nomina quidem, quae hic leguntur, satis omnia nota sunt. Graeca enim in quibusdam flexio, licet insveta, non tamen inaudita est. Pariter enim Origenes (*contra Cels. L.* 6. *p.* 296. 297) inter ogdoadis principes *Αιλωαιον* et *Αδωναιον* esse refert. Nomen autem *Job* ex verbis, quae proxime sequuntur, *in luctu* divinavi, et ellipsin statui verbi *dixit*. Videant nunc alii, num meliorem forsan hanc, quam incepi, interpretationem, reddere possint.



755. Pulchriorem hujus gemmae si non imaginis, at certe litera-

rum formam exhibuerunt Capellus (101) et Montfauconius (*II. tab.* 176). Valde ineptum enim artificem prodit ipsa gemma: cujus ad instar hoc quod vides exemplar in museo Cassellano exscripsi. Ejus autem explanandae negotium Montfauconius facillima ratione subterfugit affirmando (*p.* 378) non dignam eam, quae illustretur, esse! At vero quam perversa ista antiquarum rerum studii instituendi ratio sit, qua non nisi pulchra contemplari, alia ignorare velint, Ernestii verbis superiori loco (§. 338) jam monui. Quin repentina etiam suspicio oritur, non pulchri studium solum, sed ejusmodi monimenta explicandi difficultatem potius hujus negotii detractandi veram esse causam. Documento praeterea haec eadem gemma est, dubiam saepenumero imaginum manere explanationem nisi verbis adscriptis lux eis afferatur. Figura enim monstrosa quonam referenda sit, quidve significetur eo, quod ejus ore evomatur, nemo facile divinabit. Sed ad ipsam quoque inscriptionem omnes linguarum magistros si advocaveris, eorum tamen nullus interpretationem adferre poterit mea spreta explicandi ratione, qua Graecis literis substituendas esse Semiticas, atque verbis tum demum intellectis imagines iterum contemplandas et cum inscriptione comparandas esse monui.

756. Hoc enim pacto verba, quae Chaldaica mihi videntur, exponenda esse censeo. Ac primum quidem praetermissis tribus signis, supremo loco incisis, mihique adhuc ignotis, illa quae sex constant literis, interpretor:

CA	ΞΟΡΑ
זהה	שׂערה
Saevit	*procella*

inferius autem addita:

ΑΒΡ	ΩΘ	ΛΕΜΜ	ΑΟΑ
אביר	אות	להמם	הוה
Forte	*amuletum*	*ad disturbandam*	*exsistentem.*


Literam ש interdum pro Ξ positam esse modo (§. 744) observavimus. Verbum זהה proprie *superbire, efferri*, sonat. Voce, qua *signum* denotatur, amuletum ipsum intelligendum esse facile perspicitur (§. 727. 750). Reliqua plana sunt. Atque nunc demum imago agnoscitur venti, qui ex monstri ore exit, cujusque insuper saevam violentiam sagittae jactu significare voluit auctor. Monstrum autem cum capite humano specie tauri pictum esse videtur quo magis procellae vis exprimeretur. In alius monimenti fragmine (*ap. Montf. in suppl. I. tab. post.* 17. *Martorell. in thec. cal. p.* 326) ventus hoc capite alato est denotatus:



Alae cur ventis fuerint tributae causa facile intelligitur: difficilius aurium, quae satyri esse videntur, ratio reddi poterit, nisi ad illum Orphici (*hymn.* 33, 25) versum respexerimus, quo Apollinem cognominatum esse canit:


Πανα, θεων δικερωτ', ἀνεμων συριγμαθ' ἱεντα.

Similis venti imago in numo esse videtur C. Lucretii, Publii filii, licet Agostinus (*dial.* 8. *p.* 240) ex capitis ore aquam effluere crediderit. Ego vero numum spectare arbitror Hiberam Tarraconensem ad ostia Iberi sitam, cujus ejusdem urbis alius numus navis expansis velis typum praebet (*Eckhel. I. p.* 51) quo *οὐρία* denotatur. Amuleta denique contra noxiam ventorum vim olim adhiberi potuisse, non solum ex pluribus apud Pausaniam locis (2, 12, 1. 2, 34, 3) colligitur; sed Apollonius Tyaneus etiam ea confecisse dicitur (§. 161); et Empedoclem eadem de re cognomen *κωλυσανεμον* accepisse (*ap. Diog. Laert.* 8. *p.* 605) legimus.



757. Quam ambiguae plerumque imaginum sint interpretationes ab inscriptionibus destitutaė probe vidit Caylus (*mem. de l'acad.* 19. *p.* 240. 241), et haec quoque gemma (*ap. Molinet. II. tab.* 29. *n.* 11. 12. *Montf. II. tab.* 159) testatur. Molinetus enim hac imagine Horum repraesentari arbitratus est, licet toto coelo differat ab omnibus Hori imaginibus. Neque Montfauconius quidquam ad gemmam illustrandam afferre potuit. Geminata quidem facies Janum, manuum vero defectus Aegyptiorum judices (*Plutarch. de Is. p.* 355) in memoriam revocant: sed reliqua vix sinunt de iis hic cogitare. Et licet Horapollo haec (*I.* 24) referat: „Phylacterion pingere volentes Aegyptii *duo* delineant hominum *capita*, alterum maris intro prospiciens, alterum feminae foras, ita enim nullum daemonem invadere posse contendunt: quo modo, *absque literis, duobus* tantum *capitibus* sese ab omni discrimine tuentur:“ non tamen in nostra gemma capita sola incisa sunt. Aliis igitur solvendum hoc aenigma relinquimus hoc tantum observantes, in eo,

quod superiori loco (§. 595) protulimus, monimento idem *του Ιαω* nomen bicipiti quoque monstro adscriptum esse.



758. Nisi omnia me fallunt, totum hoc amuletum astrologicum est. Montfauconius, qui ex suo id museo (*II. tab.* 166) edidit, eo contentorum nihil se intelligere fatetur. Mihi autem signis in priori gemmae facie observatis verba in posteriori incisa haec esse videntur

ΤΑΒ	ΡΟΙΑ	ΑΡΒΑΘ	ΙΑ
טאב	ראיה	ערבת	חיא
Bonus est	*adspectus!*	*Spopondisti*	*salutem.*

Ad Chaldaica haec verba observet lector vocem *adspectus* astrologorum esse (§. 333) et vocabulo חיה non *vitam* tantum, sed *vires* etiam et *salutem* denotari, quemadmodum in alio amuleto (§. 750) eandem vocem reddidi. Quae denique ad calcem adjectae sunt literae ΩΨΧ inverso quidem ordine Graecum alphabetum terminant, eorum autem sensus, nisi *exitum* vel *extrema* iis denotare voluerit amuleti auctor, nobis est obscurus. Magis etiam incognitum habemus quod in adversa gemmae facie literis est inscriptum.

Ex signis autem, quae praeter literas observantur, primum ❋ in aliis quoque gemmis (§. 334. 336) obvium est, ejusque apicibus octonarius quidem numerus continetur; quominus autem de gnosticorum ogdoade hic cogitemus similis figura ❋, sex tantum apicibus insignita, illi in alia gemma (*ap. Capell. n.* 105) addita, prohibet. Quod utrumque quum inter astrologica signa compareat, illud quoque astrologicum esse jure colligitur. De secundo specie literae K praedito nihil habeo dicere. De tertio hac forma ⊕ conspicuo supra (§. 527) disseruimus et hoc quidem loco *sortem fortunae* (*Scalig. ad Manil.* 3, 166. *not. p.* 220. *Seldeni Op. II. p.* 1537. *Zornii bibl. ant.* 864) eo significari veri simile est. Quartum denique hoc ܘܠܐ Libram forsan denotat.



759. Hujus gemmae (*ap. Spon. recherch.* 124. *n.* 24. *Miscell. p.* 16. *Montf. II. tab.* 125) supra (§. 213) jam memini de versuum directione disserens; conjecique posteriorem vocem, quia sinistrorsum scripta, Hebraeam esse, nempe אדני, *dominus*. Priori autem voce Graeca, *ωωρανος*, quid significarit auctor, ambigitur. Quodsi *οὐρανον* quis intelligere voluerit, in antiquissimis quidem populorum

doctrinis (*Sanchoninath. ap. Euseb.* 1, 7, 10. *p.* 36. *Herodot.* 1, 131. *Strabo. L.* 15. *p.* 847. *Diodor.* 3, 55. *conf. Mem. de l'acad. des inscr.* 36. *p.* 51. *et Orellium ad Sanchon. p.* 25. *n.* 54) praesidium habebit. Quoniam autem in nostrae gemmae adversa facie imago Hori sive Harpocratis stantis, manuque *cornu copiae* tenentis recentius prodit opus; alius inscriptionis sensus quaerendus esse videtur. Facilis quidem est via, quam Sponius (*p.* 128) ingressus est, haereticis Basilidianis hanc gemmam adtribuens; an vero recta, valde dubitamus. Neque id quidem exploratum est voluisse auctorem *οὐρανος* scribere. Quamvis enim Orphicus (*hymn.* 3, 5) coelum *custodis* nomine appellet, et Phurnutus, sive Curnutus (*de nat. deor. ab init.*) doceat coelum a quibusdam vocari *οὐρανον ἀπο του ὡρειν* (ut est in libro Oxfordensi); sunt tamen alii, qui vocem deducunt ab *ὁραω*, quasi *ὁρανος* sit, qui videri possit; et certe plures Curnuti libri scripti (*Galei opusc. myth. p.* 139) habent *ἀπο του ὡρᾳν*. Qui huic etymo calculum adjecerit, ei vox illa explicanda erit e doctrina, quam supra (§. 470) attigimus de sensu vocis *νοητος* disserentes. Attamen verisimilius est, Graeculum aliquem ad Horum in adversa gemmae facie spectasse, et a nomine *Ὡρος* derivasse *Ὡρανος*.

---

760. Plures quidem apud Raspeum explicandae restant gemmarum inscriptiones: quoniam autem neque in aere, neque in ligno in-

cisae, sed tantum descriptae, et, literae quod pejus est, interdum perperam ab eo exscriptae sunt, semper fere dubii in iis haeremus. Attamen quasdam Semitica lingua conceptas nostris hic adjungere placet, quas ille tanquam quae insolubilia essent aenigmata, nobis proposuit, sive Graecae eum literae, sive linguarum ignoratio, sive, quod veri est similius, varians orthographia, quae a Masoretharum pronuntiatione omnino recedit (§. 394), quo minus verba intelligeret impediverit. Inter ea igitur amuleta, quae vulgarem prae se ferunt imaginem, quam Abraxan appellant (§. 460) unum (*n.* 461) describens „in clypeo, ait, legi ΙΑΩ; in ora ΒΑΡΡΑΩΘ." Haud dubius equidem haec interpretor: בר ראות, quod proprie sonat *filius visus*, sed ex linguae indole vertendum est *perspiciens* sive, ut Ciceronis verbis utar „deus, omnia providens et animadvertens." Quumque in imagine illa Solem latere saepius (§. 697) monuerim, conferri etiam verba possunt, quae Sol ipse (§. 706) apud Ovidium edixit „ille ego sum, . . . omnia qui video."

761. Apud eundem scriptorem (*n.* 476) gemmae legitur inscriptio, addita eidem imagini, quam Abraxan vocant, cui subjectus est *scarabaeus* in *serpentis*, caudam vorantis, *gyro*, collocatus. Verba Chaldaica haec esse arbitror:

ΜΑΡ	ΜΑΡΑΥΩΘΑ	ΑΙΛΑΜ	CΕΜΕC	ΙΑΑΜ
מר	מרותא	עָלם	שׁמשׁ	עָלם
Dominus	*dominorum*	*mundi*	*Sol*	*aeternus.*

Scarabaeo Solem (§. 667), *serpentis gyro* mundum (§. 701) denotari, et Solem mundum regere (§. 256. 695) constat. Pluralem vocis מר numerum terminationem etiam femininam admittere, et sicut רבות, אבות, אבותא, ita etiam מרות scribi Buxtorfius (*lex. Chald.* 1248) docuit.

762. In alio amuleto (*n.* 471) scriptum in area esse Raspeus tradit ΦΗΛΕΛΟ, quod Chaldaice פלחו sonat *cole eum;* deinde in margine ΕΝΕΒ ΙΑΩ ΑΔΩΝΑΙ ΜΙΧΑΗΛ: ubi Raspeus *which must be read Eneb, Jao Adonai Michael.* Atque huic viro iste interpretandi modus proprius fuisse videtur! Prima tantum vox obscura est, quam, si solam vidissem, temere omnino ענב legebam. Quoniam autem *uvae* notio cum illis nominibus non cohaeret; dixerit forsan aliquis vertendum ענב esse *conjunge.* At vero ne sic quidem sententia placere potest. Quare

ΕΝΕΒΙΑ	ΩΑΔΩΝΑΙ	ΜΙΧΑΗΛ
הנביא	וארני	מיכאל
interpretem	*et dominum*	*Michaelem*

vertendum esse conjicio. Quum enim supra (§. 746) demonstraverim, Michaelem Judaeis fuisse Mercurium; ille idem angelus omnino dici potuit „interpres sive propheta et dominus." Accedit quod Mercurii planetae nomen simili voce נבו effertur (*conf. Gesenium in Jesajam p.* 342), eique Michaelis quoque nomen in gemmis adscribitur (§. 302).


763. Alius etiam gemmae, quam Raspeus (*n.* 613. 614) descripsit,

omnia verba Hebraea esse videntur, sic me quidem interprete legenda:

IA IA IAΩ AΔΩNAI CABAΩΘ

יה יה יהוה אדני צבאות

Ex imagine nihil colligere licet, quippe qua tres figuras magicas contineri Raspeus referat, accuratius ipsas non describens. Quae vero tria illa nomina satis nota praecedunt IAIA ex Judaeorum superstitione explicari possunt. Isti enim, quum scribunt יאיא, singulis literis totidem verba intelligi volunt, nempe: יהוה אלהינו יהוה אחד (*Buxt. abbr. p.* 101) quae sonant: *Jehova deus noster Jehova unus* (est).



764. Observatu digna haec gemma (*ap. Cayl. VI. tab.* 21. *n.* 1) est propter cumulatam Aegyptiorum, Chaldaeorum, Graecorum et

Judaeorum in ea superstitionem. Etenim imagini respondet nomen Michaelis in aversa gemmae facie incisum, quem angelum ex Chaldaeorum doctrina Mercurio planetae praepositum fuisse supra (§. 302. 762) docui. Atqui Anubis Aegyptiorum, qui in adversa depictus est, idem fuit, qui Graecorum Hermes Romanorumque Mercurius (*Plutarch. de Isid.* 355. *Servius ad Aen. VIII. v.* 698). Lucianus enim (*de sacrif. c.* 14. *T. III. p.* 78) „in Aegyptum si veneris" scribit „praeclarum illum Mercurium facie canina videbis." Quo factum est, ut ex duabus, et Anubidis, et Mercurii, imaginibus una a recentioribus componeretur (*Passer. I. tab.* 97. *Zoega num. Aeg. p.* 138) pariterque ex duobus etiam nominibus unum illud Hermanubidis (*Plutarch.* 375), fictum esset (§. 492 *f.*) Michaelis autem angeli nomine eundem fuisse appellatum non solum aliae gemmae testantur, quae sedentem Mercurium repraesentant adscripto nomine: MICHAEL (*Gorlaeus n.* 435. *Chifflet. n.* 85. *Montfaucon. tab.* 159. *Gorii inscr. Etrur. I. tab.* 3); sed Judaeorum etiam amuleta, ex quibus quaedam superiori loco (§. 745 – 752) exhibui.

765. Circumdat imaginem literis admodum depravatis exarata haec inscriptio: ΟΥΡΙΗΛ (§. 102. 104. 158) ΣΟΥΡΙΗΛ (§. 710) ΓΑΒΡΙΕΙΛ (§. 102. 104. 119. 158. 300. 743) ΒΩ. Trium angelorum nomina Caylus agnovit, postremas autem literas (*deux lettres, dont on ne démêle pas le sens*) haud explicavit. Neque hoc miramur, quum earum explicatio semper dubia remaneat. Si enim Grae-

cum id esse verbum, quod ex *βοαω* ita contractum haud semel legitur, conjeceris; vertendum id erit *celebro*. Sin Hebraeum quaerere praetuleris בו erit *in eo*. Addimus tertiam conjecturam, qua duabus illis Graecis literis denotatum fortassis fuerit illud בוווו, cui mirum effectum adscribebant cabbalistae (*Reuchlini ars cabb.* 1517. *edit. p.* 77 *v.*). Est autem id compositum ex primorum quinque Geneseos versuum extremis literis, quarum sonus idem est atque protractum illud *βω*. Et eo libentius illo usi esse videntur, quo certius quatuor angelorum nominibus quatuor ו respondent, et בו, quod *in eo* vel *per eum* sonat, quater repetitum ad eorum singulum pertinere potest.

766. Cum hac gemma conferre juvat aliam a Raspeo (*n.* 532) sic descriptam: Miles capite Leonis radiato. In orbe circumscriptum est ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ; infra tribus versibus:


ΜΙΧΑΗΛΥΨΙC
ΤΕΓΑΒΡΙΗΛΚ
ΡΑΤΙCΤΕ.

Jam vero miles ille ipse est Michael altissimus. Supra enim (§. 710) didicimus, Leonina eum facie depictum fuisse.

767. Eadem angelorum nomina; quae in Cayli (§. 764) gemma leguntur pulchrioribus literis: ΟVΡΙΗΛ, COVΡΙΗΛ ΓΑΒΡΙΗΛ ΜΙΧΑΗΛ inscripta in gemma sunt, quam Wildeus (*gemm. tab.* 31. *n.* 116) aeri incidendam curavit. Imago autem alia est. Licet enim ΙΑΩ ei adscriptum sit, figura tamen homo repraesentatur in

crocodilo stans capite accipitris insignitus, pene erecto, dextra crucem pendentem (§. 707), sinistra sceptrum tenens. Praeter alia astrologica signa, quae eum circumdant, duae etiam aves conspiciuntur et superne globus alatus (§. 670). Accipitris in Aegypto cultum Herodotus (2, 65), et Diodorus (1, 87) testati sunt; et quamquam non solum Cueph capite accipitris (§. 487), sed secundum etiam Lunae lumen symbolo hominis accipitris vultum praeferentis (*Euseb.* 3, 4, 12. *p.* 116) repraesentabatur; malim tamen in Wildeanae gemmae imagine Osirin agnoscere, qui non solum volucris illius capite (*Plutarch.* 371) sed erecto etiam pene, pingebatur (*Id. et Cayl. VI. tab.* 1. *n.* 4). Solem quoque accipitre delectari Porphyrius (*ap. Eusebium* 3, 2, 4. *p.* 94) scribit, et *Ἥλιος* ipse ἱέραξ dicitur (*Jablonsk. panth.* 1, 158). Neque Solem ignoramus eundem atque Osiridem esse (§. 465. 643. 661). Crocodilum calcat in Wildeana gemma eodem fere modo, quo Anubis in marmore a Cupero (*Harp.* 146) et Grutero (1073, 7) allato, et aeri aliis in libris (*Boissard. P. VI. Montfauc. II. tab.* 128. *M. A. V. N. ant. expl.* 91. *Mem. de l'acad. III. tab.* 2. *ad p.* 187 (169) inciso.

768. In aversa ejusdem gemmae facie barbara inscriptio, recentiori forsitan manu exarata legitur, cujus sensus, nisi ad depravatam scribendi rationem respicere liceat, nullus prorsus elici poterit. Literae enim forma et ordine exaratae sunt, quemadmodum in pagina, quae sequitur, videbis.



Equidem legendum esse conjicio X V Δ Λ T H pro *κυδατε;* quod *efferte laudibus* hoc loco vertendum esse videtur. Licet enim Schneiderus, qui *κυδιαω* verbum notissimum non omisit, de forma *κυδαω* dubitet, eandem tamen Hedericus et Ernestius in veteri lexico scripto viderunt, ac profecto major auctoritas est affirmantium quam dubitantis, sive, quod idem est ignorantis. Quidni descendere potuit *κυδαω* pariter atque *κυδιαω* a *κυδος?* quam vocem Hesychius *virtutem* et *victoriam* exponit. A Judaeis profecta sunt commenta de illis angelorum nominibus (*Buxtorf. de abbrev. Hebr. p.* 40. *Lex. Chald. p.* 46. 47) de eorumque vi ac potestate. Sed Christianos non minus fuisse superstitiosos testis est Psellus, qui (*de daem. p. m.* 353) capite *cur daemones timeant minas?* „Item“ inquit „angelos timent, qui illuc (in loca profundiora) eos praecipitant, quoties videlicet quispiam minitatur adducitque *invocationes angelorum* ad hoc institutorum. Valde enim timent: nam ob ignorantiam non discernunt minitantem. Jam vero si anicula quaedam vel feroculus senex minas ejusmodi rustice intentaverit, saepe discedunt, quia discernere nequeunt.“ De-

scripsit scilicet vir pius daemonum genus admodum imbecillum nec valde metuendum!



769. Cur *magicam* Passerius (*I. tab.* 186) hanc gemmam appellaverit, causam (*II. p.* 213) ipse aperit, verba nempe inscripta a se non esse intellecta. Talis vero argumentatio si approbanda esset, vereor ne magicarum numerus maximus sit. Imaginem deinde illustraturus in illa Mercurium se facile agnoscere scribit, quippe cui calceamenta viatoria et alas tergo inhaerentes Etrusci tribue-


rint. Sed alatos deos si omnes Mercurios esse statuere vellemus, quot, quaeso, ejusdem haberemus imagines (*Cuper. Harp.* 32–35. *Apoth. Hom.* 45)? Neque in calceamentis praesidium ille habet, siquidem ipsis talaribus ornatum Solem vidimus (*Caus. mus. Rom. II. S.* 3. *tab.* 19. *et Graev. V. p.* 320). Mihi certe minime Etrusca, sed ficta potius imago ad Aegyptiacarum similitudinem esse videtur. Differamus autem de imaginibus disputationem et ante omnia in verborum adscriptorum sensum inquiramus. Ea Passerius quidem „nec sonum, nec sensum reddere" affirmat. Alii (*in relat. Gotting. de libr. nov. fasc.* 6. *n.* 3. *p.* 322) *ὑγιαίνειν* ex literis extorquere conati sunt. Ego vero post varios atque ex pluribus irritos conatus Hebraea verba in Graecis illis literis haec agnoscere mihi visus sum .

IPVI	AIΛIV
ירעה	עליא
Dux sit	*supremus.*

Atque neminem fore arbitror, qui alius linguae ope interpretari hanc inscriptionem unquam poterit; extrema tantum vox utrum עליא, an אלהו (*deus ejus*), explicari debeat ipse incertus eram.

770. Ad Solem spectare haec verba conjicio, quem deus supremus ducere velit vel ab initio usque ad finem (*A et Ω*), vel duobus illis tempestatibus quibus initio debilis et in fine elanguescens videtur. Atque imagine etiam Solem repraesentari persvasum habeo, cui plura symbola cum Tempore communia fuisse constat,

adeo ut observata inter nomina *χρονου* et *Κρονου* similitudine (§. 232. *Lactant.* 1, 12) Saturnum non solum pro *tempore* sed pro *Sole* ipso veteres haberent (§. 660). Alas quoque Soli pariter atque Tempori tributae erant (*Cuper. l. c.*); praesertim autem ab Aegyptiis, Macrobius (*Saturn.* 1, 19) refert, Solis simulacra efficta fuisse pinnata. Unde Osiridem quoque in Melitensium numis videmus alis ornatum (*Spon. recherch. p.* 452. *Cuperi Harp. p.* 34. *Münter antiquar. Abh. p.* 160. *ad tab. I.* 5), et in hac pariter gemma a Caylo (*VII. tab.* 8) edita



sive Osiris, sive Sol (§. 643) alatus navigio Aegyptiorum more (§. 238. 507. 609. 649. 695. 780) vehitur. Cui atque illi in nostra gemma similes aliae exstant imagines (*Gorl.* 351-353. *Chifflet.* 24-26. *Pignor. in auct. tab.* 3. *n.* 1. *Kircheri Oedip. II.* 2. *p.* 464. *et in ejusd. arithmol. Montf. II. tab.* 163. 167. *Cayl. VI. tab.* 20. *n.* 5. *Rossi. II. n.* 22. 23), in quibus eae praesertim notandae sunt (*Augustin. gemm. II.* 36. *Montf.* 162 *f.*) quae eandem quidem figuram repraesentant, sed addito telo, quo Sol ille sua ipse crura

perforat, ut incipiens ejus debilitas magis etiam eo denotetur. Scilicet admodum frigida, ne dicam inepta, est altera ejusdem imaginis interpretatio ab Augustino (*II. p.* 63) profecta, qua contineri hoc symbolo contendit *amuletum contra violentias hostium!* Et sane miror Ameloveenium qui (*ap. Outrein II. p.* 186) istam sententiam approbare potuerit. Quodsi uterque animadvertisset figuram illam sinistra scorpium tenere, neque ignorassent, Scorpium in Zodiaco oppositum Tauro signum esse illud, in quo languescit Sol (*Macrob. Saturn.* 1, 21); profecto veriora vidissent.


771. Signo, quod tridentis speciem prae se fert, in capite collocato quum ternarium numerum exprimi supra (§. 608) conjecerim; quidni hoc symbolo triplicem Solis statum, ab initio debilis, in cursu medio validissimi, in fine elanguescentis denotari dicam? Ab Aegyptiis certe non quatuor sed tribus distribuebatur annus partibus (§. 668), vere, aestate, et autumno (*Diodor.* 1, 11). Unde et Hermen dicebant anni tempora imitantem tres lyrae dedisse chordas (*Id.* 16); et quamvis Diodorus (26) unius partis nomine postea mutato pro autumno hiemem nominet, quippe quae apud veteres tam Graecos (*Montf. Suppl. I. p.* 20), quam Germanos (*Tacit. c.* 26, 29), anni divisio esset: vel sic tamen non nisi tribus partibus annus constabat.

772. Atque haud scio, an baculi, quibus quasi fulcris Sol nititur, utramque ejus debilitatem, ab initio et in fine annui cursus, repraesentent. Certe Plutarchus (*de Isid. p.* 372) haec refert: „Vigesi-

ma secunda die mensis Paophi post aequinoctium autumnale (Aegyptii) festum diem celebrant: tum Solis baculos natos dicentes (*βακτηριας ἡλιου γενεσθαι*), quo ostensuri sunt, veluti fulcro et roboratione Solem jam indigere, qui inclinatus, quum jam a nobis per obliquum ferri incipit, et caloris et luminis aliquam sit passus diminutionem." Cujusnam vero animalis capita baculis imposita sint, non facile in parvis ejusmodi gemmis distingui potest, quamvis complures circumferantur, quae similes baculos exhibeant (*Chifflet.* 50. 96. *s. Gorlaeus.* 392. 450. *Caylus III. tab.* 14. *n.* 5. *VI. tab.* 8. *n.* 1. *et p.* 20 *f.*) similesque etiam in tabula Isiaca compareant saepius repetiti. Certius in vasculo quodam murrhino (*Beger. thes. III. ad p.* 186. *Montf. II. tab.* 141) caninum caput baculo impositum agnoscitur. Quod nun ad anni initium (*Theo ap. Jablonsk. in panth. II.* 37. *Porphyr. antr. nymphar. cap.* 24. *p.* 22) spectet, ita ut in gemma nostra duobus capitibus tempus ab uno caniculae ortu usque ad alterum significetur, alii videant. Namque upupa, quam non nulli in virgis illis positam volunt, certe non in omnibus agnoscitur.

773. De literis Α et Ω, earumque sensu mystico, quo tempore primum comparuerint, disputarunt viri docti (*Jablonsk. in misc. nov. Lips. IV.* 71. 75. 84. *Lupi* 142. *Smetii ant. Neomag.* 62. *Ursat. mon. Patav.* 12. 17). Quorum plurimi, praesertim theologi, ab apocalypsi (1, 8, 11. 21, 6. 22, 13) hujus symboli originem repetunt. Ego vero homines, quamprimum certo literarum

ordini adsveverint, facile adductos esse credo, ut principium alicujus rei litera alphabeti prima, finem ultima designarent. Certe Phoeniciis quoque literis *Aleph* et *Thau* idem denotatum esse supra (§. 674) conjeci. Progressu autem temporis praesertim in arte cabbalistica usus illius symboli frequentissimus fuit (*Buxt. de abbrev. p.* 43. *Lex. Chald.* 244), unde facile colligi potest, quo ex fonte apocalypseos auctor, quisquis ille fuerit, idem symbolum petiverit (§. 144). In nostra autem gemma illud *ab initio usque ad finem* cum reliquis inscriptionis verbis conjungi potest.



774. Hanc tandem gemmam quasi in confinio Semiticarum et Graecarum collocandam esse duxi, incertus nimirum utrum ad illas, an ad hasce referenda sit (§. 552. 648. 652. 772). Solis imaginibus adnumerandam esse figuram, quam Abraxas vocant, pluribus

locis contendimus: nec fore quemquam arbitramur, qui omnia tot gemmis hac imagine insignitis inscripta verba explanare possit, nisi ad Solem respexerit. Cujus rei documento et haec gemma esse potest, a Molineto (*tab.* 30. *n.* 13. 14) edita, atque a Montfauconio (2. *tab.* 145. *n.* 1) et Baudelotio (*utilit. des voyag. I.* 405. *tab.* 20. *fig.* 2) repetita. In eo tantum imago a vulgaribus differt, quod monstrum pro flagello mucronem dextra tenet. In postica praeter notissimum nomen Abraxas nil nisi ΦPHP inscriptum legitur. Hoc igitur verbum doctis illis viris interpretandum erat. Sed Molinetus (*p.* 133) prorsus incognitum sibi id esse fatetur: nec magis Montfauconius (*p.* 359) et Baudelotius (*p.* 405) ejus sensum eruerunt. Id quod nemo sane mirabitur quum ne de ipsa quidem lingua constet, cui illud vocabulum tribuendum sit. Graecum esse, eoque puteum significari primum mihi videbatur. Licet enim lexica, quibus utimur, nullam nisi *φρεαρ* formam exhibeant, ex ea tamen *φρηρ* pariter, atque ex *ἔαρ ἦρ*, fieri potuit, id quod nominis quoque flexio confirmat, quae secundo casu tam *φρεατος*, quam *φρητος* fit.

775. Illa igitur vox quum in mentem venisset, primum quaerendum videbatur, quid puteo cum Sole commune esse dici posset? Jam vero ad Orphici in Apollinem hymnum (33, 21) viri docti observarunt Solem ex Orphei placito, quasi in cratere, omnia miscere. In oraculis porro Chaldaicis saepenumero *fontis* fit mentio. Unde Pletho ab initio commentarii (*ap. Gallaeum in app. p.* 81)

„magos," refert, „qui Zoroastrem sectentur, censere sicut et alios multos, animam humanam immortalem de alto descendere mortali corpori inservituram - - mox retro, unde profecta esset, sese recipere" (§. 739). Quapropter Platonici etiam animarum *fontem* statuerunt, quem *craterem* Proclus vocat; Solem autem „ignis intellectualis regem, lucis quaestorem vel dispensatorem, et *fontis* vitalis regem (ζωαρκτος ἀναξ πηγην)." Pariter de Chaldaeis Psellus (*ap. Lambecc. in prodrom. p.* 115): „Ponunt Solem imperatorem et a *fonte* materiali archangelicum, sensionis *fontem*, *fontanum* judicium, fulmineum *fontem*, speculorum *fontem*, characterum *fontem*" cet. Quibus Julianum addimus imperatorem (*or.* 4. *p.* 131) qui „animas" ait „in terram a Sole deduci" et (*p.* 152) retro „ad cognatas dei substantias reduci." Nec Martianum Capellam fugit illa doctrina, qui (*L.* 2. *p.* 43) „in Solis rate" fingeret „fontem quendam lucis aethereae," Solemque „mentis fontem" appellaret. Servarunt idem commentum Manichaei (*Epiphan. haer.* 66. *p.* 626. *Isidor. etym. app. in op. T. III. p.* 522). Quid? quod ipse Cicero (*de R. P. VI.* §. 15. *p. m.* 124) Platonis (*Tim. p.* 326. 327. *Bipont.*) doctrinam amplexus „homini" inquit „animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera et stellae, divinis animatae sunt mentibus." Qui quidem fons, sive κρατηρ, sive πηγη, sive φρεαρ appellatus fuerit, unus tamen erit idemque. Herodianus (*ed. Boissonad.* 143) φρεαρ explicat το πηγαδιον; et lexicon manu scriptum (*not.* 1) ἡ πηγη.

776. Ad illa autem attendat necesse est qui Martianum Capellam

aliquando sit illustraturus. Locum enim (*L.* 2. *p.* 45) ubi Philologia „*fontanam virginem* deprecata esse“ dicitur neutiquam intellectum a Grotio esse patet quippe qui scriberet: „profecto haec omnia caecis sunt circumfusa tenebris. Forte tamen (si quis in loco tam intricato conjecturae locus) legendum videatur Fontanam *Uriginem*. - - Quod si hoc non probas vide an *Originem* malis. Sed sane, quia hic magis de primo motore, quam de Sole, sermo, vide an hanc Fontanam virginem de Entelechia velis intelligere.“ Haec ille: sed nihil profecto mutandum est. Data enim opera Martianus omnem reconditam philosophorum sui temporis doctrinam fabellae suae inseruisse videtur: quare vereor ut unquam hunc scriptorem sint intellecturi, nisi qui illis placitis probe imbuti fuerint. Ad eum Martiani locum sane hi Chaldaicorum oraculorum versus (278. 279) consulendi sunt:

Λαιῃς ἐν λαγοσιν **'ΕΚΑΤΗΣ** *ἀρετης πελε* **ΠΗΓΗ**,
'Ενδον ὁλῃ μιμνουσα, το **ΠΑΡΘΕΝΟΝ** *οὐ προϊεισα.*

Nec praetermittendum Pselli ad hos versus scholion, in quo (*p.* 99 *ed. Gallaei*) „Chaldaei“ inquit „Hecaten deae loco habent, quae medium ordinem ducat, et quasi centrum sit omnium potentiarum. In dextris ejus partibus collocant *fontem* animarum, in sinistris *fontem* bonorum sive virtutum: ajuntque animarum quidem fontem ad propagationem esse proclivem, virtutum vero fontem intra propriae essentiae limites coërcitum manere, *virginis* intactae instar incorruptum eamque quam habet firmitatem et im-

mobilitatem ab implacabilium potentiarum facultate adeptum esse et *virginali* zona accinctum." Haec igitur illa Martiani *fontana* est virgo; neque *urigine* neque *origine* eripienda ei virginitas erit. Sic Medea (*v. Valer. Flacc.* 6. 449. *ibiqu. vir. d.*) „virginitate tremenda" ad instar Hecates appellatur.

777. Sed nolim dissimulare, immo fatear necesse est, contra meam vocis *φρηρ* interpretationem argumentum ex ipsa gemmae imagine assumi posse. Quid enim *gladio,* quo monstrum armatum esse videmus, cum fonte illo commune intercedere dicamus? In alia quidem gemma, quam infra (§. 789) proferemus, ensem etiam in locum flagelli, quod in Solis imaginibus magis usitatum est, substitutum videbimus: sed cum armata manu additum ei *γιγαντορηκτα* nomen omnino convenit. Inimicorum enim internecionem ensis indicare videtur. Hactenus igitur a me propositam interpretationem quum dubiam ipse agnoscerem de aliis linguis praeter Graecam cogitandum esse arbitratus sum. Atque hoc agens in verbum incidi, quod in Semitica lingua pariter atque in Coptica est notum, idemque fere significat, quod in composito illo *γιγαντορηκτα* Graecum verbum *ρεσσειν*. Chaldaicum enim פרר „frangere" quoque sonat; et Copticum, quod BPBP, ΦΕΡΦΩΡ, et ϤΟΡϤΕΡ scribitur, *cadere* et *projicere* (*Gramm. p.* 76). Illius igitur verbi פרר participium idem erit quod *ρηκτα*. Quae novissima inscriptionis explicatio si magis placet, utere ea, lector, mecum.

CAPVT III.

Inscriptiones Graecae.

Graecae in amuletis inscriptiones saepenumero adeo sunt obscurae, ut ex ipsis philologis multos audierim pertinaciter negantes verba esse Graeca, quae huic tamen linguae absque omni dubio tribuenda erant. Neque enim viri illi ullam contulerant operam ad comparandam sibi cognitionem tot tantarumque mutationum, quas sermo in plebis praesertim et peregrinorum ore utique subiit. Qui quum fieri non potuisse sibi persvaderent, ut tantopere lingua corrumperetur; omnino opus erat in priori hujus libri volumine illius rei exempla afferre perspicua, quibus attente perlectis jam neminem eorum fore arbitror, qui veriora non edoctus sit. Quantumvis autem dixeris, barbaro dicendi et perverso scribendi genere tenebris circumfusas illas inscriptiones esse; aliam tamen eamque graviorem causam, cur verba, quibus constant nondum sint intellecta in eo latere persvasum habeo, quod a plurimis monimenta hujus generis interpretaturis rerum cognitio abfuerit: qua deficiente fieri non potuit, quin ii etiam, qui non nullorum verborum sensum divinaverint, rebus ipsis, ad quas illa spectare possint, ignoratis oleum et operam perderent, adeo ut laboris mox impatientes omnes illas gemmas, quasi explicari nullo modo possent, procul abjicerent. Ego vero majori patientia munitus atque 778.

retro pedem ferre reveritus, quamvis plures restarent inscriptiones, quae labores meos frustraverint, et in iis ipsis, quas intelligere videbar, me saepe lapsum verisimile esset; nullus tamen haesitavi de tentaminibus meis cum lectoribus communicandis. Conjiciendo enim de ambiguorum verborum sensu si uspiam locus est, profecto ad illa aenigmata solvenda conjecturas, modo Passerianis non sint similes, adhibere cuilibet est licitum. Atque melius certe de literis meritus videbitur qui criticorum reprehensioni, vel castigandi etiam libidini, sese exponere non veritus, omnia, quae explicare vel saltim divinare potuit, in lucem profert, quam, qui obscura quae sunt ne aggressus quidem, aliorum tantum labores praestolatur, ut errores forte commissos reprehendendi occasione capta illis doctior etiam esse videatur. Sed aequiores judices praefuturos esse spero meis Graecarum, quae nunc sequuntur, inscriptionum interpretationibus, vel verborum explicandorum potius conatibus, quos profecto in lucem non protulissem, si me doctiores hoc suscipiendo negotium partem in illo disciplinarum genere hucusque derelictam explere voluissent.



779. Documentum negligentiae aequo animo vix ferendae praebuit Raspeus (*tab.* 8, *n.* 353) hoc edens amuletum. Variationes enim, quae inter suam inscriptionum lectionem et literas in tabula conspicuas intercedunt, haud curans, ne adnotavit quidem, cui fides adhibenda sit, utrum sibi legenti, an literis in ectypo, quod ipse publicaverat, inscriptis. In Graecis certe erravit ipse inserendo syllabam *σα*, quae neutiquam adest, neque adesse potest. Legitur enim in postica ΠΡΟΣ ΠΑΝΤΑΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥC ΔΟΤΑΙΧΑΡΙΝ ΤΟΙΣ ΦΟΡΟVΣΙ; minime *δοται ΣΑ χαριν!* Neque bene reddidit verba vertens: „*Donne ta grace ou bénédiction pour tout le monde à ceux qui le portent.*" Namque ejusmodi amuletorum auctores fingebant gestantes reddi per illa gratiosos (§. 494. 726. 745). Neque ΔΟΤΑΙ pro *δοτε* accipio, sed malim *δοτ' αι* (pro *αει*) legere et *date semper* vertere. *'Ανθρωπους* omnino legendum,


siquidem in extremo verbi charactere I *sigmatis quadrati* ⊏ reliquiae deprehenduntur. Sententia igitur est: „Apud omnes homines conciliate gratiam gestantibus (intellige amuletum)." Quae interiori loco scripta erant adeo detrita sunt, ut ne artifex quidem, qui gemmam ipsam inspexit, literas distinguere potuerit, quare satius duxi, solis lineolis locum indicare quo incisae erant, neque de illarum potentia hariolando tempus terere.

780. Inscriptio in altera gemmae facie eo est observatu digna, quod notissimae formulae Ablanathanalba extremam partem complectitur, videlicet ANAABA, quam igitur non semper retrorsum legendam esse (§. 586) dixi, et contineri ea preces האנה לבעה suspicatus sum. In iis autem quae sequuntur legendis iterum incertos nos reddidit Raspeus legens (*p.* 32. *n.* 353) AKPAMA ubi in ectypo suo aperte scriptum est ABPAMAI. Quodsi illius lectio vera est, de formula illa supra (§. 680) disseruimus; sin minus, extrema inscriptionis verba neutiquam intelligo, quamvis Abrahami invocatio in ejusmodi monimentis haud mira esset (§. 494). Praeterea inter radios scriptum Raspeus affirmat ΞΑΛΘΥΡΗ, ubi tamen literarum nulla apparet, atque ob spatii angustiam vix adesse ulla potest. In antica Harpocrates quidem flagello et digito ad os admoto denotari videtur; sed reliqua Isidem potius prodere dixeris, quae dea ipsa interdum digito ad os admoto picta reperitur (*Cuper. Harp. p.* 25). Notatu praeterea digna sunt et globus (§. 614) capiti impositus figurae, et navis Aegyptiorum arun-

dinea (§. 649. 770), cujus structura simplicissima et hic observatur, et in mentem revocat illud Lucani (4, 136):

Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Qui a laeva in loto sendentis figurae conspicitur profecto sacerdos est a genibus supplex et personatus: quos sacerdotes saepe a doctis etiam viris, larvis, quibus tecti sunt, non agnitis, cum diis ipsis confusos esse vidimus; quod ne hic fiat minus est periculum, siquidem haud facile fore arbitror, qui deos genibus procumbentes depictos fuisse sibi persvadeant. Quae a dextra comparet imago cynocephali est, de quo supra (§. 648. *sequ.* 716. 724.). De scarabaeo quoque in utraque gemmae facie comparente (§. 27. 667. *sequ.*) jam egimus. Reliqua aliis explicanda relinquimus; hoc solum addentes Solis et Lunae figuras superiori loco ad scarabaeum digitum intendentium a prisca certe Aegyptiorum pingendi arte longe abesse.




781. Perverse hanc gemmam a Capelli artifice (*n.* 157) delineatam esse, supra (§. 209) monui; quapropter eam accuratius ex autographo musei Cassellani hic describendam curavi. In adversa ejus

facie Chnubidis imago, nomen in aversa est. Cui quum hoc loco longius immorari non attineat (§. 483 *sequ.*) de reliquis literis ΑΙΩCΑΙΟΝ videamus. Quae ut intelligamus recordemur oportet primum figuram Λ persaepe vice fungi *του ἄλφα* (§. 193. 198. 200); porro Ω cum O frequenter permutari (§. 429. 431. 785. 794); denique literam Γ propter duriorem literae I pronuntiationem nonnunquam excidisse, ut non solum scriberetur *ὀλιον* pro *ὀλιγον* (*Huschke de C. Annio Cimbro p.* 49) sed *ἰὼ* etiam pro *ἐγώ*. Haud igitur dubitamus inscriptionem ita exponere quasi scriptum sit *Ἅγιος ἁγιων Χνουφις*. Qui vero nihilominus de perversa hac scribendi ratione dubitant, erunt autem inter philologos plures, hos adire jubeo Turnefortium (*itiner. Amst.* 1718. *II. p.* 225) apud quem a Graecis scriptum invenient *ὁ ἀιος σκολογος* pro *ὁ ἅγιος Θεολογος*.

ΙΑΩ	ΑΠΟ
ΑΒΡΑCΑC	ΠΑΝΤ
ΑΔΩΝΑΙΑ	ΟCΚΑΚ
ΓΙΟΝΟΝΟΜ	ΟΥΔΑΙ
ΑΔΕΞΙΑΙΑΥ	ΜΟΝ
ΝΑΜΙC+ΥΑ	ΟC
ΑΞΑΤΕΟΥΕ	
ΒΙΑΝΠΑΥ	
ΑΕΙΝΑΝ	

782. Hasce in Jaspide incisas inscriptiones Sponius (*in misc. erud.*

ant. p. 297. *n.* 13) edidit. Similes in magnete exaratas Molinetus ex museo canonicorum regularium S. Genovefae (*tab.* 29. *p.* 127. *n.* 7 *et* 8) publicaverat, sed mancas ideoque perperam lectas. Utrasque repetiit Montfauconius (*II. tab.* 164). Quae quum ab omnibus intelligantur, pauca tantum adnotare placet. Ac primum ΟΥΕΒΙΑ, pro quo ΟΥΞΒΙΑ olim legebatur, nomen proprium esse, *Ουειβιος* viri (*ap. Gruter.*) et *Ουειβια* feminae (§. 374. *Beger. I.* 157. *Montf. III. tab.* 137). Praeterea observari velim in voce *δυναμις* literam Ι pro diphthongo ΕΙ positam esse, et versa vice ΕΙ pro Ι in nomine *Παυλεινα*, quod in lapidum etiam titulis (*Aringh. II.* 123. *f. Fleetwood* 453) iisdem literis scriptum comparet. Notanda praeterea litera Φ, quae crucis formam habet (§. 193. 194). De nomine, quod sanctum appellatur, supra (§. 726) disseruimus. Quaenam autem sint dexterae illae potestates alio loco (§. 241) docui, quippe quae *δυναμεις δεξιοι*, iisque oppositae *ἀριστεροι* a Theodoto appellati sint. Eadem vocis *δεξιος* in auspiciis ab antiquissimo tempore apud Graecos (*Homer. Il.* 10, 274. 12, 239. 13, 821) significatio erat: et si Horapollini fides adhibenda (2, 40), Aegyptii quando mulier infantem feminam peperisset taurum sinistrorsum spectantem, si vero marem eundem dextrorsum versum pingebant. Quod reliquum est non multa sunt hujus generis monimenta, ex quibus amuleti usus tam aperte eluceat, quam ex hoc et ex eo, quod sequitur.



783. Omnes in gemmis inscriptiones si tam apertae quam haec essent, profecto non opus erat earum causa ungues rodere. Atque verum amuletum hoc esse, quod Molinetus (*tab.* 30. *n.* 11 *et* 12) et Montfauconius (*II. tab.* 150) ediderunt, non inscriptio sola, sed imago etiam et Jaspis, cui incisa est, testantur. Stomacho enim utramque remedio esse, veteres sibi persvaserant. Unde Marcellus Empiricus (*c.* 20. *p.* 147) haec profert: „Ad *stomachi* dolorem remedium physicum: in lapide *Jaspide* exsculpe draconem radiatum, ut habeat septem radios et claude auro et utere in collo.“ Sed plura hac de re ad gemmam, quae sequitur, observata leges. De *septem* radiis quaedam supra (§. 704) attuli. Pariter manifestum amuleti usum extrema inscriptionis, quam Montfauconius (*tab.* 168) publicavit, haec verba produnt: ΠΑVCATEMOITONΠΟΝΟΝΤΗΦΟΡΟVCHCEN. Quae tamen quum verterit vir doctus *délivrez-moi de mes peines, moi qui porte (cette pierre) Sen,*“ et extremum hoc pro nomine proprio acceperit, vereor ne falsus

sit. Gemma enim sive amuletum ipsum in illo σεν latet modo id *te* vertamus (*conf. Buttmann. gr.* §. 29. *obs.* 1. *p. m.* 60).



784. Gemmae hujus in permultis libris (*Pignor. mens. Is. auct. tab.* 4. *n.* 7. *Kirch. Oedip. II.* 2. *p.* 462. *n.* 14. *Chifflet.* 61. *Montf. II. tab.* 146. *Gorl. II. n.* 404. *Ebermayer. n.* 440) editae adversam faciem solam delineavi, quia in aversa ob vitium lapidis nil nisi (*αβρ*)*ACAΞ* legitur. De cujus nominis ratione quum supra (§. 452. *sequ.*) jam disseruerim, figuramque ipsam alio loco (§. 690 *sequ.*) uberius illustraverim; ad inscriptionem illico transire licet. Quam Bellermannus (*II. p.* 29. *et de scarab. p.* 19) interpretaturus literas siglas esse sibi persvasit, quibus singulis totidem verba inciperent. Prima autem non pro Ω, sed pro *Sigmate lunato* accepta, inscriptionem sic explicat: *Σ*(*οφια*) *Φ*(*ρονησις*) *E*(*ξουσια*) *O*(*αρος*) *N*(*ους*). Sed plura obstant, quo minus hanc explicationem probare possimus. Illa enim litera haud dubium Ω est; et quamvis vir doctus in quibusdam exemplis figuram literae C similiorem deprehen-

dere sibi visus sit; omnia tamen gemmae exempla e primo Pignorii exscripta sunt, quo fit ut penes hunc sola sit auctoritas. Sed fac etiam pedes ab Ω abesse, ex hoc tamen charactere ∩ non nisi O (§. 193), vel Ω (*Nov. op. dipl. tab.* 10) elici poterit. Praeterea nimis arbitrarie Bellermannus in locum verborum gnosticis admodum familiarium, *δυναμις* et *λογος*, substituit minus usitata *ἐξουσια* et *δαρος*, quibus varias dei virtutes significarint. Nam homines illi inhaerebant potius verbis semel receptis, quibus quasi nominibus propriis utebantur, quaeque mutare religio eis erat.

785. Equidem corruptae orthographiae tribuens inscriptionis obscuritatem *ὀρπεων* intelligo. Saepissime enim vidimus literas O et Ω esse permutatas (§. 429. 431. 781. 795), maxime ab Aegyptiis Graece scribentibus, quippe qui secundum pluralis numeri casum efferebant ON (*Georg. fragm. ev. Joh. p.* 412) et quartum singularis ΩN (*Sturz.* 123). Aut igitur *ὀφεων*, immo *ὀπεων*, ad crura monstri referendum; aut ad scholiastam (*ad Il. ap. Gal. ad Jambl. p.* 258) recurrendum est, a quo *Οφιων* dicitur *ὁ δοκων παντων (γιγαντων) ὑπερεχειν*, *quem constat eminere super omnes gigantes.* Atque haec confirmantur etiam alia gemma infra (§. 789) producenda, in qua simili imagini adscriptum legimus *γιγαντορηκτα*. Scholiastae igitur verba in hoc monimentum magis quadrare arbitror, quam quae Pherecydes (*ap. Euseb.* 1, 7, 10. *p.* 41) et Origenes (*contra Cels. L.* 6. *p.* 304) de deo *Ophioneo* habent.



Gemmae hujus delineationem Capello (*n.* 18 *et* 55) debemus. 786.
Similes exstant non solum apud eundem (18. 35), sed etiam apud Gorlaeum (*I. n.* 186. *II. n.* 316. 317. 322. 323), Chiffletium, immo Macarium (*p.* 36), Ebermayerum (*tab.* 4. *n.* 5), Causeum (*gemme antiche figurate, insert. act. erud. Lips.* 1700 *ad p.* 482), De Wilde (*gemm.* 136), Raspeum (*tab.* 56. *ad n.* 13525, *sequ.*), Augustinum (*gemm. I.* 203. 204), Passerium (*I.* 139. 140), Rossium (*in gemm. ant. II.* 20. 21), Gorium (*in mus. Flor. I.* 49. 50. 51. *ad p.* 104) et Caylum (*VI. tab.* 92). Plura, quae hujus sunt generis, Winckelmannus (*in catal. p.* 561) descripsit. Literae autem, si quae additae, omnino variant, ita ut ΕΥΔΟΥ habeas apud Capellum, (35), FAB. apud Pierium (*p.* 45), TERTI apud Winckelmannum, qui in alia inscriptum esse ΔΟΓΓΟΣ refert. Atque mirus quoque virorum doctorum est in explicanda imagine


dissensus. Chiffletius quidem (*commentatione a.* 1662 *ed.*) gemmas illas Socratis imagine coelatas esse contendit. Macarius (*ap. Chiffl. p.* 36) suo more omnia, quae non intelligit, gnosticis tribuens, varias, ait, ac difficiles illas eorum esse nugas. - - Cuperus (*in Harpocr. p.* 18) omnibus et singulis in hac imagine Solem designari vult. - - Schottus (*Erklär. eines Steins des Medaillen-Cabinets zu Berlin, worauf die Haupttugenden eines Landesherr'n vorgestellt. Conf. Act. erud.* 1717. *p.* 471) imaginem optimi principis ejusmodi gemma repraesentari, - - Wachterus autem (*Misc. Berol. Cont. II. p.* 342. *Act. erud.* 1727. *p.* 460) pessimi tyranni eandem esse contendit. - - Pierius (*in hierogl. L.* 4. *c.* 27. *p.* 45) quum forte vidisset in harum gemmarum aliqua Latinis literis incisum esse FAB. illico virtutes Fabii Cunctatoris hac imagine celebratas esse sibi persvasit. - - Augustinus (*p.* 78 *ad gemm.* 203) similem gemmam amuletum esse ait contra maleficia et defixiones adhibitum, singulaque ejus symbola interpretari conatur. - - Ebermayerus (*capita deor. p.* 186) imagine in Jaspide exsculpta (*tab.* 15. *n.* 392), in qua triplici capiti humano adjunctum est caput arietis, significari putat „et regis, et purpuratorum, et civium illis subditorum curam gerere deum.“ - - - Atque haec iterum documento sunt, quantopere sit diffidendum interpretationibus eorum, qui solo se ingenio duci patiantur. Sed ad gemmam supra propositam ut redeamus, ejusmodi imagines, aeque ac panthea signa, ad Graecos Romanosque ex Aegyptiorum symbolis male

intellectis et imitatione corruptis pervenisse haud sine causa suspicamur. Nam a germano veri et pulchri in picturis sensu jam ante Christum natum Romanos descivisse, testis est Vitruvius loco supra (§. 49) allato. Quo scilicet factum est, ut mirabilium et portentorum avidi, atque ad omne superstitionum genus proclives simul ac magis Aegyptus innotesceret inde assumerent quaecunque sensibus blandirentur. Similem autem imaginem, qualem gemma nostra habet, Horatii jam temporibus a Romanis circumlatam fuisse, ex versibus, a quibus ille pulcherrimam ad Pisones epistolam incipit, haud temere colligas. Siquidem ipsius imaginis perfecta descriptio hisce continetur:

Humano capite cervicem pictor equinam
Jungere si velit, et varias inducere plumas,
Undique collatis membris, cet.

Certe majorem haec nostra conjectura speciem veri habet, quam altera, qua poetae lusum originem imagini dedisse fingas. Hoc enim posito neque variatarum inscriptionum ratio, neque astrologica signa addita explicari poterunt. Inscriptionem gemmae nostrae Passerius (*II. p.* 268. *n.* 108) neglecta literarum forma ΠΡΟΣΕΥΧΗ lectam vertit *precatio*, ulterius hanc vocem non illustrans. *Προ* quidem denotari a Graecis nota ℞ (§. 199) nos minime fugit; sed prorsus diversus ab ea est primus inscriptionis character, qui astrologicus potius esse videtur. Animadvertitur enim et Veneris signum una cum stella imagini additum, quae omnia

ad astrologicas artes spectant. Iis igitur praetermissis inscriptionem ipsam non nisi sex literis CEYCON constare arbitror. Et sane observata tam magna inscriptionum in ejusmodi gemmis varietate verisimile fit omnibus contineri nomina propria, vel artificum, vel eorum qui gemmis, annulo inclusis, usi sint. Quae conjectura tam facilis si non esset, vox *σευσον* a *σευω* omnino *pelle* verti posset. Ita etiam Synesius in hymno (4. *p.* 339. *f.*) *σευε δε νοσους* canit.




787. In adversa hujus gemmae facie, quam exhibendam non curavimus, insculptus est serpens capite leonino, idemque collocatus sive inter Serapidem et Horum, ut Molinetus (*p.* 126) vult, sive Isidem inter et Serapin, ut mihi videtur: una cum septem vocalibus (§. 250). Quae in circuitu manca legitur inscriptio a nemine adhuc est intellecta. In aversa autem quam dedimus gemmae fr-

cie, legitur: .ταςσον την μητραν της δεινα εἰς τον ἰδιον τοπον ὁ τον κυκλον του ἡλειου. Montfauconius quidem (*II. p.* 372) imperfectam esse inscriptionem arbitratur, quum verbum desideretur, quod sententiam absolvat, post verba „qui cyclum Solis." Sed quamvis inferiori loco mutilus sit lapis, inscriptionem tamen integram esse, duae illae quibus desinit, literae docent, quippe in extremi versus medio positae. Illud quidem O ante τον κυκλον aliquantulum obscuritatis inscriptioni affert, nec tamen prorsus inaudita est elocutio. Similis enim apud Thucydidem (2, 40. *Bipont. II. p.* 61) reperitur; et quamvis in nostra inscriptione non τοδε, ut apud illum praecedat, illud ὅ tamen ulterioris illustrationis causa insertum esse patet, pari fere ratione, quemadmodum *quod dico* vel *id est* Latine usurpatur. Quare haud dubius equidem verto: *Constitue uterum* illius mulieris (?) *in proprium locum, in cyclum nimirum Solis.* Sed majorem scrupulum mihi movit illud της δεινα. Namque ut hanc Attici sermonis formam sane rariorem condonemus, certe nomen quoddam mulieris proprium desidero. Atque hoc Dina esse potest, Hebraeum דִינָה, feminae nomen notissimum; quod quum flecti non posset, secundum casum articulo denotasse hujus inscriptionis auctorem dixerim, quam in Judaeae cujusdam gratiam exaratam fuisse ex ipso illo nomine colligi possit. Minime vero certam hanc conjecturam ipse habeo.

788. Quomodocunque autem illud δεινα acceperis, sententiae tamen perfectam cognitionem non habebis nisi in astrologicis artibus ver-

satus fueris. Septem nimirum planetae quum suam. quisque sortem (κληρον) sive *locum* (τοπον) obtineat, „δαιμων absolute," ut Salmasii (*de ann. climact. p.* 128) verba laudem „*Solis* est *locus* sivè κληρος. Hic tamen δαιμονος nomine bonus intelligendus." Ad Solem igitur veteres astrologi, non autem sicut Romani ad Lunam, parturientibus respiciendum esse docebant; ex illa, puto, priscorum hominum, maxime Aegyptiorum, sententia, Solem omnia gignere (§. 124. 582. 606. 647). Certe Horapollo (2, 13) tradit „in signis Aegyptiorum hieroglyphicis mulierem *praegnantem* significari Solis cyclo una cum stella et ipso Solis disco bipartito:" ἐγγυον quidem apud eum legitur, sed pro εγκυον ex prava, ut opinor, pronuntiatione scriptum; similiter enim in Aeliani (*nat. an.* 12, 46) libris scriptis legitur εγγονων pro εκγονων (*conf.* §. 429. 431). Adeundus quoque Censorinus est, qui (*de die nat.* 8. §. 4) „quo tempore," inquit, „partus concipitur, *Sol* in aliquo signo sit necesse est et in aliqua ejus particula, quem *locum conceptionis* proprie appellant." Et Pseudo-Hermes (*ab init.* της ιατρομαθηματικης) „in dejectione seminis humani" docet „ex septem stellis radii implicantur in unoquoque hominis membro . . horum igitur si quis male positus fuerit *in satu* aut *nativitate*, in membro ei cognato laesio oritur." Hanc stellarum in corporis membra vim sive impulsum recentiores barbaro nomine *influentiam* nominarunt; atque illi opinioni adscribimus, quod in gemma nostra optatur mulieris uteri in idoneo loco positio, quae optima censebatur

in cyclo Solis, cujus sors agathodaemon esset; sive Macrobio docente τυχη, quae eadem Luna (§. 293).




Ad Solem in hac gemma (*ap. Pignor. in auct. tab.* 3. *n.* 7. *Kircher. II.* 2. *p.* 461. *Gorl. n.* 364. *Chifflet.* 34. *Montf. tab.* 150. *Ebermayer. n.* 444) respiciunt omnia et imago, et verba inscripta. Ille gladium vibrans pro galli capite hic leonino est insignitus. Utrumque enim animal pugnax; utrumque, et gallus gallinaceus (§. 692), et leo (§. 704. 716), *solare* est. Inde Horatius gigantum internecionem descripturus (*Od.* 2, 19, 23) poetice *leonis* imagine pariter ac gemmae nostrae auctor usus est. Quod autem Solem inscriptione ipsa denotari dixi (§. 693), in eo praesidium opinionis habeo vulgaris. Ita Macrobius (*Saturn.* 1, 20) refert „Solem a gigantibus poenas debitas vi pestiferi caloris exegisse.“ Nonne igitur Chiffletium miremur, qui (*p.* 80. 81) *pium* illud γιγαντορηκτα a vero suo sensu ita detorserit, ut „ipsius divinitatis contemptum“ exinde elicere studeret, *gnosticosque* diceret „gigan- 789.

tum instar coelum ipsum conscendere voluisse!" Gigantes autem, quorum eversor sive fractor hic pictus est, Macrobius inquit „quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quandam *impiam* gentem, deos negantem?" Atque alii etiam hac in re cum illo scriptore concinunt (*Callim. lavacr. Palad.* 8. *Horat. od.* 2, 19, 22. 3, 4, 43. *Ovid. met.* 1, 152. *fast.* 5, 36. *Cic. de senect.* 2). Titanes Orphico (*hymn.* 36) erant γαιης τε και οὐρανου ἀγλαα τεκνα, et simili modo Judaei finxerunt ex concubitu (§. 100) filiorum dei cum filiabus hominum natos (*genes.* 6, 4. 6. 7), quorum malitia tanta fuerit, ut deum poenituerit homines creasse et creata omnia delere voluerit (§. 132). Atque Aegyptiis, aeque ac Graecis, innotuisse gigantes terra prognatos et a deo tandem deletos Diodorus (1, 26. 3, 69. 4, 15 *et* 21) auctor est. Plures praeterea gemmae sunt obviae, quibus gigantes a diis devicti repraesentantur (*Gorl.* 489. *Rasp. tab.* 19. *n.* 986. *tab.* 20. *n.* 991. *tab.* 26. *n.* 1753. *Mus. Flor. I. tab.* 57, 7. *II. tab.* 35, 2, 3. *Licet. gemm. p.* 153. *Winckelm. catal. p.* 50 *et Schlichtegroll. alii*).


790. Quod ad verba attinet inscripta in gemmarum una Macarius (*ap. Chifflet. p.* 17. 23) legerat ΓΙΓΑΝΤΟΑΕΤΟΡ, *gigantum perditor*, ubi observes velim apertam literarum Ο et Ω confusionem. In alia (*Fundgruben des Orients. VI,* 107) scriptum exstat ΓΙΓΑΝΤΟΡΗΚΤΩΡ. In alia (*ap. Rasp.* 547) ΓΙΓΑΝΤΟΡΜΚΙΑ, quod γιγαντορωκια legi quidem vult Raspeus: sed haec vox nihili est. Quae M litera esse videtur, ea H potius est (§. 203) et pen-

ultima, quae lineae erectae formam habet, legenda T (*Palaeogr. crit. I.* 116), ut exeat *γιγαντορηκτα*. Eandem idem Raspeus inscriptionem adeo corruptam deinceps exhibet, ut omnem medelam videatur respuere. Sic in diversis apud eum gemmis legitur (*n.* 568) ΓΙΓΑΝΤΟΝΤΟΡΗΚΤΑ, (*n.* 569) ΤΤΑΝΤΟΠΤΟΡΗΚΤΑ, quae verba nemo profecto intelligeret, nisi jam cognita incorrupta inscriptione. Praeterea Baudelotio (*utilit. des voyag. II. tab.* 20) debemus gemmam, quam hic subjicere placet:



in qua literarum, quae vocabulum *γιγαντορηκτα* sequuntur, sensum assequi non potui. Notandae tamen in hujus gemmae antica O hac forma ∩ (§. 193. 382. 784) et in postica C pro *Gamma*, licet vulgare Γ etiam compareat. De voce *Ανοχ* illico (§. 191) plura monebo. Observanda et serpentis imago, conferendaque sunt quae de *Οφιωνι*, *qui omnibus praestet gigantibus* (§. 785) observavi. Est denique *γιγαντοφοντιδα* Minervae cognomen (*Cornut.*

c. 20. *p.* 189) gemmis etiam quibusdam ex iis, quae supra (§. 789 *f.*) laudavi, celebratum.



791. Ediderunt hanc gemmam Gorlaeus (*n.* 426), Salmasius (*ann. clim. p.* 570), Chiffletius (*n.* 76) et Montfauconius (*tab.* 169); atque jam pridem vexarunt verba ei inscripta viros doctos: quos inter Salmasius Graeca sola interpretatus est, reliqua Aegyptiaca esse (*conf.* §. 726) arbitratus. Bellermannus (*III.* 17) non nisi, quae in medio leguntur, explicuit; in reliquis dubius haesit. Passerius (*II.* 264. *n.* 87) vocem BAPBA „*filium patris!*“ vertit, et XOA-XNOYBIΣ decani nomen corruptum esse putavit. Neque ego certior in omnibus interpres ero. Quae quidem serpentis, quod cornu copiae esse Passerius maluit, capiti radiato adscripta sunt superiori jam loco (§. 561 *sequ.*) שמש עלם, „*Sol aeternus*,“ interpretari placuit. Quae vero ab utroque serpentis latere leguntur

ΑΝΟΧ ΧΟΑ ΧΝΟΥΒΙΣ tam ex Aegyptiaco, quam ex Hebraeo sermone explicari possunt. In utroque enim prima vox significat *Ego* (§. 372) quae admodum frequens in gemmis (*Rasp. n.* 553. 554. 566) legitur: ΧΟΑ autem, Aegyptiis *Hiatus, Foramen* sonat, Hebrais *Omne, Universum.* Sed plura sunt quibus ad hanc linguam praeferendam adducar. Primum enim nimia variarum in uno eodemque monimento linguarum cumulatio haud verisimilis esse videtur. Insunt certe in inscriptione haud dubie Graeca quae mox proferemus. Pariter Hebraea quaedam in iis quae per orbem scripta sunt detegere mihi visus sum: unde profecto mirum foret, si tertio etiam sermone usus esset auctor. Alterum idque gravissimum argumentum ex alia inscriptione accedit, in qua Aegyptiacum ΘΟ (§. 620), Hebraeo כל apprime respondet. Quamvis igitur doctissimo Bellermanno (*III.* 17) concedere haud dubitem, legendum esse אנך כל; in eo tamen quod nomen Chnubis vertit *spiritus bonus,* ut sensum magis accomodaret ad *Messiam,* quem loco *Solis aeterni* intelligere sibi visus erat, ab eo me dissentire supra (§. 565) jam fassus sum. Hebraea enim verba illa cum nomine Chnubis conjuncta idem exprimunt, quod tam Aegyptiaco ore (§. 620) quam Graeco et Romano (§. 801) saepenumero prolatum esse legimus, uno numine *omnia* comprehendi. Plures ejusdem generis gemmas serpentis imagine insignitas fuisse ex Raspei libro (*n.* 568 *sequ.*) constat: unde magna mihi suspicio oritur, decipi quoque se passos esse bonos ecclesiae patres, qui

illud *σεμεσειλαμ* perperam pro Messiae nomine accipientes, gnosticis vitio verterent, quod Christum serpentis imagine pinxissent.

792. Eorum quae nunc sequuntur maximam jam partem interpretati sumus. Refert autem videre quo pacto literae dispositae sint. Sic enim in gemma incisas eas videmus:

ON

ΓΙΓΑΝΤΟΠΤΟΡΗΚΤΑ

Obscuram inscriptionem reddunt literae ΠΤΟ, quae inter *γιγαντο* et *ρηκτα* interpositae sunt, et quae super eas collocatae conspiciuntur ON: unde Salmasius (*p.* 570) has post literam Π inserendas esse censuit, ut legeretur *ποντο* quod accipiendum pro *παντο*, et sententia esset „gigantum *omnium* eversor." Neque est quod hanc explanationem improbemus. Haud enim raro observavimus O positam pro A (*Grenii mus.* 349. *Schow. charta papyr. p.* 90). Et quod attinet ad literas superpositas, quidni in gemmis a scalptoribus errores emendatos esse putemus, quum in lapidum etiam titulis et in numis menda pari modo correcta videamus. Ita enim apud Aringhium (*I.* 342) lapis est depictus in quo sculptor, quum perperam BERENTI incidisset, super imperfectas has voces exaravit NEME. In Graeca (*ap. Bartol. tab.* 90 *et Montfauc. V. tab.* 41) inscriptione legitur ΒΛΙΟΝ ΕΙΙΙCΤΗ ΙΧΝΟC, sed secundam vocem corrigens auctor super eam posuit syllabam CAC. In Latina (*Montf. II. tab.* 194) nomen proprium quidem exstat SECVNDIVS, sed superne additas videmus literas NI. In numo denique

argenteo nomini ΑΛΕΣΝΔΡΟΥ super literas ΣΝ impositum videmus A (*Mus. Moscardi p.* 11). Si quis vero contenderit, delendas esse binas literas ΠΤ quibus impositae sint ON, ut hisce illae corrigerentur; non minus clara sententia erit *γιγαντοον ὁ ρηκτα*. Geminatam enim O vicem gerere *του ω*, maxime apud Aegyptios, qui Sahidica dialecto usi sint, (§. 429) haud ignoramus.

793. Multo major obscuritas eorum est, quae a dextra serpentis parte interpretanda supersunt. Pro ultima I substituendam esse literam P superiori jam loco (§. 570) monui, quo etiam de voce ΦΑΡΑΝΓΗΣ plures attuli conjecturas: quod quidem nomen adeo illis temporibus familiare hominibus fuisse videtur, ut in peregrinis etiam linguis, veluti in Hebraea vel Chaldaica, integrum retineretur. Ex reliquis, quamvis omnem sententiam perspicere mihi nondum licuerit, ΡΟΦΕΙ tamen *gigantes* (רפאי) vertendum esse conjeci. Quoniam autem istos homines, et maxime Judaeos, saepe verbis ludere (§. 484. 647. 722) animadverti, כרפא etiam *sanando* verti potest. A sanando enim ipse *Raphael* angelus nomen invenit. Quod si statueris; illud ΒΑΡ ΒΑ, quod sequitur, Hebraeis literis בר בא substitutis, vertere poteris (*sanando*) *filium venit*, vel *filius venit*.

ΓΕΙΓΑΝΤΟΠΛΙΚΤΑ. ΒΑΡΟ
ΨΗΛ. ΣΟΡΙ. ΟΡΜΟ
ΑΠΑΛΑΞΟΝΤΟ
ΠΕΡΙ. ΤΟ. ϬΤΟΜΑΧΟΝ. ΠΑΘΟϹ
ΤΟΥ. ΠΑϹΧΟΝΤΟϹ

794. Insculptam esse hanc inscriptionem Gruterus (1047, 5) refert „in annulo alectorio Doricae antiquae" (vellem clarius locutus esset); sed interpretari eam ne aggressus quidem est. Quo magis enim apertae extremae sunt voces, eo obscuriores videntur quae primam sequuntur quatuor. Neque primam intelliget, nisi is, qui corruptae orthographiae et literarum imperfectarum rationem habuerit. Posita enim sunt EI pro I et I pro H; et, quae extrema Λ esse videtur, ea *Alpha* est (§. 193. 198-200. 781). Unde haud dubie quintus casus intelligendus vocabuli *γιγαντοπληκτης*, *gigantum percussor*, licet vox sic composita perinde atque illud (§. 789) *γιγαντορηκτα* a lexicis absit. *Βαρο*, quod proxime sequitur, non magis in eis reperies. Quia autem epitheton est gigantum percussoris, eodem id sensu accipio, quo supra (§. 574) demonstravi infima aetate *Βαρο* significationem *fortis* habuisse. Id quod Isidorus (*etym.* 9, 4, 31. *T. III. p.* 434) aeque ac Papias confirmant, cujus haec sunt verba: „Barones *Graece* dicti, quod sint *fortes in laboribus.*"

795. Quo facilius nunc in reliquis conjiciendi negotium sit, prius extrema legamus: *ἀπαλαξον το περι τον στομαχον παθος του πασ-*

χοντος, quae ad verbum expressa haec sunt: *remove eum, qui circa stomachum est, morbum a patiente.* Eidem igitur morbo remedio hoc erat amuletum, cui illud, quod supra (§. 783) inseruimus. In eo quod proxime illa verba antecedit ΟΡΜΟ facile agnoscitur instrumentum, quo fieri morbi sanationem credebant. *Ὁρμῳ* enim intelliget quicunque corruptae orthographiae, quam ab initio observavi, meminerit. Convenit praeterea vocis sensus cum descriptione, quam Gruterus dederat. Duo quae nunc restant verba ΨΗΛ. COPI. breviata esse videntur. Primum *ψελιον* intelligo; ita enim, et *ψελλιον*, et *ψαλλιον* scripta haec vox reperitur. Quam licet *armillam* vel *torquem* plerumque vertant; viri docti tamen (*Mem. de l'acad.* 2. *p.* 463) ex Aeliano (*ap. Suidam*) demonstrarunt non nunquam *amuleti genus* ea denotari. Utro autem sensu *ψελιῳ* acceperis cum *ὁρμῳ* id conjungendum erit: unde COPI esse videtur *σωρηδον*, ut vertendum *torque* (vel *amuleto*) *una cum monili.* Sed haud invitus palmam cedam ei, qui meliorem afferat interpretationem. Ipse enim, quum nomen possessoris proprium desiderarem, primum de *Psello* vel *Soria* cogitaveram, quippe quod utrumque nomen proprium esset.



796. Operae pretium me facturum esse arbitratus sum si ad archetypum correctam recuderem hanc gemmam. Misere enim deformata apud Capellum (*n.* 22) inscriptio est, ita ut ne numerus quidem literarum in singulis versibus sit servatus. Negligenter omissa quoque in nomine Sarapis litera A, additaque in Alexandri nomine nota nihil prorsus significans. Gemmam enim ipsam, in museo Cassellano servatam, vidi. Sed opus artificem certe non optimum prodit. Figura enim sedens, quam cum aliis, supra (§. 611. 780) exhibitis, conferas velim, informem tollit manum, cujus digiti unguibus sunt simillimi, quamvis pulchriorem figurae formam apud Capellum imitati Montfauconius (*tab.* 153) et Zornius (*bibl. ant. ad p.* 313 *falso inscr.*) sint. Ille Isidem repraesentari (*p.* 362) arbitratus est loti insidentem flori, cui cynocephalus (§. 648. 716) certe fidem facere videtur: sed in posticae inscriptione adusque

nomen Abraxas nihil intelligi scribit. Et sane prorsus obscura verba sunt illa: unde a facilioribus incipiamus in antica inscriptis, postquam de Sarapide iis memorato quaedam praemiserimus.

797. Nomen quidem non *Serapis* sed Sarapis scribitur, quae vera ejus et genuina Aegyptiorum orthographia est (*Schow. charta papyr. p.* 54. *Sturz. p.* 117), unde eandem a Juliano quoque imperatore, Macrobio, et aliis usurpatam fuisse videmus, etsi Graeci pariter atque Romani varia et inconstanti ratione id nomen scripserunt (*Falconer. inscr. athl.* 106. *Te Water ad Jabl. opusc. I.* 285) adeo ut in gemma quadam (*ap. Torremuz. cl.* 16. *n.* 5) *Σιραπος* legatur. Dei hujus, qui tutelaris Alexandriae erat (*Julian. ep.* 51. *Op. p.* 433), cultum maximum praesertim in Aegypto fuisse non solum scriptores veteres tradunt (*Varro de l. Lat. L.* 4. *p.* 17. *Tacit. hist.* 4, 81. *Macrob. Saturn.* 1, 20. *et plur. loc. Pausan. Conf. Lehmann in Crenii mus. phil. p.* 409. *sequ. et P. E. Müller de vita ascet. p.* 66); sed varia etiam monimenta testantur, tum gemmae a nobis aliisque editae, tum numi (*Mem. de l'acad.* 10. *p.* 496 *sequ.*) maxime in Aegypto cusi (*Zoega de num. Aeg. p.* 78. 83. 86. 108. 111. *cet. Eckhel.* 4. *p.* 29), tum lapidum tituli, in quibus legimus Graece quidem *Δυ ἡλιῳ μεγαλῳ Σαραπιδι* (*Tournefort voy.* 2. *p.* 180. *Boissard. V. tab.* 109. *Fleetwood p.* 10. *Gruter.* 22, 10 *et* 11. 1010, 11) et Latine I. O. M. SOLI SARAPIDI (*Donat. suppl.* 6, 9) aliaque ejusdem generis (*Grut.* 85, 3 *et* 4. 314, 1. *Fabrett.* 469). Gemmae inscriptae verbis *μεγα το ὀνομα του Σα-*

(34) *

ῥαπιδος supra (§. 726) mentionem fecimus. Quae omnia qui legerit sane intelliget cur Clemens (*ad gent. p.* 31) Sarapin appellaverit *μεγαλοδαιμονα*, et Porphyrius (*ap. Euseb.* 4, 12, 22 *et* 23. *p.* 174. 175. *Theodoret. disp.* 3. *Op. IV. p.* 776) „principem eum dixerit improborum daemonum, qui ab eo cohiberentur" (*conf.* §. 619). Plures enim Plutonem eundem esse affirmabant (*Plutarch. de Is.* 361. *Tacit. hist.* 4, 84. *f.*). Quapropter verbum in gemma quadam, capiti Sarapidis adscriptum, ΔΑΜWΝΙϽϞ, quod Montfauconius (*diar. Ital.* 356) ΔΑΜΟΝΟC legit, Gorius autem (*inscr. Etr. I. p.* 63), qui gemmae ipsius ectypon (*tab.* 8. *n.* 3) exhibuit, Abraxeam inscriptionem nobis incognitam appellat, equidem potius *δαιμονῳ* interpretari malim.

798. Quibus cognitis jam aperta est causa cur toties in gemmis, potissimum in amuletis, hoc compareat numen. Origenes enim (*contra Cels. L.* 5. *p.* 258) se legisse refert in Numenii Pythagorici scriptis „Sarapin participem esse substantiae *omnium*, quae in rerum natura sint, quum animalium, tum plantarum, ut videretur non a statuariis solum Deus fieri (*κατασκευαζεσθαι θεος*), verum etiam a *magis, veneficis*, et *daemonum incantatoribus.*" Accedit quod Sarapis diis *servatoribus* adnumerabatur (*Cuper. Harp. p.* 158), cujus rei multa exempla protulit Montfauconius (*II. p.* 299). Quibus addimus lapidis titulum (*ap. Gruter.* 85, 8) dedicatum „*Deo invicto Serapi servatori.*" Sunt etiam gemmae, in quibus ejus imagini verba adscripta legimus tum ΣΩΤΗΡ (*Rasp. n.* 1438), tum

ΕΛΠΙΣ (*n.* 1461), tum *φυλασε* (§. 548) tum *διαφυλασσε*, ut in hac (*ap. Capell. n.* 191. *Montfauc. tab.* 153):



Atque hoc idem verbum in alia (*ap. Sponium et Montfaucon. tab.* 159) integrae Sarapidis figurae est additum. Permultae praeterea reperiuntur gemmae omni inscriptione destitutae et solo illius capite ornatae, quas annulis inclusas veteres circumferebant (*Montf. III. tab.* 135, *et Beger. I.* 152. *III.* 122. *Pignor. mensa Isiaca p.* 3. *Causeus* 1, 1. *et* 6, 7. *Gorl. ann.* 122. 193. *Chifflet.* 106. 109. *Mus. Corton. tab.* 66. *Cayl. III.* 14. 15. *Wild. gemm.* 18. 20) quod caput conjunctum interdum cum Isidis est capite (*Augustin. gemm. I,* 1. *II, tab.* 4. *Rasp. tab.* 24. *Gorl. gemm.* 466. *Chiffl.* 112): ut numos taceam (*Beger. III. p.* 184. *Pignor. p.* 81. *Spanh. I.* 264. 689.

Seguin. p. 3) aliaque monimenta (*Causeus* 2, 2. *Cayl. II.* 88. *VI.* 75) illius imagine insignita.

799. Omnino amuletis etiam adnumeranda gemma est, in cujus antica, referente Gorio (*inscr. Etr. I. ad gemm. tab.* 8. *n.* 4. *p.* 64), Sarapis, in postica haec reperitur inscriptio: *Νικα ὁ Σαραπις τον φθονον.* Namque ad fascinationem, quam *oculo* maligno fieri homines putabant, averruncandam elaboratum illud amuletum esse verba docent; quo etiam pertinere videtur inscriptio in lapidis fragmine a Fabretto (*p.* 468. *n.* 104) allata. Ista nimirum superstitio ab antiquissimo tempore repetenda est, si verba in psalmis (35, 19) קרץ עין de ea intelligenda sunt. Certe *Thalmudistae* in *Gemara* multa de oculo maligno verba faciunt. Et ex Graecis Plutarchus (*symp.* 5, 7. *p.* 680) de *ὀφθαλμῷ βασκανῷ*, nec non (*contra Epicur. p.* 1090) de laesione contuentium per fascinum et invidiam facta disputat; Manethon vero (*apotelesm.* 5, 45) poetice eandem rem ad stellas *vulnerantes oculo fascinante* refert. Quumque Plinius (8, 21, 32 *sequ.*) de animalium etiam oculis nocentibus disputans, in Italia credi (8, 23, 34) referat luporum visum esse noxium eoque vocem homini adimi; ex hac tantum opinione Graecam in gemma (*ap. Capell. n.* 221), lupum repraesentante, inscriptionem ΙΛΩ (*εἴδω*) explicari posse arbitror. Multi praeterea Romani sunt in oculi maligni vi nocendi memoranda (*Virgil. ecl.* 3, 103. *Horat. epist.* 1, 14, 37. *Plin.* 7, 2. *et* 28, 4, 7. *Gell.* 9, 4); neque ignota cuipiam esse arbitramur remedia, quae pueris appen-

debantur (§. 62). Atque permultis in regionibus hodieque viget illa de damno ab oculo invido illato superstitio (*Hoest Feez u. Marok. p.* 222. *Keysler ant. septentr. p.* 492. 493. *Winckelm. Send. schr.* §. 56. *Hammer copie figur. d'un rouleau de papyr. publ. par Fontana p.* 13. 14).

800. Quae vero in nostrae gemmae altera facie legitur inscriptio *εἰς Ζεὺς Σαραπις*, ea non solum in pluribus aliis (§. 217. *Passer. I.* 87. *Zornii bibl. ant. p.* 217. *Rasp. n.* 1471. 1474. 1506. *Winckelm. catal. p.* 42. *n.* 52. *Spon. deor. ignot. ar. in Gronov. thesaur. VII. Jablonsk. opusc. I.* 286. *n.*) deprehenditur; sed in plumbo etiam (*Zoega. num. Aeg. p.* 174), atque in lapidum titulis (*Fabrett. p.* 468). Quam qui legerint, nec fuerint nescii Sarapidis et Solis unam esse et individuam naturam (§. 643. 797. *Macrob. Saturn.* 1, 20 *f. Zoeg. num. Aeg.* 58. 78), unde circumdatum eum etiam Zodiaci signis videamus (*Mem. de l'acad.* 41. *tab. I. ad p.* 522. *Passer. tab.* 17. *Montf. suppl. II. tab.* 42); facile reminiscentur Ciceronis (*nat. deor.* 2, 27) verborum, ab aliis (*Macrob. somn. Scip.* 20. *Mart. Cap. L.* 2. *p.* 43) dein repetitorum „Sol dictus est quia *solus* ex omnibus sideribus *tantus*." Ac sane populi antiquissimi summo numini hoc proprium esse docuerunt. Ita ab Hebraeis deus אחד (*Deut.* 6, 4) appellabatur, atque ab Assyriis sive Phoenicibus (§. 674) *βασιλευς θεων Αδωδος* (*Euseb.* 1, 7, 10. *p.* 38) sive *Adad* (*Macrob. Sat.* 1, 23 *f.*), quod a Sanchoniathone verisimiliter הדד (ab הדא) scriptum erat, quapropter dubita-

bam an in gemma supra (§. 713) exhibita inscriptum ΕΛΔ hoc nomine explicandum esset. * Certe ex regibus Syriae plures eodem insigniti erant (*Gen.* 35, 35 *et* 36. *Josephi ant.* 7, 5, 2. *p.* 375), ex quo et illa בן־הדד (*v. Gesen. h. v.*) exstiterunt. Hebraeorum אחד autem Cabbalistis quoque familiare fuisse supra (§. 763) observavimus. Sibyllina praeterea *εἷς θεος, ὃς μονος ἐστιν*, et *ἑις μονος ειμι θεος*, et Trismegisti *ὁ δε θεος εἷς*, e Lactantio (1, 6) nota sunt. Ac pariter Philolaus Pythagoricus (*ap. Philon. de mundi opif. Op. p.* 23) *ἐστι θεος* scripsit *εἷς ἀει ὢν*.

801. Hinc satis patet quam falsa Passerii (*II. p.* 127) sit conjectura, in nostra inscriptione syllaba *εις* forsan Isidem denotari! Notissimi scilicet oraculi (§. 643) verba *εἷς Ζευς, εἷς Ἀιδης, εἷς Ἡλιος, ἐστι Σεραπις* (*Justin. mart. cohort. p.* 16. *Juliani orat.* 4. *Op. p.* 136) omnino ille ignorasse videtur. Sed hujus oraculi ex verbis latior etiam vocis *εἷς*, Sarapidi adscriptae, sensus elucet. Hunc enim deum, Plutarchus (*de Is. p.* 362) docet, omnium deorum naturae convenire (§. 798), et legere apud Macrobium (1, 20) licet, quam magnifice suam ipse naturam praedicet. Unde non solum panthei forma insignitus (*Seguin. num. p.* 3. *Beger. III.* 440) comparet; sed in gemma etiam (*Mus. Flor. II. tab.* 14. *n.* 3) adscriptum ei legimus ΠΑΝΤΑ ΝΙΚΑ Ο ΣΑΡΑΠΙΣ. Neque Sarapis solus tot, quot in oraculo nominantur, personas sustinebat; sed aliis etiam diis similis erat natura. Quot Sol sustinuerit Martianus Capella (*L.* 2. *p.* 43 *f.*) et Nonnus (*Dionys L.* 40) testati sunt: quot Isis

Appulejus (*metamorph. XI. p. Oudend.* 753. 762) docuit: quae quidem *Myrionyma* idcirco a Plutarcho (*p.* 372) et in lapidum titulis (*Grut.* 83, 11. *Murat.* 73. *Fabrett. p.* 469) nominatur. Unde reprehendendus Seivertus, qui (*inscr. Dalm. p.* 91) in ejusmodi lapide legit ISIDI. MYRIONI. MAECilius. IVLius, pro eo quod legere debebat ISIDI MYRIONyMAE C(ajus) IVLius. Atque huc etiam pertinent inscriptiones Latina illa „*Te tibi VNA, quae es OMNIA dea Isis*" (*Grut.* 82, 2. *Pignor. p.* 3) et Graeca, qua Minerva Saitica, quam eandem Isidem teste Plutarcho (*p.* 354) putabant, inquit: *Ἐγω ειμι ΠΑΝ το γεγονος και ὀν και ἐσομενον* (*conf. Stobaeum serm.* 42. *p. m.* 292. *Jablonsk. panth. I.* 65. 67). Haud dissimili ratione Judaei nomen Jehova interpretati sunt *ὁ ὢν και ὁ ἐσομενος* (*Clem. Alex. strom.* 5. *p.* 562 *f.*). Sed *omnia* comprehendi ab *uno* deo saepe legitur (§. 620. 791). Ita Jupiter in Valerii Sorani versibus (*ap. Augustin. de civ. dei* 7, 9) dicitur „deus VNVS et OMNIS." De eodem similia Euphorion, et de Apolline Hermesianax (*Schedius de diis Germ.* 310. 306) praedicarunt; et apud Martialem (5, 24, 15) legitur

Hermes OMNIA SOLVS, *et ter* VNVS.

E Christianis pariter Otfridus (1, 2, 66. *ap. Schilt. p.* 29) scripsit

Thu druhtin EINO *es* ALLES *bist*

(non enim ALLER in libris scriptis legitur, sed ALLES (*Schilt. gl. p.* 256) secundum illud Pauli apostoli (*Cor.* 1, 15, 28) *ὁ θεος τα ΠΑΝΤΑ ἐν ΠΑΣΙ.* Verba denique in gemma nostra inscripta quo pacto

a Neo-Platonicorum placitis majorem lucem accipiant, ad aliam gemmam, post hanc (§. 803) illustrandam demonstrabimus.

802. Omnino obscura sunt quae in priori gemmae facie leguntur. Graeca quidem in fine agnovit Montfauconius *δος χαριν Ἀλεξανδρ*, vertitque „da gratiam Alexandro," quae sic intelligenda sunt: „*Gratum et ubique acceptum* redde Alexandrum." Hunc enim horum verborum sensum esse, aliis amuletis (§. 494. 726. 745. 779) edocemur. Sed in reliquis omnibus nemo quisquam Graecum verbum reperiet. Semiticae potius linguae ope quaedam explicari posse conjicio. Observes velim ab Alexandri nomine terminationem abesse, eodem prorsus modo, quo in alio amuleto (§. 715) hoc nomen legitur. Id quod barbarum sermonem prodit. Raro enim Aegyptii, nunquam Semiticae stirpis populi nomina flectunt. Fuit autem admodum frequens (§. 392.) nomen hoc proprium, cujus rei causam reperire sibi visus est auctor lepidae historiae, quam apud Fabricium (*in cod. pseudepigr. V. T. p.* 887) legere licet. Primum inscriptionis verbum XABPAX vel Hebraeum, vel Chaldaicum כאברך, *Quum benedico,* esse poterit; et respondere his verbis videtur alterum *Caph*, a quo incipit XHPΦI XPO, כערפי יכרע *tum cervix mea incurvat se.* Quae circa finem nomen Abrasax antecedunt BAIXΩΩΩX vocabula usu recepta esse videntur, de quibus ante (§. 719) disserui.

EIC Σ EYC
CAPAΠIC
AΓIoN oNoMA
CABAΩ
ΦΩC
ANAToAH
XΘΩN

803. Raspeo (*n.* 1490) referente adscripta in gemma haec sunt capiti Sarapidis. Quibus cumulatis vocibus perlectis quilibet perspiciat necesse est voce *σαβαω* hic neutiquam notissimum illud dei nomen צבאות posse denotari. Quam quum sequantur *lux*, *ortus*, *terra*; nullus dubito quin *demiurgus* voce illa intelligendus sit, sive totius mundi conditor, id quod ante (§. 246. 582) jam dilucide comprobasse mihi videor, et ostendisse vocis etymon vel a צבא, *ordinare*, vel a שבע *septem* (§. 479) ex Chaldaeorum de *septem* coelis doctrina esse repetendum. Ex hac certe gnostici sua accepta videntur referre. Qui quum demiurgum condidisse coelestia et terrena docebant, teste Tertulliano (*adv. Valent. c.* 20. *p.* 171) „tum ipsam coelorum *septemplicem* scenam solio desuper suo demiurgum finiisse, unde et *sabbatum* dictum *ab hebdomade* sedis suae.“ Quibus addenda sunt Epiphanii (*haer.* 26. *p.* 91) verba: *„ἄλλον δὲ ἕβδομον οὐρανὸν ὑποτιθενται, ἐν ᾧ λεγουσιν εἶναι τον Σαβαωθ.“* Atque idem alio loco (*haer.* 25. *p.* 77) „Sabaoth dominium *septimi* coeli“ ait „obtinuisse.“ Jam vero ex Chaldaeorum

doctrina explicandas etiam esse censeo tres illas voces *φως, ἀνατολη, χϑων*. Psellus enim, demonstraturus, secundum Chaldaeos septem esse mundos, „ab iisdem numerari," refert (*Lambecc. prodrom. p.* 114) „igneum unum (*ἐμπυριον*), deinde tres aethereos, denique tres materiales (*ὑλαιους*) e quibus ultimus *terrenus* (*χϑονιος*) dicatur." Quae si ad nostram gemmam referamus, *φως*, lux, respondet Chaldaeorum mundo igneo; *ἀνατολη*, lucis ortus, aetheri; et *χϑων* materiae, cujus maxima pars sit terra. Quod clarius etiam explicat idem Psellus (*p.* 113) hisce verbis: „Nam qui subter lunam locus est, undique *tenebricosus* - - lunaris vero alternatim lucidus et obscurus est." Praeterea Ephesiis etiam illis verbis ex parte respondet inscriptio nostra. In eis enim Androcydes (§. 504) *δαμναμενευς* Solem interpretatus erat, qui idem hoc loco est *Sarapis; κατασκιον* lucem explicaverat, quae hic est *φως; ασκιον* tenebras, cum quibus convenit *χϑων*. Certe monimentum nostrum in eo imitatur Ephesia grammata, quod neque hic neque illic verba inter se cohaerent (§. 723). Eandem illam gemmae inscriptionem observamus a Burmanno Secundo esse editam (*in anthol. Lat. I.* 620): imaginem autem variare: Horum enim sive Harpocratem repraesentare, quem quidem eundem Solem esse (§. 566. 803) scimus. Quoniam autem in nostra inscriptione Sarapis *Sabao* sivi *demiurgus* appellatur, juvat Phylarchum advocare, qui (*ap. Plutarch. de Is. p.* 362) affirmat „Sarapin esse nomen ejus, qui universum ordinet atque ornet" (*conf. et* §. 658).

ΣΕΡΑΠΙ
ΑΚΩΙ
ΙΑΕΩΣ

In gemma quadam a Raspeo (*n.* 4107) descripta Aesculapio et Hygeae serpentem alentibus addita illa est inscriptio. Atque opus quidem perpulchrum esse ille praedicat, neutiquam vero explicuit. Qua tandam ratione Σέραπις cum illis diis conveniat facile perspiciemus, modo reliqua practer nomen verba prius intellexerimus. Σέραπι quum vocandi casu legatur, in verbo quod sequitur imperativum ἄκουε agnoscamus necesse est, quantumvis quod scriptum ακωι legitur, ab illo differre videri possit eis, qui frequentem harum vocalium permutationem (§. 213. 365. 378. 410) ignorent. Quos eosdem memores esse velim, superfluam literae Λ interdum additam esse lineam transversam, nec semper characterem hac forma Α primam alphabeti literam valere (§. 198. 746). Qui nisi hoc tenuerint vocem postremam vix intelligent. Integra igitur inscriptio vertenda est *Serapi exaudi benigne!* Ab antiquissimis temporibus ejusmodi precantium formulam repetendam esse supra (§. 21) observavi; et utique similes sunt Hebraeorum עֲנֵנִי יְהוָה (*Ps.* 119, 145), Romanorum *exaudi Jupiter!* (*Plin. panegyr.* 94), *exaudite preces!* (*Lucan.* 6, 706. *Ovid. metem.* 13, 856), et Graecorum κλῦθι, quod persaepe in Orphei hymnis (1, 1 *et* 13. 2, 3. 3, 9. 7, 1. 8, 1. 16, 1. *cet.*) et apud Homerum (*v. Damm. p.* 1199) obvium. Ita in marmore Cassellano, quo hymnus in Aesculapium

804.

continetur, καικλυτι pro κεκλυϑι legitur ex prava nimirum verbi pronuntiatione (§. 378. 382 *sequ.*) quamvis Gesnerus (*in commentar. Gotting. II. p.* 292) philologorum more non auctori, sed scalptori mendum tribuat (§. 8. 201 *sequ.* 378. 381. 401. 457. 484. 753), id quod nemo probare poterit, qui aliquam saltem modi procedendi, artificibus usitati, notionem habet. Quod adverbium illud ἱλεως attinet comparanda cum eo sunt familiaria Graecis in ejusmodi precationibus ἱληϑι, ἐρχε ἱλαος cet. (*Spanh. ad Callim. p.* 751).

805. Qui vero hic Serapis appellatur idem ille Aesculapius est, cujus imaginem in gemma incisam esse diximus. Opportunus enim testis nobis adest Tacitus (*hist.* 4. 84 *f.*) scribens „*eundem* deum (Sarapin) multi *Aesculapium*, quod medeatur aegris corporibus, conjectant.“ Quo fit, ut in quibusdam imaginibus totum serpente involutum Sarapidem (*Montfaucon. Suppl. II. tab.* 42); in aliis caput solum in serpentem desinere videamus (*Fabretti* 471. *Caylus III. tab.* 14. *n.* 6. *Montfauc. II. tab.* 136. *n.* 2). Sed otium nobis jam fecit Montfauconius multis monimentis testificatus Sarapidem quandoque Aesculapii munere functum esse. Quibuscum conferre licet, quae modo ipsi (§. 798) de illo deo disseruimus. Hoc unum addere lubet, egregie lapidis quodam titulo illustrari Ciceronis (*divin.* 2, 59) locum, quo scribit: „qui igitur convenit aegros a conjectore somniorum potius quam a medico petere medicinam? An *Aesculapius*, an *Serapis* potest nobis praescribere *per somnium* curationem valitudinis?“ Lapidis enim il-

lius quem laudavi, inscriptio haec est: DEO SERAPI M. VIBIVS ONESIMVS EX VISV. Addita in dextro latere Sarapidis imago et superiori loco pes humanus spiris serpentis involutus (*Cuper. Harp. p.* 47. *Fabretti* 467. *Montfauc. II. tab.* 122) cui similis est alius pes votivus serpente etiam circumdatus (*Montfauc. II. tab.* 100). Hoc enim sanitatem pedis restitutam significari a Porphyrio (*ap. Euseb.* 3, 4, 11. *p.* 112) edocemur. Verba autem illa *ex visu*, quae in aliis etiam inscriptionibus leguntur, apprime congruunt cum illo Ciceronis loco. Quo etiam referenda est gemma (*ap. Cayl. VI.* 69, 6) in qua Sarapidis imagini adscriptum legimus: ΚΑΤΑ ΧΡΗΜΑΤΙCΜΟΝ. In templis enim superstitiosi homines somnia captabant, quibus quasi oraculis remedia ipsis indicarentur (*Gorii inscr. Etr. I.* 291 *sequ.*). Quid? quod Christianos ipsos noctu in templis mansisse, et morborum remedia ibi quaesiisse (§. 540) legimus; quin Tertullianus (*de anima c.* 47 *et* 49) etiam somnia per spiritum sanctum a deo mitti nobis persvadere voluit! Quo profecto sanius philosophorum amplectimur judicium, veluti Ciceronis, quippe qui (*div.* 2, 65 *f.*) „minime dignum majestati deorum esse obscura mittere somnia" censeat; et Senecae (*qu.* 2, 32. *p.* 711) similiter scribentis „deum nimis otiosum et pusillae rei ministrum facis, si aliis *somnia*, aliis exta disponit!" Unde Martianus etiam Capella (*L.* 2. *p.* 38), ubi veterum opiniones recenset, „vaticinia, somnia et prodigia non a summo, sed a secundae beatitudinis numinibus componi" refert.



806. Jovem Sarapidem, manu Victoriolam tenentem, hujus gemmae (*ap. Capell.* 146. *Montf. tab.* 129. *in Zornii bibl. ant. tab. ad p.* 446) figura denotari, tum calathus capiti impositus docet, tum monstrum triceps (*Fabretti* 468.), quod ex Macrobii (*Sat. I.* 20) loco et lucerna quadam antiqua optime illustravit Eckhelius (*IV.* 30. 31). Ac nihil dubii de imaginis significatione remanere sinunt numi similes a doctissimo illo viro allati. Causam, cur addita Victoria sit, Curnutus (*de nat. deor.* 9. *in Gal. opusc. p.* 150) aperit, similem Jovis imaginem illustrans, quem manibus Victoriam tenere scribit „ut clarescat, *vincere* eum *omnia* (§. 799. 8[illegible]), neque ipsum vinci posse." Magis dubia sunt verba illa inscripta, quae Montfauconius (*p.* 362) legi posse negat. Equidem ΞΥCΤΟC ΕΠΙΚΤΗΤΟC lego; et voce ξυστος locum intelligo ambulandi

causa constructum ante porticum (*Plin. epist.* 5, 6, 16. *Vitruv.* 5, 11) qui et cryptoporticus (*Plin.* 9, 36, 3) appellabatur. Statuis interdum hanc decoratam fuisse a Cicerone discimus, qui ad Atticum (1, 8) scribit: „Hermae tui Pentelici cum capitibus aeneis, de quibus ad me scripsisti, jam nunc me admodum delectant: quare velim, et eos, et *signa et cetera,* quae tibi ejus loci -- esse videbuntur, quam plurima, quam primumque mittas et maxime, quae tibi gymnasii *xystique* videbuntur esse. Haec ille. Quidni igitur a Romanis Aegyptiorum deorum, quorum imagines in annulis gestabant (§. 798. *Plin.* 2, 7, 5) signa quoque in xystis posita esse credamus? Optimus hujus rei testis esse videtur Lucanus (*Phars.* 8, 831) versu, quo Aegyptum alloquitur:

„*Nos in templa tuam Romana accepimus Isin.*"

Nec non Prudentius, qui (*c. Symmach.* 2, 870) Sarapidis aliorumque Aegypti deorum mentione facta addit:

Hos tu Nile deos colis et tu Tibris adoras.

(*add. Arnob. L.* 2. *p.* 95). Quae igitur numina, quum haud patria, sed adventitia sive adscita Romae essent; xystum, in quo erant posita, ἐπικτητον vel inde appellatum esse suspicor, quod quasi acquisiverint eum dii peregrini; vel translato hoc deorum peregrinorum epitheto ad porticum, in qua collocati erant. Sarapin certe, Macrobius (*Sat.* 1, 7) et Valerius Maximus (1, 3, 3) tradunt, vix aegreque a Romanis esse admissum. Nec mirum quum apud ipsos Aegyptios recens ejus cultus fuerit (*Celsus ap. Orig.*

L. 5. *p.* 254). Romae igitur gemmam nostram sculptam esse censeo; neque ullam perspicio causam, ex qua *gnosticis* eam adscripserint Montfauconius et Zornius, quum ne amuleti quidem loco habitam fuisse ullo argumento probari possit. Sed erunt fortasse qui inscriptione praeter bina nomina propria ejus viri, qui hac gemma ad obsignandum usus sit, quidquam contineri negent. Quibus ego facilis quidem concedo, fuisse illa nomina etiam propria, siquidem tam *Ξυστου* (§. 808) quam *Ἐπικτητου* (*Chandler. marm. Oxon. Siebenkees. expos. tab. hosp. p.* 18), nomen nobis notum est, et hoc quidem celeberrimi scriptoris. At vero imaginem, qualis supra conspicitur, minime a gemma cera impressa (§. 210. 677), sed ab ea ipsa mutuati sumus. Quo fit, ut si quis ad obsignandum ea uti vellet omnia inverterentur, vel ipsae etiam literae. Accedit quod qui sigilla possiderent in eis nomina sua plerumque secundo casu incidenda curabant.




807. Quid in mente fuerit Montfauconio, qui (*II. p.* 365) hanc in gemma (*ap. ips. tab.* 159. *Spon. misc.* 297. *n.* 20. *Baudelot. I.* 309. *tab.* 12. *fig.* 3. *Rasp.* 5902) imaginem Fortunae adscriberet, equidem haud perspicio, nisi cornu copiae et globo sub pedibus in errorem forsan inductus fuerit. Reliqua enim Herculem aperte designant et globus ipse, quem pede premit (§. 527), illum, quasi orbis universi victorem, denotat. Cornucopiae autem conjungendum cum tauri capite, quod sub clava conspicuum est. Et certe miramur Winckelmannum qui (*in allegor.* §. 295) hoc symbolum Herculi additum explicare non potuerit: magis etiam Viscontium (*mus. Pio-Clem. IV. p.* 115) sua ab illo mutuatum, nec clarius locutum. Ex Ovidio enim (*metam.* 9, 81 - 85) aliisque (*Diodor.* 4, 35. *Strabone L.* 10. *p.* 523. *Hygin. fab.* 31. *p.* 77. *Anonym. in Galei opusc. p.* 86. 87) de victo Acheloo, *tauro*, et accepto *cor-*

nu copiae fabella satis constat, et permultis imaginibus eam olim celebratam fuisse legimus (*Pausan.* 3, 18, 19. 6, 19, 9. *Philostrat. p.* 839). Quumque inter illos vera luctatio intercesserit, haud mirum ad palaestras illud relatum esse symbolum, Verba inscripta ΜΕΓΑΛΗ ΤΥΧΗ ΤΟΥ ΞΥCΤΟΥ Montfauconius quidem et reliqui verterunt „*magna fortuna Xysti.*" Immo vertere potuissent, ne dicam debebant, subscribendi *Jota* adminiculo *magnae fortunae Xysti.* Sed utro modo verba verteris; inscriptio ipsa, tum literarum figurae, tum intervalla inter singula verba relicta, aliam omnino fabricam produnt, quam ea est, ex qua plurima amuleta prodierunt.

808. Hercules sane in palaestris colebatur (*Pausan.* 4, 32, 1. *Curnut. c.* 16. *in Galei opusc. p.* 170) nec solum Ovidii (*fast.* 6, 209) versus

Altera pars circi custode sub Hercule tuta est;

sed lapidum etiam tituli (*Chandler. marm. Oxon. II.* 57. *p.* 105) aliaque monimenta (*Cayl. I. tab.* 88) ejus in illis locis auctoritatem confirmant. Quapropter quam stelam Viscontius (*mus. Capitol. V. p.* 230. *tab.* 36) in palaestra quadam positam Hermen appellat, eandem equidem pro Hermeracle potius habeo (*Pausan.* 2, 10 *f.*). Ceterum Ξυστός viri etiam nomen fuit (*Reines.* 951. *f. Bosii Rom. subterr. p.* 396). Sive igitur xysti locus, sive Xystus vir sit, ad quem inscriptio spectet; magna profecto felicitas praedicari poterat ejus, a cujus partibus staret Hercules vel custos, vel averruncus (§. 729).



Literarum formas, quas apud Capellum (*n.* 171) et Montfauconium (*II. tab.* 173) corruptas esse videram, gemma illa ipsa Cassellis inspecta, restitui. Imagine autem *Spem* repraesentari omnes persvasum habebunt, qui eandem figuram in aliis tam gemmis (*Gorl. I. n.* 15. 24. 37. *Augustin. I.* 121. *Ebermayer. cap. deor. n.* 398. *gemm. n.* 47. *Winckelm. Denkm. d. Kunst. I.* 25. *f. Montf. I. tab.* 204) quam numis (*Agostin. dialog.* 2. *p.* 44. *Bie tab.* 19. 28. 37. 38. 51. 52. 55. 62. 63. *Haym. I. tab.* 30. *n.* 4. *Seguin. p.* 63. *Tristan. III.* 114. *Beger. thesaur. II.* 698. 731. 734. *Montfauc. I. tab.* 205. *Choul. relig. Rom. p.* 25. *Mem. de l'acad.* 32. *p.* 262. *Banduri I.* 47. 257. 267) et in marmoribus (*Boissard. IV.* 130 *et Montf. I. tab.* 204. *Beger. spicil. ant.* 84. *Mus. Chiaram. tab.* 20. *Pio-Clem. IV. tab.* 8) consideraverint, ipso saepe Spei 809.

nomine adscripto. Unde Caylum miror, qui (*VI. p.* 275) *Spem* in monimento, quod (*tab.* 86) ediderat, non agnoverit. Atque solis etiam literis sine ulla imagine Spem in gemmis (*Ficor. gemm. tab.* 1. *n.* 12. *tab.* 2. *n.* 15) invocatam videmus. Eo autem minus ratio reperiri potest, qua adduci potuerit Passerius, ut (*II.* 277. *n.* 165) inter *magicas* gemmam nostram referret: qui idem perperam primum verbum „αφανοων" et alterum „αφρα" legens, pejus etiam hoc *αφραδιαν* (l. αφραδιαν) *imprudentiam* interpretatur, ut totum sit: *Spes temere non apparens et prudenter occultata!*"

810. Attamen literae praeter unam, quae ante penultimam collocata est, sunt perspicuae. Illius autem forma medium tenet inter K et Φ, quam eandem, nisi in lapide apud Caylum (*VI. tab.* 39. *n.* 3) videre nunquam mihi contigit. Quoniam autem in isto lapide lectio admodum incerta est, neque alia causa, cur ad literae formam linea infra sit addita, excogitari potest, quam ut K exarare voluisse artificem dicamus; equidem adjutus praeterea sententia, quae in nostra inscriptione latet, omnino K legendum esse censeo. Quale enim quaeso epitheton *Spei* magis convenit, quam quod legimus ἀφαντων ἀκρα, *non adspectabilium* (dearum) *summa* vel *extrema.* Confirmat hanc lectionem Diogenis responsum (*ap. Stobaeum s.* 109. *f. p.* 579), qui interrogatus „τι των κατα τον βιον *ΑΚΡΟΤΑΤΟΝ*," dixit „*'ΕΛΠΙΣ.*" In bonis enim omnibus, quae a conspectu sunt remota, Spes eminet et „quibus reliqua desunt," Thales inquit, „haec adest, quam κοινοτατον esse

affirmat" (*Plutarch. sept. sap. p.* 153). Unde Hesiodus (*Oper.* 96) „Spem solam" canit „dolii sub labris mansisse neque cum ceteris diis foras evolasse" (*conf. Ovid. ex Pont.* 1, 6, 29). Videri autem eam non posse declarat dissertis verbis apostolus (*ad Rom.* 8, 24): ἐλπις βλεπομενη οὐκ ἐστιν ἐλπις." - - Qua eadem de causa, ni fallor, Spem ubique fere ampla veste, quam dextra paululum saltem allevat, tectam videmus. Dignam praeterea eam, quae monimentis celebraretur, et Cicero sensit (*de leg.* 2, 11) ita scribens: „quoniam exspectatione rerum bonarum erigitur animus, recte a Calatinó *Spes* consecrata est."



811. Meum gemmae exemplar ex Passerii libro (*tab.* 123) depromsi. In museo Florentino (*II. tab.* 23. *n.* 4) literae P caput inferiori

loco apertum est, ita ut hanc potius figuram Γ, exhibeat. Dubia igitur quum lectio sit, major etiam obscuritas accedat necesse est, ex ambiguae quoque interpretationis symbolis, quibus illae adscriptae sunt literae. Ac multo incertiores de vera literarum forma reddimur perlectis iis, quae viri docti ad hanc gemmam annotarunt. Passerius, qui ipse inscriptionem nostram cum P exhibuit, nihilominus (*p.* 160) ΥΓΙΑ legit, additque „vocem nihili esse, vel nihil cum typo commune habere.“ Winckelmannus (*in catal. p.* 226) ΥΙΓΑ idem verbum perperam lectum explicare non potuit, imaginemque ad Plinii (29, 3, 12) anguinum (*p.* 225) retulit. Christius (*Lit. u. Kunst. p.* 285) denique intelligi vult VITA.

812. Quodsi in Passeriano exemplari, quod dedimus, literarum formae accurate delineatae et legendae υρια essent, neminem arbitramur fore, qui eas sine ulla dubitatione interpretetur. Etsi enim Svidas Υρίη ὄνομα πόλεως explicat, et Hesychius in Boeotia eam sitam esse dicit, immo duae hujus nominis sunt civitates (*Stephan. de urb.* 682), altera in Apulia (*Eckhel. I.* 141. *Cellar. I.* 884. 902), altera in Messapia (*Beger. I.* 320. *Ital. illustr. p.* 1314); urbis tamen nomen in gemma res sane rara esset, quarum solum Antiochiae (§. 293 *f.*) occurrit mihi. Neque Υρια, quod nomen Phavorinus „*locum prope aulam*“ interpretatur, huc pertinere videtur, quum symbola in gemma expressa ad eum referri nequeant. Quibus si serpentes soli continerentur, nomen quidem Aegyptiacum, quod Horapollo prodit, in promtu esset Ουραιον

(*Rossi etym.* 150. *Jabl. opusc.* 1. 191) plurali hic numero inflexum *Ουρaια*, *Υρια*: Illarum vocalium enim permutationem frequentissimam esse, nemo ignorat. Sed reliqua refragantur. Quod idem dicendum, si ad *οὔριον ᾠὸν* forte respexeris, ut taceam pluralem numerum, qui in gemma legeretur, huic interpretationi adversari. Sed praestat ante omnia imagines considerare singulas.

813. Ac primum quidem, quod summo loco positum videmus, ovum principium generationis (*Plutarch. symp.* 2, 3. *p.* 636) et mundi symbolum ex antiquissimorum populorum consensu fuisse nemo ignorat. Sed omnia illa, quae de ficto a Phoenicibus (*Euseb.* 2, 7, 10. *p.* 33), Aegyptiis (*Id.* 3, 4, 11. *p.* 115), Syris (*Hygin. fab.* 197. *Salmas. ad Solin. p.* 575), Persis (*Plutarch. de Is. p.* 370), quin Indis etiam (*Creuzer. symb. I. p.* 588) ovo legimus, gemmae nostrae parum afferunt lucem, siquidem in ea conjuncti cum ovo serpentes sunt. Et quamvis Orphicos audire volueris, qui ovum illud a serpente genitum esse somniarunt (*Jablonsk. panth. I.* 42. *Creuz. III.* 303); hic tamen non unus, sed bini adsunt serpentes, qui ovum quidem vel offerunt, vel appetunt, simili prorsus modo, quo eadem res in lapide quodam sepulcrali (*apud Fabrett. p.* 282) repraesentatur. Quos serpentes quamvis Montfauconius (*II. p.* 270) *bonum principium*, ut vocant, et *malum*, qui de ovo *decertent*, interpretari voluerit; haec tamen explanatio stare non poterit observato hoc ex Herculano eruto monimento (*Ant. Herc. IV. tab.* 13):



Namque non unum, sed duo ova in altari posita videmus, quorum suum serpens uterque appetit. Equidem hoc solum pro certo habeo, serpentibus genios denotari (§. 487. 489. 595). Ita enim Servius (*ad Aen.* 5, 85): Nullus locus sine *genio*, qui per *anguem* plerumque ostenditur." Quocum adeo concinunt omnis generis monimenta, ut in lapidis titulo (*Boissard. IV. tab.* 137. *et Montfauc. I. tab.* 201) serpenti et cornucopiae sub palma arbore positis legamus adscriptum GENIO AVGG. in alio serpenti propter nymphas adumbrato NVMINI NYMPHARVM AQVAR. (*Spon. recherch. p.* 479. *Montf. I. tab.* 220): in numo item serpenti additum ΝΕΟΑΓΑΘ. ΔΑΙΜ. (*Zoega num. Aeg. p.* 201. *n.* 352). Quid? quod marmor (*in Montf. mus. Ital. p.* 103) exstat, in quo serpenti verba etiam GENIO THEATRI sunt adscripta. Nemini praeterea ignotum esse arbitramur, a veteribus *duos angues* ibi fuisse pictos ubi locum *sacrum* esse denotare voluerint (§. 595). Quod magis etiam altari illo in Herculanensi monimento comprobatur; quo fit, ut colligere liceat ovis in altari collocatis sacrificatum *geniis* esse, ejusmodi fortasse *agathodaemonibus* Aegyptiacis, quorum Heliogabali temporibus historiae Augustae scriptores mentionem faciunt (§. 693 *f*).

Virga denique erecta ex duabus composita esse videtur, ex baculo nimirum Aesculapii propter anguem quo circumplicata est; et ex caduceo Mercurii propter alas affixas. Mercurii autem virgam ab Apolline profectam Homerus (*in hymno* 2, 526) *praeclaram felicitatis et divitiarum virgam* vocat. Qua cum conjungi superstitio potest de ovo (in somnis viso) *thesaurum* significante (*Cic. divin.* 2, 65 *et* 69). Restant in imagine Luna cum stellis, quibus aeternitatem significari volunt (§. 700). 814.


Jam vero omnia colligentes et perpendentes conjicimus gemmam dono datam alicui fuisse, quem semper *bene valentem et felicem* esse optaret donator. Magis etiam confirmatur haec nostra sententia aliis gemmis, in quibus eadem signa atque in nostra cum cornu copiae conjunguntur (*Aleand. tab. Heliac. p.* 54); et maxime huc pertinet numus, in quo virgae Mercurii cum duobus copiae cornibus conjunctae adscriptum est TEMP. FELIC. (*Vaillant. num. aer. II.* 240. *Graev. thes. ant. Rom. V.* 728. *Agostin. dial.* 2. *p.* 61. *n.* 7). 815.

Confidenter igitur legimus ΥΓΙΑ, quam vocem nihili esse absurda Passerii est observatio, quasi nemo scripserit ὑγια pro ὑγεια (*conf. Hesych. et Grut.* 68, 3). Tria autem sunt, quae in gemma vocem legendam illam esse mihi persvadeant: primum quod Passerius artificis sui errorem non animadvertens ipse legit ὑγια, minime υρια. Deinde quod ejusdem gemmae melius exemplum in museo exstat Florentino, in quo dubia ista litera Γ, quia 816.

infra aperta est, magis ad vulgarem literae *Gamma* formam accedit, quam illa Passeriana P. Denique quod in Phoeniciis (§. 673) etiam litera Gimmel istam formam Γ interdum prae se fert. Si quis vero quaesiverit, quo tandem modo ovi imago cum voce inscripta conciliari possit; Martianum legat Capellam, qui postquam finxerat aegris remedium ovum esse et a Philologia virgine id exhaustum, ita (*L.* 2. *p.* 36) pergit:

Continuoque novo solidantur membra vigore.

Taceo quae a Plinio et medicis de hoc ex ovis remedio sunt tradita. Poterit denique die natali oblata gemma esse, qua animantium sacrificia vetita fuisse ex hisce Censorini (*c.* 2) verbis colligitur: „id moris institutique majores nostri tenuerunt, ut, cum die natali munus annale *genio* solverent, manum *a caede ac sanguine* abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent." Quibus omnibus et hoc accedit, quod serpentibus, quippe Aesculapio et Hygeae sacris, *salus* denotatur, unde in nummis inscriptis *Saluti Augustorum* serpens vel ex ara prosilit (*Beger. thesaur. I.* 67. 69. *Mus. Flor. IV.* 22. *Biae. tab.* 46. *n.* 4. 48, 13 *et* 50, 10), vel alio additur modo (*Biae.* 55, 11. *Agostin. dial.* 2. *p.* 73. *Choul. rel. Rom. p.* 96. 97. *Bose de dea Sal. ap. Woltereck. p.* 23). Ex hisce igitur quae magis tibi arrident elige lector.



817. Observatu digna haec gemma (*ap. Passer. tab.* 193 *et* 194) permultarum imaginum causa est, quibus, quamvis obscura verba sint adscripta, mea tamen de Solis symbolis in monstro illo latentibus opinio (§. 709) egregie confirmatur, tum propter Lunam et stellam, quae Solem comitantur, in antica additas, tum propter ipsius in postica Solis imaginem. Cujus flagellum duplici loro instructum notandum, siquidem simile est illis, quibus aurigas in ludis Circensibus usos esse vetus marmorea tabula (*ap. Graev. IX. ad p.* 183) docet. Stat vero Sol in Leone, quo major ejus vis denotetur (§. 606. 647. *Mem. de l'acad.* 14. *p.* 356; *et* 41. *ad p.* 522 *tab. fig.* 2), qui Leo unguibus crocodilum tenere videtur. Addi-

tae quinque sunt stellae, quinarium (§. 281. 287) planetarum numerum denotantes. Adstans Harpocrates sive Horus cornu copiae (§. 598. 666) fertilitatem significat. Aelianus enim (*nat. an.* 11, 10) „ab Aegyptiis," scribit „Horum haberi praecipuum frugum proventus et totius anni fertilitatis auctorem." Quid autem crocodilo denotatum sit, ambigitur. Zoega quidem (*num. Aeg. p.* 11) Eckhelius (*IV.* 37) et Viscontius (*mus. Pio-Clem. III.* 236), quum Nilo fluvio interdum additum illud animal viderent, crocodilo Nilum significari docuerunt. Sed quamvis magna sane penes viros illos sit auctoritas; mihi tamen argumenta sunt, quibus bene consideratis huic de Nili symbolo opinioni adstipulari nequeam. Varias fluviorum imagines pro uniuscujusque natura et indole a veteribus fictas esse Aelianus (*var. hist.* 2, 33) probe vidit: ex quo autem tempore fluvii per imaginines senum, aquam ex hydria (*Stat. Theb.* 6, 275) effundentium, designabantur, addenda erat nota, qua quisque fluvius a ceteris discerneretur. Jam vero quemadmodum senis imagini Tiberim denotanti addita *lupa* (*Agostin. dial.* 3. *p.* 104. *Montf. III. tab.* 108) profecto non fluvium sed Romam designat ipsam (*Agostin. p.* 93. *Spanh. I.* 363. *Caus. I.* 50. *Mus. Corton.* 55. 56. *Mus. Flor. II. tab.* 19 *et* 54. *Chifflet.* 107. *Capell.* 217. *Gorl. ann.* 1. *Passer. lucern. I.* 29. *Montf. diar.* 185. *antiqu. I. tab.* 292. 293. *V. tab.* 60. *Augustin. gemm. I.* 181. *al.*); ita et senis symbolo fluvium, et *crodili* imagine Aegyptum, iisdemque conjunctis fluvium Aegypti, qui est Nilus, significari persva-

sum habeo. Denotari autem Aegyptum crocodilo numi docent, ex quibus hunc Augusti argenteum (*Agostin. dial.* 3. *p.* 99. *Mus. Moscardi p.* 337. *Biae. tab.* 2. *n.* 22. *tab.* 12. *n.* 16)



lectorum oculis subjicio. Neque semper eandem hujus fluvii notam fuisse (§. 598) gemma (§. 596) testatur, in qua senex sistrum tenens, quamvis crocodilus minime sit additus, nihilominus Nilum designat. Unde etiam Lucianus (*rhetor.* 6. *Tom.* 7. *p.* 225), quem frustra in suas partes vocat Eckhelius, non ab omnibus, crocodilum imagini Nili addi, sed *a multis* scribit. Atque ejusmodi symbolis regiones vel terras notandi mos vel consvetudo latius increbruit. Pariter enim, atque AEGYPTUM crocodilo et ROMAM lupa, videmus etiam designatas AFRICAM elephanto (*Agostin. dial.* 2. *p.* 89. 90. *Cuper. in Salengr. thes. III.* 120 *sequ. Spanh. II.* 80. 179. *Mus. Flor. II.* 19. *Montf. III. tab.* 106. *Causei mus. Rom. I.* 14), ARABIAM camelo (*Spanh. I.* 185. 186. *Salengr. III.* 128. *Agostin. dial.* 3. *p.* 101) ASIAM serpente (*Agost.* 97. *Graev. XI.* 1366. *Wild. gemm.* 168. *Montf. III.* 106), BYZANTIUM piscibus (*Spanh. I.* 230) MAURETANIAM equis (*Agostin. p.* 91) cet.

818. De multorum symbolorum ambiguitate quae supra (§. 527. 531) disserui iis haec quoque gemma documento esse potest: cujus imagines si solas vidissem, prona erat haec earum explicatio: „a tempore, quo *Sol* in *Leonem* ingreditur, *Aegypti* (crocodili) *fertilitas* (cornucopiae) initium capit. Sed nihil in verbis adscriptis inest, quo ista defendi possit explanatio. Quapropter nisi statueris a recentiori manu literas esse additas (§. 549), id quod mihi ex dispersis verbis omnino verisimile fit, alia prorsus ratione symbola illa interpretanda erunt. Verba autem addita ipsa adeo sunt obscura, ut vix conjecturae locus sit.

819. Quodsi quae in adversa gemmae facie leguntur ΛΕΟΝΤΑ ΙΑΩ ΙΖΑ Graeca sunt, aliter vertere ea nequeo quam *Leonem* (ego) *Jao in proprio loco collocavi:* ut astrologica haec sit inscriptio, illi similis, quam supra (§. 787) recensui. Quoniam autem Graeca mixta interdum cum Hebraeis animadvertimus; *ιζα* etiam ישע vel Chaldaicum יסא esse poterit, et primum nomen viri proprium, ut vertendum „*Leonta* (virum) *Jehova serva,*" pariter atque in alia gemma (§. 220) legimus ΛΕΟΝΤΑ ΙΗCOV CΩCON. Non magis aperta in altera gemmae facie sunt ΙΑΗ ΚΑΚΩ, licet *κακω* omnino ad Graecam nos ableget linguam. Prima autem vox quum *mederis* sonet; aut *κακω* ex Latinismo (§. 526) vel sermonis vitio, quod in ejusmodi monimentis haud raro obvium est (§. 351. 358), pro *κακον* sumendum; aut vertendum erit *mederis per malum,* ut respondeat notissimo illi *κακον κακῳ ιασθαι* (*Herodot.*

3, 53. *Sophocl. in Ajace Mastigophor. aliique v. Wesseling. ad Herodot. et Erasm. in adag.* 1, 2. *p.* 52); aut denique ἰαηκακος nomen ad similitudinem ἀλεξικακου forsan fictum fuerit.

820. Eis autem, qui seriori tempore literas additas esse negaverint, imagines in postica prorsus alia ratione interpretandae erunt. Ac primum sicût Sol sive Apollo (nam Graeca vel Romana, minime Aegyptiaca, haec ejus est imago) in numis Graecis σωτηρ (*Spanh. I.* 416, *melius in ed. a.* 1671. *p.* 382. *Beger. I.* 477. *Montf.* 3. *tab.* 151), in Romanis *Salutaris* vel *Conservator* (*Cuper. Harp.* 45) appellatur; ita in veterum scriptis etiam ἀποτροπαιος (*Aristoph. Plut. v.* 359) sive ἀλεξικακος (*schol. ad Aristoph. v.* ἀναξ), et qui ante januas colebatur Θυραιος (*Macrob. Sat.* 1, 9. *Pausan.* 1, 3, 3. 8, 41, 5) audit. Sed magis etiam ad amuletum nostrum spectat aliud Apollinis cognomen ἰατρος, quod est apud Aristophanem (*in avib.* 584) et Hippocratem („ὀμνυμι Απολλωνα ἰητρον"); cujus in epistolis quoque hunc deum et divinationis et medicinae patrem fuisse traditur. Pariter et Aegyptii pro Apollinis utebantur nomine Hori, qui medendi et vaticinandi artem ab Iside matre edoctus oraculis et medicationibus bene de mortalium genere meritus esset (*Herodot.* 2, 144. *Diodor.* 1, 25. *Plutarch. de Isid. p.* 375 *f.*). Sufficiunt haec, ut intelligatur qua ratione prior inscriptionis pars ad imaginem in gemma insculptam respicere possit. Quae restat posterior vox κακος ea ad crocodili imaginem referenda erit. Licet enim permultae sint hujus animalis in hieroglyphicis signifi-

cationes, siquidem eo et impudentiam, et Solem, et tempus, velut Solis partum, denotari volunt; Solemque etiam crocodilo quasi navigio insistentem pingi constet (*Clem. Alex. str.* 5. *p.* 566): hoc tamen loco, ubi leo inter Solem et crocodilum est insertus, qui pariter atque Hadrianus in numo (*Spanh. I.* 176) Aegypto subacta, et Anubis Osirisque (§. 767), crocodilum calcat, malim Diodorum interpretem sequi, a quo (3, 4) crocodilus omnis malitiae index ex Aegyptiorum sententia dicitur. Unde et Typhonem crocodili imagine designatum fuisse (*Plutarch. p.* 371) Jablonskius (*panth.* 3, 67) et Creuzerus (*I.* 263. 319. 323) docuerunt. Unde serpens et crocodilus, quoties in gemmis (*Rasp. n.* 241. 242) conjunguntur, illo bonus genius, hoc malus repraesentari videtur; id quod neque Heliodorum (*Aeth. L.* 3. *v. Graev. thesaur. V. p.* 445) fugit.

821. Illius denique in utraque gemmae facie inserti quadrati, cruce obliqua signati, rationem perspicere nequidquam tentavi. In libris quidem scriptis (*Cangii gl. Gr. in app. not. p.* 20) pyrites, sive lapis ignem edens, eo denotatur: sed monimentorum, in quibus eadem figura deprehenditur, varietas prohibet, quo minus in explicatione illa acquiescamus. Admodum enim peccant antiquarum rerum causas investigaturi in praecipitatis conatibus suis figuram insvetam et obscuram ex uno saltem monimento illico declarandi. Quorum si plura ab aliis deinde reperta fuerint, in quae prior minime quadret explanatio, fieri non potest, quin omnes

illorum labores frustrentur. Ejusmodi igitur quadratum cruce signatum multoties comparet in sellis vel thronis (§. 641. *Beger. thesaur. I.* 80), qui pluribus interdum crucibus ornati sunt (*Mem. de l'acad.* 26. *ad p.* 475). Est etiam navi additum (*Murat.* 1732, 1). Conspicitur in vitris (*Buonarr. tab.* 14) et in vasibus Etruscis (*Montf. suppl. III. tab.* 30. *melius in Gorii mus. Etr. I. tab.* 162. 164. *Caylus II. tab.* 22), in quibus, quum mulier quadratam illam figuram una tantum manu ferat, cista esse videtur vel arcula, quae mystica quid habuerit argumenti equidem prodere nequeo.



822. Gemmae hujus ex imagine cerae impressa verius hic damus ectypon, quam quod a Capello (146) et Montfauconio (*II. tab.* 173)

editum est. Monimentum ipsum adhuc in museo Cassellano asservatur, et aquilam repraesentat unguibus serpentem prementem, simili fere ratione qua Virgilius (*Aen.* 11, 752), Homerum (*Il.* 12, 201) imitatus, *draconem*, canit,

Fert aquila implicuitque pedes, atque unguibus haesit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Adrectisque horret squamis et sibilat ore
Arduus insurgens – –

Verum non poetae solum (*Horat. L.* 4. *Od.* 4, 11. *Ovid. met.* 4, 713. *Cicer. divin.* 1, 47. *Claudian. bell. Gild.* 467. *Phile de animal. propr.* 1, 8. *p.* 11) inimicitias aquilas inter et serpentes memorant; sed rerum etiam naturalium scriptores (*Plin.* 10, 4. *f. p.* 549. *Plutarch. de invid. p.* 537. *Aelian. natura an.* 2, 26) earum faciunt mentionem. Quid? quod inter omina relatam esse aquilam advolantem et serpentem unguibus transfixum ferentem Timoleonis vitae scriptor (*Plutarch. p.* 248 *f.*) docet. Quare non miramur translatum illud ad artis opera argumentum frequenter esse obvium (*Boissard. II.* 84. *Montf. V. tab.* 96. *M. A. V. N. ant. expl.* 45. *Beger. I.* 428. *Torremuza in num. tab. n.* 28. *Dorvill. Sicula II. tab.* 3. *f. Goltzii Sicil. tab.* 35. *n.* 8. *Winckelm. catal. p.* 557. *n.* 171. *Mus. Flor. II.* 24. *Cayl. VI. tab.* 104. *Spanh. I.* 379). Atque ex iis etiam inimicitiis factum esse mihi persvadeo, ut aquila aenea serpentum morsus arceri superstitiosi crederent homines (§. 161).

823. De prima hujus symboli origine haud quidem constat: sed operae pretium erit in ejus ab antiquissimo tempore vestigia inquirere. Josepho quidem (*antiqu.* 12, 4, 10. *Oper. I.* 606) si fidem habeamus, Arius Lacedaemoniorum rex sigillo ad obsignandum usus est, in quo incisus ἀετος δρακοντος ἐπειλημμενος. In numis deinde Macedonicis Amyntae et Philippi regum eadem observatur imago (*Wilde sel. num. tab.* 1). Atque Alexandrum M. in funeribus Hephaestionis pyram quadrilateram erigendam, in eaque inter alia aquilas extensis alis et capitibus deorsum inclinatis, infra autem serpentes vultu ad aquilas converso effingendos curasse Diodorus (17, 115) tradit. Neque evanuisse postea hoc symbolum docet tabula ab Augusto in templo Caesaris patris posita, „cujus" ut Plinii verbis (35, 5, 10) utar, „admiratio fuit puberem filium seni partri similem esse - - supervolante *aquila draconem complexa.*"

824. Jam vero quid significare veteres hac imagine voluerint ex inscriptione gemmae nostrae forsan cognoscere licebit. Quam etsi Montfauconius (*II. p.* 376) legi posse negat; nihilominus Graecam, ac sic explicandam esse censemus:

KAKA	CBEVC
Κακα	*σβεοις*
Perniciosa	*utinam exstinguas.*

Literam enim Y saepe pro OI positam fuisse (§. 413. 429) constat. Et quamquam verbi forma σβεννυω vel σβεννυμι usitatior fuit;

ex tempore ejus futuro *σβεσω* tamen patet, fuisse olim et formam *σβεω*, cujus optativi secunda persona hic legitur. Quae in altera gemmae facie sunt incisa barbara utique esse videntur, literarumque ductus in hac minus sunt profundi, quam in illa; adeo, ut ab eodem auctore utramque inscriptionem profectam esse dubitare liceat. Verborum sensum minime assequor, ne linguam quidem divino, cujus ope sint explicanda. Vox *ἄχρι* Graeca quidem est, sed aeque Hebraea אכרי. Difficultatem auget quod in primi, secundi, et extremi versus fine mutila est inscriptio eademque in aliis gemmis (*Spon. recherch. p.* 98. *n.* 12. *Rasp. n.* 1485) magis etiam corrupta: quare hanc quidem in medio relinquere praestiterit. Sed ad illam in antica parte inscriptionem numum Julii Caesaris addimus, in quo simile esse videtur symbolum:



Nam Aeliano (*nat. an.* 6, 21), Plinio (8, 12) Solino (25) et Appulejo (*Flor.* 1, 6. *Op.* 2. *p.* 20) docentibus non minus inter elephantos et dracones, quam inter hos et aquilas inimicitiae observatae sunt. Ac melius sane numo illi consulueris si nostrae inscriptionis ratione habita eo significari statuas Caesarem perniciosa opprimentem, quam si ad veterum interpretum commentum ve-

lis confugere, quo elephantum Poenorum lingua *caesarem* appellatum esse docetur (*Spartian. in Vero c.* 2. *p.* 111. *Serv. ad Aen.* 1, 286. *Laur. Lyd. mense Jul.* 63. *p.* 256. *Constantin. Manass. p.* 37 *f.*). Hac enim interpretatione admissa nullae erunt serpentis partes in imagine ab elephanto calcati. Quae denique ab Agostino (*dial.* 2. *p.* 90) profertur explanatio „elephantos effodere e terra serpentes" ea vix approbari poterit, quippe quae ex sola Graecarum vocum ἐλέφας et ἔλαφος permutatione videatur nata esse. A cervis enim omni serpenti inimicis (*Phile* 56, 4. *p.* 201) illud fieri Plinius (8, 32) tradit; de elephantis autem non memini idem me legere. Alii ex victoria Caesaris Africana numum explicare maluerunt, quia serpentibus et elephantis Africa abundat (*secund. Manil.* 4, 665. 667). Sed quare feram alteram altera opprimat rationem non attulerunt. Magis etiam refragantur alii numi, qui minime Caesaris sunt, ut Augusti (*Eckhel. VI.* 5) et Trajani (*Salengr. nov. thesaur. III.* 163), eodem symbolo ornati; quin barbari etiam Hispaniae numi eo insigniti (*Velazquez tab.* 15. *n.* 3. *Nasarra polygr. Esp. proleg. p. V. vers. Salengr.* 166). Quae quum ita sint, mihi quidem magis arridet ea hujus imaginis interpretatio, qua generalem quandam sententiam illa contineri existimetur.



825. In permultis libris (*Pignor. tab.* 4. *n.* 2. *Kircheri Oedip. II.* 2. *p.* 462. *Ejusd. arithmol. p.* 199. *Chifflet. n.* 40. *Montfauc. tab.* 158. *Gorl.* 378. 379. *Ebermayer.* 449. *et adversa tantum pars ap. Cuper. in Harp. p.* 9) hujus gemmae ectypon exstat. Adversa ejus facies Harpocratem sive Horum repraesentat loto insidentem, quae nasci e leone videtur, infra quem tridentis species comparet. Luna ab Hori tergo conspicitur, et ante eum stella, in capite Leonis posita, quam caniculam ut esse credam ex rationibus jam (§. 598. 604. 640) allatis adducor. Nec dubito, quin transitus Solis per Leonem (§. 606. 647. 817), quod inundatae Aegypti est tempus, hac imagine repraesentetur. Pingebant enim Zodiaci signa quasi portarent Solem: unde Macrobius (*in somn. Sc.* 1, 18) *Taurum gestare Solem* scribit. Tridentis autem species vel ad Nilum referenda est (§. 608), vel ad triplicem Solis statum (§. 771). Horum semper fere cum loto conjunctum, quin etiam totum loto

circumdatum videmus in hac gemma, quam Caylus (*III. tab.* 7. *n.* 6) nobiscum communicavit:



Planta autem haec qualis fuerit Creuzerus (*I.* 508) docuit, cui omnino addendi sunt Alpinus (*in hist. nat. Aeg. II.* 49 *et* 73 *sequ.*) Schmidtius (*de plant. Aeg. solar. in Scr. soc. Lat. Tübing.* 1770. *II. p.* 3) et Parisiensis academiae socii (*histoir.* 3. *p.* 170 *sequ.*). Quaedam de ea Jablonskius (*opusc. I.* 127) attulerat, neglecto tamen nomine *Biar*, quo lotus ab indigenis appellatur (*Alpin.* 76. 82). Solis quidem effigiem (*Alpin. p.* 78) repraesentari sibi persvaserunt: sed nunc etiam, ut ferunt, planta Sole occidente sub 826.

aqua occultatur, flosque clauditur; quae eadem Sole oriente rursus aperitur et super aquam assurgit (*Plin. et Theophr. ab Alpino p.* 50. *laudati*). Quum igitur plura haberet, quae ad Solem referrentur, ideoque Soli sacra crederetur (*Creuzer. I.* 284); haud mirum videri potest, Horum in gemmis reperiri loto insidentem. Horus enim ex Graecorum opinione Apollo, sive Sol ipse erat (*Herodot.* 2. 144 *et* 156. *Diodor.* 1, 25 *f. Porphyr. ap. Euseb.* 5, 7, 10. *p.* 198. *Macrob. Saturn.* 1, 21. *Cuperi Harpocr. p.* 5, 6, 20, 31, 41).

827. Quum vero Solis per annuum cursum non eaedem sint vires (§. 506. 507. 771. 772); Creüzerus noster (*I.* 276. 293. *II.* 157) docuit quidem, Horo repraesentari Solem illum *igneum maximeque potentem*: sed caute haec viri doctissimi sententia accipienda est, quippe quae nisi discrimine habito stare non possit. Quamvis enim absit, ut de mythis disputare velim, in quibus explicandis jam veteres videam dubios atque incertos, et adeo confusos ut miscuisse videantur quadrata rotundis: Horus tamen loto insidens plerumque puer pingitur, quin etiam in Isidis gremio infans, admodum parvus et lactens (§. 545). Atque haec quidem antiquissima de Horo in Aegypto ipsa reperta monimenta produnt. Scriptores vero pro suo quisque ingenio et aetate diversas etiam afferunt opiniones. Macrobius, quem laudat Creuzerus (1. 276), scriptor quidem est seculi quarti et antiquissimis placitis aetate multo posterior, nec tamen mihi contrarius, id quod haec ipsius

(1, 18) verba docent: „Hae autem aetatum diversitates ad *Solem* referuntur, *ut parvulus videatur* hiemali solstitio, qualem Aegyptii proferunt ex adyto die certa; quod tunc brevissimo die veluti *parvus et infans* videatur: exinde autem . . adipiscitur vires“ cet. Quo quidem scriptore antiquiorem, Plutarchum, si consulere placuerit, haec eum docere videbis (*de Iside p.* 355): „neque putant Aegyptii *Solem infantem recens natum e loto* exstitisse: sed *sic ortum Solis pingunt:*“ idemque alio loco (*de Pyth. orac. p.* 400) „ab Aegyptiis *orientem Solem* exprimi“ testatur „picto *puerulo, qui loto insideat.*“ Minime igitur omnibus Hori imaginibus maximam Solis vim denotari statuere licet. Sed ut hic sensus exeat nota aliqua accedat necesse est, veluti Leonis, Zodiaci signi (§. 606. 825), vel ut leonino capite Horus ipse praeditus sit (§. 716).

828. Horum autem et Harpocratem et Solem pro uno eodemque numine habitos fuisse (§. 28. 524. 526. 566. 803. 838) praeter scriptores modo (§. 826) laudatos declarare etiam videtur amuletum a Becano (*hierogl. L.* 4. *p.* 49) editum et a Cupero (*p.* 156) repetitum, quod auro circumdatum esse Eckhelius (*choix de pierr. grav. p.* 60) vidit. Illi enim inscripta sunt verba: *Μεγας Ωρος Απολλων Αρποχρατ ευϊλατος τω Φορουντι.* Latine: *Magnus Horus Apollo Harpocrates* (sit s. sis) *propitius* (hoc) *gestanti.* Vox enim *ευϊλατος* singulari numero prolata prohibere videtur, quo minus tres illos *συνναους και συμβωμους* intelligamus, sed unum eundemque diversis nominibus appellatum illa declarat. In aliis monimentis (*Spon. re-*

cherch. p. 130. *et Montfaucon. II. tab.* 124. *Antiqu. de Lyon* 1701. 12) idem deus capite radiato comparet, quod itidem ad Solem spectat. Quidam etiam lapis dedicatus est BONO DEO PVERO PHOSPHORO (*Gruter.* 88, 13. *Baudelot. I.* 277), pro quo Seivertus (*inscr. Rom. in Dacia p.* 85) perperam scripsit „Uni deo *vero* phosporo." Hunc quidem Baudelotius pro Lare habet: sed videant alii, num deus iste *puer lucem ferens* pro Horo potius habendus sit.

829. Neo-Platonici doctrinam illam uberius explanare conati sunt. Quos inter Jamblichus (7, 2. *p.* 150. 151) respondens ad ea, quae (§. 502) ex Porphyrii epistola retuli, „lutum," inquit, „intellige omnia corporea et materialia. - - Sed deus totius naturae et generationis potestatumque elementarium omnium causa his omnibus superior est, et universa in se complectitur (est enim his praestantior, *immaterialis, incorporeus, super* naturam, ingenitus, indivisus, totus a se ipso et in se ipso absconditus) et quoniam in se *complectitur omnia,* seque ipse *cum omnibus mundi partibus communicat* (*conf.* §. 487) ex iis eluxit: quoniam vero omnibus supereminet, et solus super alia expanditur; per hoc ostenditur, quod sit separatus, sublimis et per se longe explicatus super mundanas potestates et elementa. Confirmat haec etiam sequens symbolum; quod enim *super lotum* deus sedeat (*conf. figur.* §. 825), hoc obscure significat ejus eminentiam et potentiam, quae *ne tangat quidem lutum:* etiam praesidentiam ejus intellectualem deno-

tat, et plane empyriam: omnia enim in loto circularia (*conf. Alpin.* 77. 79. 80) sunt, tum folia, tum fructus, cui sola mentis operatio (ut quae circulariter moveatur) respondet, per eadem videlicet et eodem pacto, ordine, ratione, se semper gerens. Deus autem ipse per se solus sedet expansus super hoc imperium et operationem, venerabilis, sanctus, in se ipso penitus quiescens, quod quidem *sedendo* significatur." - - Quae quantumvis longe nobis videantur repetita, sufficiunt tamen, ut ex eis opiniones cognoscantur, quae temporibus illis, quibus amuletorum usus maximus vigebat, animos hominum occupaverant. Manifesto quoque ex verbis illis apparet, Jamblichum tritam Harpocratis sive Hori, loto insidentis, imaginem ante oculos habuisse.

Sed inscriptiones in utraque gemmae facie quid significent nunc videamus. Alteram Kircherus (*Oedip. II.* 2. 463. *Arithmolog. p.* 199), cui temere accedit Reuschius (*ad Ebermayeri cap. deor. p.* 223), sic interpretatur: *Principium Jao omnis foecunditatis* -- neque ullam hujus versionis rationem subjecit, nec, si quid video, subjicere potuit. Haud meliora sunt quae Passerius (*II.* 261. *n.* 69) ad hanc inscriptionem adnotat. „Αρχεο" enim ipsi est „ἀρκαιος (l. αρχαιος), *primitivus*" et μερμεννω deducit ab ἑρμηνευς, *interpres*. At vero missis his, quum αρχε ο (pro ὦ) Ιαω, *dominare* o *Jao*, unusquisque intellecturus sit, explicatu difficilius vocabulum μερμεννω aggrediamur. Cujus literas qui attentius in gemma aspexerit videbit a fine abesse unam. Si enim Ω ultimam 830.

esse artifex voluisset, in medio eam collocasset. Jam vero in locum vacuum restituenda videtur N, ut exeat *μερμεννων*, pro *μερμνων*, quod genus accipitris esse Aelianus (*nat. an.* 12, 4 *f.*) docet. Quamvis enim Schneiderus, Aeliani interpres, (*p.* 376) „nomen *μερμνων* se non intelligere" fassus sit; Hesychius tamen et Phavorinus vocem *μερμνης* interpretantur *τριορχος*, et Plinius (10, 8) „*Triorchem* principatum in auguriis habere" docet. Unde facile eo adducor, ut aves hoc loco intelligam, ex quibus omen caperent; quas, ut in bonam partem dirigere velit, Jao in amuleto implorari videtur. Namque credebant haud fortuitum esse accipitrum volatum. Cujus rei testis est Ammianus Marcellinus (*L.* 21. *p.* 193) scribens: „Auguria et auspicia non volucrum arbitrio futura nescientium colliguntur (nec enim hoc vel insipiens quisquam diceret) *sed volatus avium dirigit deus.*" Ne quis vero offendat in geminata litera N, monemus, hujus literae geminationem haud insolitam esse (*Welcker syll. epigr. Gr. praef. p.* 39), praesertim in iis, quae dialectum Aegyptiacam produnt (*Sturz.* 122). Quam quidem meam interpretationem alii si rejicere et loco *μερμνων* intelligere maluerint *μορμορων* (*Hesych. h. v. Spanh. ad Callim. p.* 174. 175); per me quidem licebit; sed videant, ne majorem etiam vim literis scriptis intulisse jure accusentur.

831. Omnino explicatu difficiliora sunt verba inscripta in adversa gemmae facie. Audiantur igitur qui ante nos eis interpretandis operam dedere. Kircherus quidem verba illa ΑΒΡΑϹΑΞ ϹΙϹΙ-

PIM sic vertit: *Abrasax omnia ciens;* et magis etiam ridicule addit: „nota hic CICIPIM retrogrado ordine lectum MIPICIC idem esse ac *matrem (?) Isidem.*" Assensum ei praebet Chiffletius, Kircherum laudans quasi *doctissimum interpretem*, licet qua ratione sententia illa ex verbis inscriptis elici posset, non magis intellexerit, quam Kircherus ipse, et quicunque hujus interpretationi accesserit. Ista autem si qua absurdior excogitari potuit, a Passerio eam accepimus, qui (*II.* 252. *n.* 14) CICIPIM legit ΣΙΓΥΝΕΣ, vertitque *jaculum*, ut sententia, sit: *Abrasax jaculo defende!* Jam vero litera M in fine inscriptionis omnem interpretationem a Graecis verbis petitam respuit (§. 564). Ad alias igitur linguas confugiendum esse patet. Ac profecto in Hebraeam incidissem et ציץ ערים legissem, quod *„splendor potentium, sphaeras coelestas moventium"* (*Castell.* 2707) significet, nisi de ipsa lingua, cujus ope explicari verba debeant, dubitans, Aegyptiacam consuluissem, qua eadem verba sic distincta ϭICI PEM *exalta indigenam* significarent. Propria enim est secundae dialecto mutatio literae I in E. Quam quidem interpretationem si quis praetulerit, ambiguum tamen vocis *indigena* sensum esse videbit, quippe qua et homo Aegyptius, et Nilus fluvius, qui utique Aegypto peculiariter tribuitur, intelligi poterit. Sed prior sensus mihi quidem magis arrideret, quia in Judaeorum scriptis (§. 751) similis fere sententia *„Exaltat populum suum"* legitur.



832. Sol Priapus sive frugifer (§. 582. 606) in hac gemma (*ap. Pignor. tab.* 3. *n.* 1. *Kircher. Oedip. II.* 2. *p.* 464. *Ejusd. arithmolog. p.* 200. *Gorl. n.* 351. *Chifflet. n.* 26. *Montfauc. tab.* 163) repraesentari videtur et baculis forsan diversus ejus status (§. 772). De serpente in gyrum coacto supra (§. 701. 702) disseruimus, nec dubitamus eo aequabilem ac semper redeuntem Solis cursum denotari. Difficilius inscriptionem explicueris. Primus Kircherus, qui male ΜΝΗΣΤΗΑ legerat, verba interpretatus est: *Recordare Jao.* Qua in versione acquievit Chiffletius (*p.* 74). Montfauconius ne attigit quidem inscriptionem. Passerius (*II.* 259. *n.* 58) omnes literas pro siglis habuit. Kircherus deinde sese corrigens (*in arithm.* 200) legere maluit ΜΝΗΞΙΗΑ, ut *angelus* hic esset *ubertatis.* Equidem frequentissimae memor permutationis literarum H et EI, et haud ignarus, praesertim in Aegypto H positum esse ubi diphthongus EI scribi debebat (§. 394. *Sturz. p.* 120 *f.*), intelligo μνη-στεια, quod recentiores quidem *uxoris petitionem* vertunt; Hesy-

chius autem, cui in nostris monimentis explicandis semper fere majorem quam illis fidem habemus, *donum nuptiale:* eo enim *Jao* ipse hic offerri videtur, quippe quo nomine Sol appellaretur (§. 463), qui *Priapi* specie conveniens sponsae donum forsan haberetur.



833. Reperta haec gemma est in regione Almeidae atque edita in libro apud nos rarissimo (*Bibliotheca universal de la polygraphia Española compuesta por Don Christoval Rodriguez y que de orden de su Magestad publica D. Blas Antonio Nasarre y Ferriz su bibliothecdrio mayor. Inpressa en Madr.* 1738 *fol. proleg. fol. XI*), quippe quem ne in Gottingensi quidem et Dresdensi neque in aliis copia librorum ditissimis bibliothecis, sed sola in Hafniensi repererim. Atque de gemmae hujus inscriptione consultus D. Juan Iriarte vernacula lingua (*p. XII. vers.*) haec scripsit: „Por la interpretacion, y sentido de las palabras esculpidas en esta Piedra, es facil reconocer, que este es un Amuleto, o Talisman anular, con que la superticion Gentilica, ò la *execrable Secta de los Gnosticos Basilidianos y Priscilianistas* pretendia preservarse de todo mal.“ Quod quidem in gnosticos odium pium et

justum esse quo magis ostenderet ille mira quidem ignorantia ad Sanchoniathonis interpretem Philonem confugit, qui (*ap. Euseb. praepar.* 1, 7, 10. *p.* 36) scripsit *γινεται τις Ελιουν, καλουμενος ὑψιστος;* quo porro in loco confundens gravi sane errore veteres Phoenices cum multo recentioribus gnosticis, *ὑψιστον* in gemma nostra nomen proprium esse contendit et mala fide articulum *τον,* qui illam vocem in inscriptione praecedit, omittens, legit *τον θεον σοι Ὑψιστον μη με αδικησῃς,* vertitque „Deum tibi Hypsistum, ne me offendas." Jam vero eruditorum neminem fugit, non potuisse *ὑψιστον* pro nomine proprio accipi, siquidem Sanchoniathonis nomina Phoenicia a Philone Graece reddita sunt. Istius igitur Interpretationis quam ipsius inscriptionis major est obscuritas: ac solam, quae morari aliquem posset, difficultatem iste ne attigit quidem. Quartus enim ille casus, *τον θεον,* verbum aliquod poscit, quod abest. Sed in Graecis inscriptionibus talis ellipsis saepe est obvia, et verbum supplendum vel *τιμῶ,* vel *ἀνακαλῶ,* vel aliud simile (*v. Bos. p.* 626–657. *Montf. suppl. I. p.* 190. *Osanni inscr. syll.* 3. *p.* 155). Nec solum in marmoribus; sed etiam in gemmis et numis inscriptiones obscurae essent, nisi illius ellipseos rationem haberemus. Ita in gemma quadam (*ap. Rasp. n.* 2056) nil nisi ΕΚΑΤΗΝ exaratum est: ita in numo (*Spanh. II. p.* 273) tantum ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ legitur. Sponte igitur in gemmae nostrae utraque facie lectio fluit: *Μεγα το ὀνομα, τον θεον, σοι τον ὑψιστον* (*ἀνακαλουμαι*) *μη με αδικησῃς.* Latine: *Nomen magnum*

(§. 726)! *Deum, qui tibi est altissimus, invoco, (sive imploro ut mihi sit tutelae, vel ut te impediat) ne me injuria afficias.* Neminem enim fore arbitror, qui in geminata Σ vocis ὑψισσιος offendat (*Corp. inscr. Gr. Berol. p.* 25. 42. *Welcker syll. epigr. Gr. praef. p.* 38), de qua voce, si tanti est, consulere licet Spanheimium (*ad Callim. p.* 42). Operae autem pretium erit cum illa inscriptione hanc in sepulcrali monimento (*Mus. Pio-Clem. III. p.* 129) exaratam comparare: *Προς θεων σοι μηδεν ἀκρωτηριασῃς ἐνθαδε;* quamvis minus ambigua haec sit sententia. Erunt enim qui in gemma nostra inscriptionem sic intelligere malint: *Μη με, τον θεον, σοι τον ὑψιστον, ἀδικησεις:* quo facto ex amuletorum numero gemma illa eximenda et assiduae piaeque recordationis causa eam caelatam esse statuendum erit. Sed illam, quam primam protuli, explanationem praefero, tum propter verborum seriem et ordinem, tum quia *ἀδικειν θεον* vix quisquam dixerit.



834\. Adversa hujus gemmae (*Spon. recherch. p.* 124. *n.* 27. *Ejusd. misc. erud. ant. p.* 16. *Montfauc. II. tab.* 125. *n.* 14) facies Harpocratem sive Horum exhibet, insidentem loto, quae desinit in

caput asininum, idque inversum. Amuleti loco fuisse hanc gemmam minime pro certo et explorato haberi potest. Licet enim inter Pythagorae praecepta hoc quoque exstet: „deorum imagines in annulis ne circumferas“ (*Cyrill. c. Julian. p.* 300); Plinius tamen de Romanis (2, 7, 5) scribit: „*Externis* famulantur sacris ac *digitis deos* gestant,“ quocum alius locus comparandus, ubi (33, 3) „jam vero“ inquit „etiam *Harpocratem* statuasque Aegyptiorum numinum in digitis viri quoque portare incipiunt“ (§. 806). Quo in more causa forsan quaerenda est, cur hodieque tot gemmae, imagine Harpocratis insignitae, exstent (*Gorl.* 355. 370. 374. 376. 378. 380. 399. 402. *Pignor. n.* 11. 12. 13. 14. *Kircher. Oedip. II.* 2. 462. 463. *Chifflet.* 25. 35. 37. 39. 40. 41. 56. 59. *Ebermayer.* 446–449. *Cuper.* 7. 9. 12. *Montfauc. tab.* 149. 158. 163. *Passer. I.* 28. *Rasp. tab.* 8. *n.* 351. 353. 355. *Creuzer. Symb. tab.* 1).

835. Quas quo jure Basilidianis Pignorius (*mens. I. p.* 17) tribuere potuerit equidem nequaquam perspicere valeo. Num fortasse Valentinianorum *δυναμις*, cujus tamen nomen *Ορος* apud Epiphanium (*haer.* 31. §. 11. *p.* 177. §. 15. *p.* 181. 182) scribitur, opinionem illam pepererit? Neque ad amuleta gemmas illas referendas esse, nisi hunc earum usum verba inscripta dilucide declarent, persvadere mihi possum; praesertim quum in numis etiam ejusdem dei imago compareat (*Zoega de num. Aeg.* 156 *et tab.* 13 *f. Eckhel. IV.* 33. *Agostin. dial. III. p.* 99). Quamvis haud negaverim aptam amuletis efficiendis hujus numinis imaginem fuisse,

quia Harpocrates sive Horus, quae nomina unum idemque numen significant (*Cuper.* 3-6. 25. 159. *Eckhel. IV.* 33. *Jablonsk. panth. I.* 212. *Misc. Lips. nov. X.* 30), non solum diis servatoribus adnumeratur (*Artemidor. ap. Cuper.* 158); sed a matre etiam hic edoctus medicis artibus de hominibus bene meritus fuisse dicitur (§. 820). Quodsi uno saltem verbo in gemma nostra inciso amuletum proderetur, lubenter imaginem *ὀνησιφόρον*, et *utilitatem*, et *asinum* ferentem (*v. Aelian. natura animal.* 11, 35) ex ambiguo vocis sensu dixerim.

836. Namque illo asini capite inverso quid significare voluerit auctor omnino dubitari potest. Judaeos quidem, Tacitus (*hist.* 5, 4. *Creuzeri comment. Herodot. I.* 272) ait, asinum, quo monstrante sitim depulissent, penetrali sacrasse (*conf. genes.* 36, 24); quocum Petronius (*fragm.* 35), modo vera sit lectio *cilli*, Apion (*ap. Joseph. II,* 475) et Plutarchus (*sympos.* 4, 5. *p.* 670) consentiunt, etsi haec traditio ab ambiguo vocis חמור sensu originem traxisse videtur. Sed Christianos etiam in marmoribus et vitris (*Buonarruoti p.* 71. 72) asini imaginem, addito interdum ipso animalis nomine, effinxisse novimus (§. 590) eosque a Romanis, quod caput asini sacrassent, accusatos esse (*ap. Minuc. Felic. IX,* 4) legimus; gnosticos similiter Epiphanius (*haeres.* 26, 10. *p.* 91) ait deum Sabaoth asini figura repraesentasse (§. 710), unde opinor factum, ut Tertulliano (*apolog. c.* 16. *Op. V.* 46) teste Christianorum deus Ὀνοκοίτης diceretur, siquidem Celsus etiam (*ap. Origen. L.* 6. *p.* 295)

septimum inter daemones, a Christianis cultos, asini faciem habere affirmat. Sed neque haec ad nostram gemmam illustrandam faciunt, neque aselli apud Columellam (*X. v.* 344. *p.* 765) caput ullam ei lucem affert. Namque inversum vel dejectum in gemma conspicitur; et Hori sive Harpocratis imago ad Aegyptiorum fabulas nos revocat.

837. Jam vero e Plutarcho (*de Isid. p.* 363) et Aeliano constat, quam odiosum illud animal Aegyptiis fuerit, quare apud Appulejum (*metam. L.* 11. *Op. I. Oudend. p.* 765) Isis Lucio, in asinum transmutato, praecipit: „pessimae *mihique detestabilis* jamdudum *belluae* istius corio te protinus exue.“ Causam hujus odii aperire videtur Aelianus (*N. A.* 10, 28) „Typhoni gratum fuisse“ scribens „hoc jumentum.“ Quae quum ita sint conjectura reperire mihi visus sum, inverso illo asini capite Typhonem repraesentari victum. Eodem enim modo in hac gemma (*Passer. II.* 26):



Herculis caput, et in alia caput Meleagri (*Montfauc. I. tab.* 98. *n.* 3), utrumque in apri caput desinens, utriusque de apro victoriam (*Diodor.* 4, 12. *Ovid. met.* 9, 192) significant. Typhonis vero potestatem evertisse Horum Herodotus (2, 144) olim ab Aegyptiis acceperat. Nec silentio nobis praetereundae sunt placentae, ab iisdem, festa quaedam celebrantibus, coqui solitae. In iis enim, referente Plutarcho (*de Isid.* 362 *f.*) insigne apparebat *asini vincti.* Quod reliquum est, quoniam eodem teste quidam erant qui traderent, Typhoni duos fuisse filios, *Hierosolimum* et *Judaeum;* nexus aliquis inter Typhonem et ea, quae de Judaeis, atque de Judaicô etiam illo asini cultu dicuntur, elucere videtur. Quibus omnibus adde, si placet, quae disseruerunt Schmidtius (*de sacerd. Aeg. p.* 283) et Creuzerus (*symb.* 1. 318. 321 *et* 322).

838. Inscriptionis prima verba *ἰσχυρον και ἀνικητον* plana esse videntur, neque Sponius (*p.* 129) dubitavit *fortem et invincibilem* ea vertere. Sed magis ambigua trium in medio exstantium literarum ΡΙΦ, quas ille silentio praetermisit, explanatio est. Priora enim si quarto casu posita esse statueris, verbum activum ea poscent, quod tres illae literae suppeditare non poterunt. Sin neutrius generis *το ἰσχυρον και ἀνικητον* esse dixeris, *ῥιφεν* quidem cum illis jungere et vertere poteris: *quod forte et insuperabile videbatur nunc projectum sive prostratum.* Neque esset adeo quod miraremur *insuperabilem* dici, qui nihilominus prosternatur. Ipse enim Osiris, etsi omnia ejus membra a Typhone dilaniata, *invi-*

ctus tamen audit (*Appulej. metam. in extr. Op. I. Oudend. p.* 816). Neque *asini* imago, quo minus et iste invictus dicatur, obstat, etiamsi de Homero, Ajacem cum *asino invicto* (*Il.* λ. 558) comparante, inscriptionis auctorem cogitasse, nemo sane arbitrabitur.

839. Sed vereor ne aliis displiceat ista interpretatio, quippe quae mihimet ipsi haud satisfaciat. Primum enim neutrum genus longius repetitum esse videtur. Deinde cognomen ἀνικητον magis in Horum quadrat, quam in Typhonem. Namque Horum Solem esse constat (§. 828): et quamvis pluribus quoque diis, quin imperatoribus etiam, epitheton του ἀνικητου tributum fuisse non ignoremus; potissimum tamen id Solis erat, unde in *Solis invicti* honorem ludi a Romanis celebrati (*Julian. imp. or.* 4. *Op. p.* 156). Quod idem ejus cognomen innumerae lapidum et numorum inscriptiones testantur (*Grut. p.* 32, 10 *et* 11. 41, 11. 1066, 9. *Murat. p.* 25 *sequ. p.* 1979, 9. *Donati suppl. I. p.* 18 *sequ. Reines.* 89. 91. 93. 97. 226. *Donius.* 10. *Gudius* 23. *Boissard. V.* 86. *Gorii inscr. Etrur. I.* 112. 283. *Beger. II.* 768. *Camdeni Britann.* 844. *Fleetwood p.* 19 *sequ. Montf. diar. Ital.* 356. *Spon. recherch.* 71-73. *Antiqu. de Lyon. p.* 95 *sequ. Seivert. inscr. Dac.* 41. 46. 48. *Cuper. Harp.* 115. *Eckhel doctr. num. VII.* 400. 467. *VIII.* 54. 75. 101. *Mus. Flor. IV.* 89. *Choul. relig. Rom.* 172. *Biaei num. imp. tab.* 62. *n.* 18. *Bandur. I.* 274. *Occo s. Mediobarb.* 463 *et passim*), ex quibus hic non nisi insignes duas exscribere placet, Graecam primam (*e Donio p.* 9. *n.* 32): „*Ηλιω Μιϑρα ΑΝΙΚΗΤΩ;*"

bilinguem alteram (*e Reinesio p.* 97): „*Soli* INVICTO *votum Ηλιω* ΑΝΙΚΗΤΩ *ευχην ανεθηκεν.*" Si igitur verba *ισχυρον και ανικητον* in gemma nostra ad Solem sive Horum referenda sunt; equidem illo ΡΙΦ, quod certe est breviatum, nomen proprium denotari conjicio, quorum plura ab hac syllaba incipiunt, veluti illud RIPHEI, e poetis (*Virg. Aen.* 2, 426. *Ovid. met.* 12, 352) cuilibet notum. *Ripheus* autem primo casu, et *fortem invictumque* quarto positum desiderant verbum supplendum, de quo supra (§. 833), et elocutio in gemma nostra eadem est, quae in numo quodam (*Eckhel. II. p.* 425): ΘΗCΕΑ. ΝΙΚΑΙΕΙC, *Theseum Nicaeenses* . . nimirum *venerantur* sive *colunt.*

ΚΟΙΝΑ ΕΝ ΒΑΙΩΝ.

840. Ellipses, quarum modo mentionem fecimus, licet satis frequentes in Graecis sint, saepenumero tamen linguae vel peritissimis adeo imposuerunt, ut intellectu facillima in gemmis haud intelligerent. Exemplo sint Winckelmannus et Gorius, qui gemmam descripsere, in qua vulpi in sella sedenti adscripta illa sunt verba. Prior enim scriptor (*catal. p.* 550. *n.* 66) nullam huic inscriptioni sensum subjectum esse contendit (*inscription qui n'a point de sens*): posterior autem (*inscr. Etrur. I.* 224. *n.* 47) imaginem paulo aliter describens, ita ut pro vulpe canem in sellam assurgentem

videre sibi visus sit, ad verba inscripta observat: „intelligerem, si esset κυων ἐνβαινων, canis inscendens.“ At profecto non opus est vim inferre literis, ut inscriptionis sensum assequamur, quum ipsa grammatica (*Matth.* §. 379) doceat tertium vocis alicujus casum omissum esse, si secundus praepositionem ἐν sequatur. Notissimae sunt locutiones ἐν ἀδου, ἐν Διος, ἐν Ἀλκιβιαδου, in quibus ellipsis est verborum δομῳ, τοπῳ, ναῳ, οἰκῳ, vel similium. Recte igitur dicitur *Κοινα εν* (*οἰκῳ*) *βαιων* (*conf. Hesych. v. βαιον ibique vir. doct.*) *Communia in domo pauperum* vel *indigentium.* Nec solum ad imaginem canis, vice domini in sella cubantis, respiciunt haec verba; sed ad proverbium etiam κοινα τα των φιλων, quod a Pythagora accepisse ejus discipuli dicuntur, veteresque varia ratione ampliarunt. In marmore quodam (*Bianchi marm. Cremon. tab.* 10) legimus: „*Τα των ΑΡΙΣΤΩΝ φιλων παντα κοινα;*“ et in gemma nostra inprimis ad τους βαιους refertur illud praeceptum, necessitate scilicet urgente. Breve denique gemmae spatium plura verba non admittebat, quo magis illa excusatur ellipsis.

ΙΑΙΔΑΘΙΛΙΙΝ
ΙΗΦΙΛΙΩΚΝ
ΗΝΙΩ

841. Utinam hujus inscriptionis tam expedita interpretatio esset, quam quarundam ex eis, quas modo absolvimus. Insculptae li-

terae illae sunt in gemma, quam Torremuza (*Cl.* 16. *n.* 6. *p. m.* 206) inscriptionibus suis Siciliensibus inseruit, nihilque illustrationis causa addidit, praeterquam repraesentari imagine, cui addita sit inscriptio, *araneam muscam persequentem.* Cujus inscriptionis quidem verba quamvis adeo sint barbara, ut vix divinari possit qualis in eis sententia lateat; conjectura tamen assecutus esse mihi videor gemmam vicem sustinuisse amuleti contra inimicorum *insidias* comparatum. Illa enim sic forsan distinguenda et exponenda erunt:

ΙΑΙ ΔΑΘΙΑΙ ΙΝ ΞΗΦΙΑΙΩ Κ ΝΗΝΙΩ

Ἰᾷ δακτυλι ἐν ξιφιδιου και νηνιου.

Lectionem ante omnia stabiliamus necesse est: in secundo igitur verbo illud Θ pro T positum frequentissima harum literarum commutatione excusamus, omissionem autem literae K negligenter vel dulcius pronuntiandi rationi adscribimus, cujus vestigia apud Graecos ipsos animadvertuntur, quorum alii ἔλευθος, αὔχημα, ανθηλια, αὔλωνια scribunt, quae aliis sunt κέλευθος, καυχημα, κανθηλια, καυλωνια (*Reland. diss.* 8. *II. p.* 116). De litera I, pro Y et E posita, atque de H pro I, sufficiat ad indicem nostrum lectores ablegare. Formarum Λ et Δ etiam permutatio adeo frequens est (§. 198. 200. 207), ut in voce ξιφιδιω excusanda ea supersedere possem: sed haud temere me sic legisse, alia gemma (*ap. Rasp. n.* 552) testatur, cujus inscriptione verba nostris similia continentur. Quamvis enim vel negligenter exscripta, vel magis etiam

corrupta illa sint, in fine tamen legitur (ξιϕ) ΙΔΙΩΝΚΗΝΙΩΙ in quibus perspicua literae Δ forma ejus in nostra inscriptione lectionem utique confirmat. Copulativa denique και in aliis etiam monimentis (*Corsin. not. Gr.* 33. *Jablonsk. de Memn.* 3, 4. *p.* 88. *Welcker. epigr. Gr. p.* 51 *ibique laud.*) litera K sola denotatur, et adeo tritus hic hujus siglae usus erat, ut Coptitae etiam singulam eadem notione suis insererent vocibus (*Georg. evang. Joh. p.* 291).

842. Quid vero illis verbis noster significare voluerit conjecturam meam antequam proponam, monitos esse velim criticos, non Athenis ea scripta esse, sed in Sicilia, in qua qui loquitur, ut Plauti verbis (*Men. prol.* 12) utar,

Non Atticissat, verum Siciliciissitat.

Unde Asconius ad Ciceronis verba „si literas Graecas Athenis, non Lilibaei (Siciliae in urbe); Latinas Romae, non in Sicilia didicisses" haec observat „dicit illum Graecas literas simul Latinas *in Sicilia* didicisse, in ea insula, *quae neutra lingua bene utatur*" (*Taubm. ad Plaut. Pers.* 3, 1, 67. *p.* 949). Sed non Graeca solum et Romana, verum etiam Punica lingua utebantur Siculi, unde *trilingues* eos appellat Appulejus (*met. XI. p. Oudend.* 763) et fieri non potuit, quin linguis aliis aliae corrumperentur. Quibus praemissis conjicio verbis ἰῷ δακτυλι ἐν (κινδυνῳ) ξιϕιδιον και νηνιον sententiam inesse „*medearis annule imminenti a pugione vel incantatione periculo.*" Conjunctivo pro optativo Graecos usos esse constat, quod quamvis grammatici non probent, negare tamen

nequeunt hujus rei exempla legi (*Matth.* §. 516. *not.*). Formam δακτυλιε non opus erat substituere, quum δακτυλι et aliis locis reperiretur (*Maittair. ed. a.* 1807. *p.* 447. *ibique anthol.*). Vocem κινδυνος saepe supplendam esse ex Bosii laboribus discimus. Pro diphthongo OY autem Ω reperiri (§. 804) praesertim in Siculorum scriptis (*Huschke de C. Annio Cimbro p.* 49) vel in ipso *secundo* secundae delinationis *casu* (*Maitt. p.* 240. 241) haud ignoramus. Verborum denique sensum quod attinet, vocem δακτυλιος pro *amuleto* usurpatum fuisse et Hesychius docet, et Aristophanes (*Plut.* 885) confirmat. Magis ne reprehendar vereor de admissa voce νηνιον, quae in lexicis frustra quaeritur. Attamen νινηατος (νηνιατος) habet Hesychius, et νηνιατον Pollux (4, 79): voceque *naenia*, Romanis satis nota, Graecos quoque usos esse gravissimus testis nobis est Cicero (*de leg.* 2, 24) quamvis Graecam vocabuli formam non prodat, quam νηνιον fuisse ut conjiciamus haud video quid impediat. Qua quidem voce non tantum carmen lugubre denotatum esse, sed incantationem etiam, Horatii (*epod.* 17, 29) et Ovidii (*art. am.* 2, 102) carmina docent. Sententiam igitur in obscuris illis verbis inesse hanc conjicio: *medearis amuletum malis, quaecunque vel pugione, vel incantatione ab insidiantibus inferri poterunt.* Unde causa etiam patet, cur diminutivo ξιφιδιῳ usus fuerit auctor: *gladius* enim minus aptum *insidiantibus* instrumentum est. Quibuscum et imago in gemma nostra expressa congruit. Quodsi enim ullae jure appellantur

insidiae, profecto eae sunt, quas *aranea* struit *muscis.* Melius quidem ab inscriptionis auctore sententiam potuisse proponi facile concedo: neque ego is sum qui quae prave dicta in multis veteris aevi reliquiis legantur defendere velim: immo ridendum esse censorem dixerim, qui incorruptam Graeci sermonis integritatem apud trilingues Siculos quaerendam esse sibi persvaserit.



843. Inter Basilidianas gemmas et amuleta hanc quoque edidit Capellus (*n.* 215). Insculptum vides deum sedentem, corona laurea redimitum, dextra baculum tenentem. Sella artificiose ita est conficta, ut duorum speciem habeat agnorum. Inscripta claris literis leguntur verba ΘΕΩ ΙΩΡΙΩ. Quaerenti quis sit ille deus Jorius conferenda est vox similis, quam lexicographi servarunt, *ἴωρος*, ab Hesychio *ὄρος* explicata. A *ἴωρος* autem, *mons*, *ἰώριος*,

montanus, fieri potuit, ut integra inscriptio vertenda esset *Deo montano*. Ad montes etiam pecora pascentia custodiebantur: unde Naxia illa inscriptio (*v. Cuperi apoth. Homeri p.* 16) ΟΡΟΣ ΔΙΟΣ ΜΗΛΩΣΙΟΥ. Neque repugnant interpretationi meae imagines, siquidem deus ille in *ovibus* insidet et *Jovi* est simillimus: neque ignoti sunt viris doctis *Jupiter Caelius* et *Genius Caeli montis*, quadam inscriptione Latina celebrati (*Inscr. Etr. I.* 185). Quas quidem inscriptiones qui ignoraverit, facile Jovis, duobus agnis quasi *interpositi*, imagine eo adduci poterit, ut de *Διὶ ὁρίῳ* Platonis (*leg.* 8. *T.* 3. *Bip. p.* 426) cogitet, quamvis hoc Jovis cognomen cum literis vocis *ιωρεω*, imagini adscriptis, conciliari nequeat.



Hujus gemmae (*a Capello* 89, *et Montf. tab.* 171. *editae*), ver- **844.**

ba explicaturus Passerius (*II.* 273. *n.* 137) de suo addit: „*φερω*, *porto*, *σαννας*, *fatuus*:" quae profecto fatua ipsa est interpretatio. Paulo quidem melius Montfanconius (*p.* 315) ΕΙΣ ΦΕΡΟΥΣΑ ΝΗΙ legit, vertitque *deportans in navem.* At plura sunt quae impediant, quo minus palaeographiae Graecae auctori hoc quidem loco assentiri possim. Primum enim ab *εἰς* incipere lectionem ordo literarum vetat. Deinde quam elicit, sententia quid sibi hoc loco velit vix intelligitur, nec quidquam commune ea habet cum imagine. Denique verbum *φερειν*, quoties in amuletis legitur, ad hominem respicit, qui amuletum *ferat*, minime ad deum quendam in amuleto expressum (§. 779. 783. 828). Ita in Onichi insculptum legimus *Ευτυχι πανοικι ὁ φορων*, quod Sponius (*misc. p.* 297) vertit *felix est quicunque hunc lapidem gestat*, pro eo quod vertere debebat *πανοικὶ cum tota familia.* Equidem in gemma nostra malim juxta ordinem, quo distincta sunt verba, legere *φερουσα νηιεις*: quo facto ex praemissis patet, voce *φερουσα* mulierem denotari, quae hoc amuleto usa fuerit. In nostro quidem gemmae exemplo vir esse videtur qui genu procumbit; sed illa quum admodum parva sit, artifex in ea hominis sexum nequaquam dignoscere potuit... Difficilior alterius vocabuli est explanatio.

845. Hujus enim *νηιεις* significationem non nisi imaginis ope, cui adscripta est, me divinasse ingenue fateor. Saepe enim observavi, figuras quae ornatae sint peplo, quod quasi vento allevetur, pro marinis esse habendas. Ita in tabula marmorea (*Begeri spi-*

cil. p. 105), in qua mare repraesentatum, ut mulieris cujusdam nomen proprium MARINA imagine exprimeretur (§. 523), Nereides eodem peplo fluitanti insignitae apparent. Prorsus simili ratione easdem nymphas marinas in annulis (*ap. Gorl.* 34 *et* 113) videmus esse insculptas. Atque Europa mare transiens tam in gemmis (*Augustin. tab.* 185. *Montf. I. tab.* 19), quam in numis (*Vaillant. num. aer. II. p.* 89. 104. 123. *Spanh. ed.* 2. *p.* 780), aliisque monimentis (*Montf. tab.* 20) inflato peplo insignita comparet. Quo factum est ut poetae etiam, Europam tauro vectam describentes, hujus pepli semper mentionem facerent: Ovidius quidem (*metamorph.* 2, 875)

– – tremulae sinuantur flamine vestes

canens; Moschus autem (*Id.* 2, 125) peplum illud cum *navis velo* comparans

Κολπωϑη δ᾽ὠμοισι πεπλος βαϑυς Ευρωπειης

Ἱστιον οἱα τε νηος, ἐλαφριζεσκε δε κουρην.

Similiter Lucianus (*dial. mar.* 15, 2. *T. II. Bip. p.* 125) Europae ἠνεμωμενον πεπλον memorat. Majorem igitur in gemma nostra figuram quum pro dea marina haberem, minorem a genibus supplicem (§. 713. 780) pro ea, quae amuletum possideret, accepi, quasi Virgilii (*Aen.* 6, 370) verba pronuntiaret

Da dextram misero et tecum me tolle per undas.

Accedit quod ipsum illud peplum Homerus (*Od.* 5, 351) instrumentum esse finxerat, quo Ulysses a maris fluctibus servaretur.

Quibus omnibus consideratis et perpensis vellem equidem verbo illo NHIEIC significatum esset *natabis:* sed neque *νηξεις*, neque *νευσεις*, hic legitur. Quare unica haec remanet conjectura, *νηιεις* propter aspere pronuntiatam literam I valere *νηχεις*, *natas.* Atque haud semel pro futuro tempore praesens positum esse viri docti observarunt (*ad Thucyd.* 2, 44. *T.* 2. *Bip. p.* 426).



846. Ediderat Gorlaeus (418. 419) hoc Onychis ectypon, idemque Chiffletius (70) et Montfauconius (*II. tab.* 119) libris suis inseruerunt. Equidem exemplum a Chiffletio mutuatus sum, tum quod magis distinctum apud eum appareret, tum quod non a Gorlaeo id petitum, sed ex gemma ipsa, quam apud Rubenium exstare (*p.* 52) ait, exscriptum esset. Prodiit deinde monimentum simile

in aere incisum, quod ipsum vidi et summa cura in lignum incidi, quemadmodum hic est subjectum:



Cujus monimenti licet rudior fabrica sit quam gemmae; dilucide tamen apparet, eandem imaginem eandemque sententiam utroque contineri. Super haec similis exstat inscriptio, sed magis etiam corrupta in auro (*ap. C. Morgenstern. de numism. Basilii; et J. V. Francke Erlaeuter. der Goldmünze des Basilius* 1824) quod quidem qui ediderunt numisma appellant: sed quo jure equidem non video. Ansa enim addita (*Morgenst.* 1, 19) amuletum prodit, neque cum numismate illi quidquam est commune, nisi quod rotundum est utrumque. Accedit quod minime cusum, sed fusum apparet, ita quidem ut torno opus fuerit ad illud perficiendum (*Morgenst. II.* 8). Qui profecto nullus numos fabricandi erat modus. Quare quamvis minus Latino, attamen recepto, nomine *pseudo-numi* hoc monimentum appellare malim. Praeteritis iis, quae omnino alia continent, eam in pseudo-numo inscriptionem,

quam nostrae similem diximus, ab imperito adeo depravatam esse videmus, ut omnia ad liquidum perducere frustra laboraverimus. Attamen operae pretium fuerit, hanc etiam deinde consuluisse.

847. Incisa in illis monimentis imagine caput repraesentari videtur Gorgonis: neque est, cur hoc neget Morgensternius (§. 2. *p.* 8). In gemma enim quadam pulcherrima, Medusam repraesentante (*apud Augustin. I.* 72), caput exstat, ex quo decem exeunt serpentes: quem eundem serpentum numerum ex capite exeuntium videre licet in pseudo-numo. Ac profecto inter imagines nullum est discrimen, nisi quod Graecae et Romanae artis imitatio rudi Byzantinorum temporibus artifici parum successit. Permultae quidem exstant in museis gemmae eodem insignitae capite (*praeter Augustin. v. Montf. I. tab.* 85. 86. *Mus. Flor. I. tab.* 32. 33. *Pierr. gr. d'Orleans tab.* 96. 97. *Stosch. tab.* 63. 65. *Rasp. tab.* 50 *et n.* 8883 - 9038. *Winckelm. catal. p.* 341. *Gorii inscr. Etrur. I. tab.* 12, 6), quod seriori tempore imitatione non optima exprimebatur (*Cayl. V. tab.* 60. *p.* 169). Quas quidem gemmas si amuletorum in usum caelatas esse statueris, praesidium habebis in Luciani verbis (*Philopat.* 8. *T.* 9. *p.* 245), qui ad quaestionem „quaenam sit Gorgonis utilitas, et quam ob rem suum Pallas pectus capite illius muniat?“ respondet: „Quasi terribili quodam spectaculo *malisque averruncandis* apto. Quin terret etiam hostes“ cet. Sed in auro illo, quod utique Christianus homo adaptavit, istum per Medusae caput Satanam significare voluisse equidem persva-

sum habeo. Quare nec Münteri, viri praestantissimi, sententiam (*Ant. Abh. p.* 192. 193) amplecti possum, qui in gemmae nostrae imagine Ophiticam *ogdoadem*, nempe Sophiam cum septem filiis, agnoscere sibi visus est. Nam vereor sane ut inscripta verba cum hac explicatione unquam conciliari possint, ut taceam numerum variare serpentum: qui enim in gemma septem, in reliquis monimentis sunt decem.

848. Sed praetermisso hoc monstro ad literas inscriptas, quod caput est, transeamus. Ac sane bene nobis evenit, ut varia ejusdem monimenti exempla nacti, comparatione instituta supplere aliud ex alio et criticorum corrigendi lubidinem coercere possimus. Forma literarum in gemma et aere magis sane aperta et dilucida est, quam rudis illa in auro, in quo praesertim character H notandus, siquidem eo, sicut in aliis etiam scriptis observavimus (§. 193. 198. 203) non vocalis solum H denotatur, sed M etiam et N! Quapropter facile ignoscendum erat Morgensternio in ingeniosa sua hujus inscriptionis interpretatione literam M nullo in loco agnoscenti. Impedimento praeterea fuit viro egregio, quod hanc inscriptionem, ignoratis reliquis exemplis, cum diversis duabus in eodem pseudo-numo conciliandam esse putaret, quamvis illam omnino per se sive solam constare posse et gemma et aereum monimentum, cum ea nunc collata, haud dubie doceant. Sed saepe jam monui (§. 444) quantopere intersit interpretis monimenta ejusdem generis plura conferre.

849. Quo autem facilius tria illa inscriptionis exempla inter se comparari possint, ea jam repetam, ita ut in primo versu gemmae inscriptionem, in secundo aeris, in tertio auri repraesentem, lacunas punctis denotans; in quarto denique integram inscriptionis lectionem ante oculos ponam, videlicet ex omnium collatione perfectam. Transversas in gemma lineas, quamvis eaedem in tetradrachmis regum Parthiae pro A reperiantur (*Eckhel. proleg. p.* 98. *n.* 9), quum dubiae tamen sint significationis, in primo versu retinui.

1) +YCTEP/ . ΕΛΛΝΗ Μ/ . ΑΝΟΜΕΝ/
2) +VC . . . . ΜΕΛΛΝΗ ΜΕΛΛΝΟΜΕΝΗ
3) +YCCEPA ΜΕΛΑΙΗ ΜΕΛΑΝΟΜΕΝΙ
4) + *υστερα* *μελανι* *μελανομενη*
1) O. ΟΦΗC ΗΛΗΕCΕ Κ/ OC ΛΕΟΝ
2) OC ΟΦΗC ΗΛΗΕCΕ ΚΕ OC ΛΕΟΝ
3) OICI ΗΛΙΕΥΕ OC .P. ΛΗΟΝ
4) *ος οφις ηλησε και ος λεον*
1) ΒΡΥΧΑCΕ ΚΕ OC ΑΡΝΙΟΝ ΚΥΜΟΥ
2) ΒΡVΧΑCΕ ΚΕ OC ΑΡΝΟC ΚVΜΑCΕ
3) OYOUƧHC ΚΕ OC ΑΡΝΙΟ KUMHHHTI
4) *βρυχασε και ος αρνιον κυμου* (et *κυμασε*).

Jam vero omnes, qui tria illa exempla inter se contulerint concedant necesse est, unam eandemque, quantumvis obscuram, sententiam iis contineri. In aureo enim exemplo licet corruptior ista

inscriptio appareat pluribus tamen locis reliquorum exemplorum ope ei subveniri potest. Primum enim vocabulum, modo vera tertiae literae forma nobis exhibita sit, nihilominus *υστερα* explicamus, quandoquidem *ὑσσερα* dulcioris soni causa substitui potuerit: pariter enim *Καλισσω* in marmore (*Corp. inscr. Gr. p.* 456. *n.* 429) legitur. In secunda voce *μελανι* imperfectam esse literam N patet; sed non magis perfectam M supra (§. 201) ostendimus. Quae vero substituta sunt pro *οφις* non capio, nisi *οις* ejus loco scriptum esse dixeris, quo tamen posito litera I, quae sequitur, otiosa esset. Pro *ηληεσε* in exemplo pseudo-numi, quo usus sum, est HAIEYEOC. Sed videant, quibus aurum ipsum inspicere licet, num extremae duae literae forsan CЄ legi possint. Character, qui sequitur, prorsus est obscurus et ex conjectura tantum pro Λ acceptus; neque de litera P habeo quod dicam. Sed proximam vocem ΛHON legendam esse mihi quidem est persvasum. Prima ejus litera quum apud Chiffletium, tum apud Gorlaeum, ancipitis est figurae, quippe quae medium teneat inter Λ et A. Secundam autem K, vim habere *του* H, qui ignorant discere poterunt ex eis, quae superiori loco (§. 203) demonstravi. In voce *βρυχασε* syllaba prima ex dulciori pronuntione mutata est in *ουρυ*. *Ου* enim pro B usurpatum esse nemo ignorat. Figuram Ƨ docti quidem interpretes ignotam dicunt. Ego vero eandem pro X habeo. Posse enim hanc literam in Ƨ transire, similis forma Ƨ docet pro Latina X posita (*Oderici diss. p.* 130). Hoc igitur pa-

cto *ουρυχης* substitutum est pro illo *βρυχασε*, quod in reliquis exemplis legitur. Difficilior collatio extremi verbi *κυμηιητι* est cum *κυμασι* vel *κυμον* in aere et in gemma. Sed latet in isto fortasse *κοιμαιται* vel *κοιμησεται*. Atque variis hisce lectionibus non obstantibus hoc certe elucet, illorum trium monimentorum auctores unam eandemque rem voluisse notare. Sententiam denique ipsam ex verbis barbare compositis elicere hoc profecto altioris est indaginis.

850. Primus Montfauconius, qui non nisi gemmam viderat, „inscriptionem non facilem explicatu esse (*II. p.* 375) ait „et haec tantum expiscari posse, serpentem ut leonem fremuisse et ut agnum mitem esse." Accepit igitur *ὃς* pro *ὡς*. Alter inscriptionis in aereo monimento interpres, qui gemmam tunc ignorabat, W. F. Rinckius (*in libro: Sendschr. der Korinth. an den Apost. Paulus p.* 195) litera Λ non agnita pro ea semper EI substituens inscriptionem sic explanari posse arbitratus est: „*Ὕ(ο)σ(κυαμῷ) μελάνη μελεϊνομένηος ὄφις· ἐλεησον κυριε Θεος. Λεων βρυχει σε, κυριε Θεος ἀρνος κίνε σε* - - quae vernacula lingua ita reddit: „*Es wüthet die schwarze starrsinnige Schlange: erbarme dich Herr Gott. Der Löwe brüllet wider dich. Herr Gott des Lammes rege dich.*"

851. Cujus interpretationis haud quidem approbandae acrior tamen, quam decebat, exstitit censor J. V. Franckeus, qui, quamvis utrumque monimentum ante oculos haberet, et tertium insuper in auro insculptum, nihilo tamen minus temere et pro arbi-

trio, neque omnino curans literarum ductus, in libello supra (§. 846) adcitato (*p. VII*) ita legendum esse contendit: „*Ὑστέρει μελαν, ἢ μιαινόμενος ὁ ὄφις, ἤδη ἴση καὶ ὡς λέων βρυχήσῃ, καὶ ὡς ἀρνίον κυλλου.*" adjecta hac versione: „*Gieb dich gefangen Schwarzer, oder du wirst jetzt die in den Staub geworfene Schlange seyn und wie ein Löwe brüllen, und beuge dich wie ein Lamm;*" quae ne Germanice quidem dicta bene cohaerent! Reprehendendus certe est iste interpres, qui priorem interpretem despiciens, gloriabundus et suae interpretandi arti nimium confidens ex obscura inscriptione sensum eruisse ut videretur, literas scriptas permutarit, et ΜΙΑΙ pro ΜΕΛΑ, ΝΟΣ pro ΝΗ, ΛΛ pro Μ cet. legerit, refragante non alterutro, sed quod majus est, utroque inscriptionis exemplo, tam gemmae, quam metalli. Tanta licentia concessa nemo non e barbaris ejusmodi inscriptionibus nullo quidem negotio vel ipsius Demosthenis orationum aliqua membra extorquere poterit. Quodsi verbis, quae Franckeus in contemtum antecessoris sui („*wer sich nur zu helfen weiſs*") vernacula lingua addit, talem denotare voluit interpretem, qui literas scriptas susque deque haberi posse putet; sane quam istum interpretem malim nullum.

852. Causam suam defendendam suscepit quidem Rinckius, sed reliquis monimentis demum visis priorem ita mutavit sententiam, ut (*Kunstblatt* 1828. *n.* 60. 61. *p.* 238, 242) legeret: *Ὑστέρει μελάνη μελανομένηος ὄφης ἠλήεσε,* (pro *ἐλεησον*) *κύριε θεός. Λεον βρύχει-*

σε, κύριε θεος ἀρνειος, κυμαινει σέ - - quae vernacula lingua reddidit *„Nahe nicht schwarze Unheil brütende Schlange: Erbarme dich Herr Gott! Der Löwe brüllet wider dich, Herr Gott Lamm er wüthet wider dich."* Equidem omni obscurorum verborum interpretationi poetice factae diffido (§. 645): sed praetermissis reliquis, quibus meam interpretationem omnino repugnare postea videbimus, hoc tantum ut moneam necesse est, primum pertinaciter illum semper siglam K voce *κυριος* interpretari, licet in gemma jam viderit notissimum signum literae additum, quo *και* aperte denotatur; deinde signa indicandis verbis breviatis adhibita, et puncta, quae omnia videre vir ille sibi visus est, me quidem non vidisse. Praetereo quoque Morgensternium, quippe qui in commentationibus suis neque gemmam neque aereum monimentum interpretatus sit, sed inscriptiones tantum in aureo, quibus omnino aliam sententiam subdidit, nec vidit, nostram inscriptionem illis quoque contineri.

853. Hujus quidem inscriptionis posteriorem partem melius quam priorem intelligere mihi videor. Trium, quae ibi commemorantur, animalium nomina sponte quidem in mentem revocant Chimaerae tres partes (*Hom. Il.* 6, 181. *Hesiod. theog.* 323. *Apollodor. II. Lucret.* 5, 903. *Hygin. al.*); sed noster illam tangere minime videtur. Addidit tamen suum cuique animali verbum proprium, quorum tertium valde vexavit illos interpretes, variantis scilicet orthographiae omnes ignaros. Horum unumquodque quia

syllaba σι terminatur, secundum autem βρυχασι secunda futuri βρυχησῃ a βρυχαομαι esse videtur; jure colligitur, in reliquis verbis, quae eadem syllaba terminantur, eandem temporis personam quaerendam esse. Atque, quod serpenti additur, solum aliquid dubii habere potest. Verum Homerus de serpente sinuato utitur verbo ἑλισσομαι, et Aelianus (8, 13) verbo συνειλειν: unde vel ἑλιξῃ, vel, quod magis arridet, ειλησῃ in illo γληεσι latere conjicio.

854. Terminatur inscriptio in gemma quidem verbis ὁς ἀρτιον κυμου: in aereo antem monimento ὁς ἀρνος κυμασι legitur. Formam ἀρνος post ea, quae lexica dant, me jam defendere non opus est. Vel Romanis eam non ignotam fuisse antiquissima Numae lex (*Gell.* 4, 3), et Festus praeterea, docent. Verbum autem ad hoc animal adscriptum molestum antecessoribus meis fuit; neque ex interpretandi negotio illi sese expedire potuerunt, nisi mutatis literis scriptis, id quod pertemere factum esse censeo. Nisi enim ignorassent saepenumero Y pro OI olim scriptum esse (§. 413. 429. 824) profecto verbum κοιμαομαι agnovissent, nec Franckeus κυλλου pro κοιμου, nec Rinckius κινι σε pro κοιμησῃ, uterque invita sane Minerva, legisset. Ne vero quidquam ipsis remaneat dubii, ecce in lapidis titulis (*ap. Fabrett. p.* 389) modo ἐν ειρηνῃ κοιμησις, modo ἐν ειρηνῃ κυμησις legitur (*add. Murator.* 4. 1853. 11. *Donium p.* 582. *Corsin. diss. p.* 30). Ita et κυμιθεισα pro κοιμηθεισα (*Fabrett.* 592. *n.* 112), κυμιθη pro κοιμηθη (*Murator.* 1, 393, 7), ἐκυμηθη pro ἐκοιμηθη (*Murat.* 4. 1838, 1), et Latinis etiam literis vi-

demus scriptum (*in Wolf. bibl. Hebr. IV.* 1218) EN IRENAE. AI. KYMYSIS. AY. pro ἐν ειρηνη ἡ κοιμησις αὐ(της). Quo factum est ut *Cimeterium* etiam (*v. Cangium*) scriberetur quod Graecum est κοιμητηριον. - - Ac profecto nisi corruptae isti scribendi rationi cognoscendae operam impenderint philologi, eos nunquam pares ejusmodi monimentis interpretandis futuros esse manifesto patet. - - Significat autem κοιμαομαι *quiesco*, id quod non solum permulti sepulcrales tituli testantur, sed sententiae etiam in quibus Alexandrini hoc verbo utuntur, ut: ἐκοιμηϑην ἐν στεναγμοις, ἀναπαυσιν οὐχ εὑρον (*Jerem.* 45. 3): ἀφηρηται ὁ ὑπνος ἀπ' αὐτων, και οὐ κοιμωνται (*Prov.* 4, 16): και ὡς λεων γαυρωϑησεται, οὐ κοιμηϑησεται (*Num.* 23, 24) al.

855. Sed multo majus negotium facessunt tria illa verba a quibus inscriptio incipit. Quae quum non in uno, sed in tribus monimentis eadem legantur, omnem literas corrigendi conatum inhibeant necesse est. Exstat enim

1) *in gemma:* VCTEP/ ...ΕΛΑΝΗΜ/ . ΑΝΟΜΕΝ/
2) *in aere:* YC . . . . ΜΕΛΑΝΗΜΕΛΑΝΟΜΕΝΗ
3) *in auro:* YCCEPAMEΛANIMEΛANOMENI

Ex quibus patet, utique legendum: Ὑστερα μελανι (vel μελανη) μελανομενη, neque ullum effugio locum esse, quidquid aliter sentientes dicant, et quantumvis obscura ista sint verba.

856. Ac libenter equidem fateor neutiquam certam me allaturum esse explicationem. Quoniam autem aliis non magis licuit esse

tam felicibus, ut interpretationem afferrent ab omnibus approbatam, atque jure a me posci potest, ut de hoc etiam monimento quid sententiam exponam; lectores quidem variis, quae in mentem venerunt de ὑστρια, sive ὑστερᾳ κοιλια, μελαινῃ χολῃ vel νοσῳ μελανομενῃ, vel de Hystera a gnosticis ficta, quae mundum creaverit omniumque in eo malorum causa fuerit (*Iren.* 1, 31. *p.* 112. *Epiphan. haer.* 38 *de Cain. p.* 276), conjecturis morari nolim: sed solam, quae mihi reliquis melior visa est, nunc proponam. In prima igitur voce ὑστερα per frequentissimam ellipsin omissam ἡμεραν suppleo. Ἡμερα autem ὑστερα non solum de die proxime sequenti dicitur; sed etiam de posteriori, vel instanti; ita ut novissima, quae certa omnibus instat, mortis nimirum, ὑστερα quoque dici possit. Quid? quod in veteris Testamenti versione interpretes ὑστερος non nunquam posuerunt pro ὑστατος (*v. Schleusner. thesaur. V. T. per Septuag. P. V. p.* 417) atque Pausanias (6, 15, 4) adverbio ὑστερον utitur pro *postremo.* Ἡμερα illa μελανομενῃ, *atrata,* dicitur, sive infausta et infelix (*Plutarch. in Camill. p.* 138). Qui enim dies ab aliis *atri* (*Gell.* 5, 17) iidem in fastis (*Graev. VIII. p.* 97 *sequ.*) *Aegyptiaci* audiunt. Atque αἰγυπτος quum sit ὁ μελας; causa, cur ita dies appellati fuerint, nunc melius intelligitur, quam ex eis, quae Graevius (*praef. p.* 5) hujus rei illustrandae causa attulit. Atram igitur reddere diem idem est atque infaustam, sive infelicem. Poterat quidem aliud verbum pro illo μελανομενῃ poni; sed amant Graeci plenam ejusmodi dictionem,

sive similium vocum conjunctionem, ut ὑβρίζομαι ὕβριν, ἀδικοῦμαι ἀδικίαν, alia (*v. Leich. carm. sepulcr. p.* 28) dicant. Quae tandem in nostra inscriptione ἡμέρα quum μελανομετῃ dicatur; si quaesiveris per quem? opportune legitur μελανι, „*per nigrum.*" In aureo enim monimento haec vox litera I terminatur, et quamquam in duobus reliquis H substitutum est, nemo tamen ignorat hasce literas, praesertim infimis temporibus, confusas esse.

857. Jam vero quum omnis sententiae sensus pendere videatur ex interpretatione tum illius vocis ὑστέρα, tum hujus μέλανος, probe observandum est, τῳ μελανι, ut diximus, graviorum rerum inesse notionem, quam solius coloris. Quemadmodum enim *album* fausta omnia denotabat, ita *nigrum* infausta, lugubria et mortem ipsam; veluti atra Commodi vestimenta (*Lamprid. c.* 16). Hinc atri coloris aves inauspicatae erant. Hinc μελανηφοροι appellabantur qui diis inferis sacra faciebant (*Cuper. Harp. p.* 129). Hinc superis diis albae, nigrae victimae inferis offerebantur (*Virgil. Aen.* 6, 249. *Georg.* 4, 547. *Val. Max.* 2, 4, 5. *Stat. Theb.* 4, 446. *Lucret.* 3, 52. *Tibull.* 3, 5. *Stephan. ad Saxon. p.* 54). Hinc duos prisci statuebant genios, album alterum, alterum nigrum (*Hor. II. epist.* 2, 189), hunc quidem cacodaemonem putantes, (*Valer. Max.* 1, 7, 7), qui idem Bruto apparuisse apud Plutarchum (*p.* 1000) dicitur. Hinc το μελαν ad του κακου naturam refert Diogenes Laertius (*L.* 8. *p. m.* 589), atque e Plutarcho (*qu. Rom. p.* 270) constat, nigrum *dolosum* (δολερον) appellatum fuisse.

Hinc Gratias albas a Graecis fictas esse, Furias atras Pausanias (8, 34, 2) docuit.

858. Atque eodem tramite Christiani pergentes ἀγγελους quidem ἐν λευκοις (ἱματιοις) esse (*Joh.* 20, 12) narrarunt; daemonem vero malignum nomine sive *Aethiopis*, sive *Aegyptii* (*Fabric. cod. apocr. N. T. I.* 489. 634) compellarunt, cujus qui perfectam imaginem desideraverit, in apostolica S. Bartholomaei historia (*ap. Fabric. p.* 683) eam reperiet. Ita enim describitur: „Erat ingens Aegyptius, nigrior fuligine, faciem acutam habens cum barba prolixa et crinibus usque ad pedes, oculos denique igneos sicuti ferrum ignitum, scintillas emicantes; ex ore ejus et ex naribus egrediebatur flamma sulphurea: habebat et alas spineas sicuti histrix." Atro utique colore pius ille vir eum quem metuamus descripsit, magisque vigens picta ab eo imago est, quam mollis illa μελαγχαιτου apud Euripidem (*Alc.* 438). Gravioribus etiam verbis Eusebius (*praep.* 7, 4, 11. *p.* 317) Satanam appellat ὀφιν *ΜΕΛΑΝΑ* τε και σκοτους οἰκειον. Sed uno serpente minime contentus nostri monimenti auctor Medusae imaginem mutuatus est, quo majorem incuteret terrorem.

859. Omnibus illis verbis nunc compositis sententia contineri videtur in solatium eorum qui mortis angores aequo patiantur animo, neque fato turbulenter refragentur. Ita enim subobscura illa Ὑστερᾳ (ἡμερᾳ), Μελανι μελανομενῃ, ὁς ὀφις, εἱλησῃ; και ὁς λεων, βρυχησῃ; και ὁς ἀρνιον, κοιμησῃ *ad verbum* interpretor: *in atra illa*

die, per malum atrata, qui serpens sinuaberis, et qui leo rugies, et qui agnus quiesces; quibus dicere voluisse sententiae auctor videtur: *In die illa instanti, quae tristis per mali auctorem Satanam est reddita, qui serpenti similis eras, sinuaberis, qui leoni similis, rugies: qui vero agnum imitatus, placide quiesces.* Verbum enim *εἶναι* quam saepissime omitti (*Bos.* 377) vel tironibus notum; et similiter Homerus (*Il.* 5, 481) *ὅς κ' ἐπιδευής* per ellipsin habet. In conjunctione denique *καὶ*, ubi extremo loco posita est, ego notionem discretivam, pariter atque in repetito Hebraeorum ו (*Gesen. Gesch. d. H. Spr. p.* 210), inesse, et ab hac oppositum incipere, statui. Atque jure me hoc statuisse quo clarius perspicias, observes velim, exaratam in gemma inscriptionem reliquis illis certe antiquiorem esse; sequi deinde exemplum in aere; novissimum tandem videri illud in auro. Quo saepius autem repetita, eo magis etiam depravata apparent verba inscripta. Quo fit ut quidquid pro mea interpretatione praesidii in gemma insit, majoris hoc etiam ponderis esse debeat. At vero antithesis illa perspicue ex mutatione temporum elucet, quae in gemmae exemplo observatur. Bis enim quum praecesserat futurum, sequitur imperativus, et *qui agnus eras,* dicitur, *quiesce,* noli timere!



860. Monimentum hoc in Haematita insculptum Caylo (6. *tab.* 21) acceptum referimus, qui in inscriptionibus nihil vidit, nisi (*p.* 71) *characteres Graecorum more non esse dispositos.* Imaginem tamen Veneris Anadyomenes agnovit: quae rudis quidem in hoc et aliis hujus generis monimentis (§. 623-625. 629) illi a manibus Apellis primum profectae certe dissimilis esse videtur. Inscripta autem verba quum neque Cayli aetate, neque post eum, virorum doctorum aliquispiam interpretari potuerit (*Heidelb. Jahrb.* 1828. *p.* 562); equidem eis non nihil lucis afferre operae pretium duxi. Nam scribendi ratio, quae barbara est, ut assolet in istis monimentis, impedimento omnibus fuisse videtur, quo minus verba intelligerent. Quae igitur in adversa gemmae facie scripta sunt minoribus literis subjectis, ita explico:

ϹΤΕΡΚΟΥ	Σ	ΙΔΑΡΑ	ΜΕΝΦΙ
στεργω	*σ'*	*ὑδαρα*	*Μενφι.*
Amo	*te (o!)*	*aquosa*	*Memphi.*

Quod K in primo verbo pro Γ scriptum est, id Aegyptium auctorem prodere videtur, cui genti haec litera peregrina, aut certe minus usitata fuit (§. 723), quapropter Graecum *ἀγροστις* a Coptitis *ακροστις* scriptum legimus (*Rossi p.* 212); sed ipsos apud Graecos permutatas esse illas literas non solum a Luciano (*judic. vocal.* §. 4. *T. I. p.* 63) discimus; sed legimus praeterea in lapidibus *κλυκυς* pro *γλυκυς* (*Torremuza Cl.* 14. *n.* 138. *p. m.* 190) in libris *σιγλαι* et *σικλαι*, et apud Alexandrinos *φαλεκ* pro *φαλεγ*, *ναφεκ* pro *ναφεγ;* unde Sturzium miror in describenda dialecto Alexandrina hujus literae K pro Γ adhibitae nullam fecisse mentionem. *Στεργου* pro *στεργω* scriptum esse conjicio, prava scilicet literam Ω efferendi consvetudine, qua Macedones etiam *κυνουπις* pro *κυνωπις* dixisse Hesychius et Phavorinus testantur, et Aegyptios frequenter usos esse supra (§. 646) observavi. Ita etiam in secunda voce commutatio literae Υ cum I non solum in Graecis saepissime reperitur (*conf. indic.*), verum eandem etiam apud Aegyptios frequentem fuisse (§. 431), ostendi. In nomine *Μενφι* litera N illi quidem formae Ϻ (§. 179), pro M, similis est; sed omnino differt a prima in eodem nomine litera, quae vera est M, quare alteram illam pro N habeamus necesse est, pro illa scilicet hujus literae obscura forma, quae cum litera H saepe confunditur (§. 198. 203. 746). Nec solum Coptitae

scribunt hoc nomen MENϤI (*Jablonsk. opusc. I.* 137); sed numi etiam in Aegypto cusi et Graecis literis inscripti N pro altera M in eodem nomine habent (*Zoega num. Aeg. tab.* 21).

861. Erunt fortassis qui ista verba explicaturi primum pro participio στεργουσα accipere malint, id quod ab initio mihi quoque in mentem venerat: sed quae sequuntur voces quinto casu prolatae illam interpretationem non admittunt. Ὑδαρα enim vocandi casu a forma est ὑδαρος, α, ον, quam Hesychius servavit, et fuisse eam olim, ὑδαροτης etiam nomen prodit. Si quis autem, qui στεργου pro στεργω a me accipi legerit, forsan subringatur; eum adire jubeo Musgravium, qui apud Euripidem (*Herc. fur. v.* 856) quod in libris scriptis erat εμβιβαζους prorsus simili ratione εμβιβαζω σε legit! Rectene in illo quidem loco hoc fecerit, nec ne, hic non attinet disquirere: animadvertisse enim sufficit, illam ipsam Musgravii lectionem ab eis, qui post eum philologi Euripidem edidere, esse receptam.

862. Sententiam quod attinet haud dissimilem reperies in pseudonumo (*Winckelm. catalog. p.* 249. *n.* 1538) in cujus adversa facie Satyri caput, in aversa haec leguntur „και δρυμους ανδρα φιλουμεν." Amare autem *Memphin* Venus fingitur quia fanum ei in hac urbe exstructum erat (*Strabo L.* 17. *p. m.* 934), praecipuusque ibi *Veneri marinae* cultus tribuebatur, unde Horatius (*Od.* 3, 26. *v.* 5. 9. 10) eam verbis *quae tenes Memphin* allocutus est, et Orphicus (*hymn.* 54) eandem Nilum accolentem jam celebraverat.

Aquosa denique optimo jure audit Memphis, ut quae ad Nilum quum sita esset, tum etiam lacus quosdam in fronte haberet (*Strabo p.* 935), quare Herodoto teste, nisi magnis quotannis praesidiis flumen coerceretur, periculum erat, ne illa aquae fluctibus tota inundaretur. Jure igitur a Lucano (10, 330) *apertaque Memphis rura* appellantur.

863. Atque hoc fortassis loco Papinio Statio lux adferri potest. Aegyptus enim quum semper miraculorum et aenigmatum plena fuerit, ita ut ab Herodoti inde aetate usque ad recentissima tempora tot tantaque ibi reperta frustra interpretem adhuc exspectent, quod idem hoc in numo



Romae (*Spanh. I.* 145) sub Hadriano (*Eckhel.* 6. *p.* 488) cuso, et temere ab academiae Parisiensis sociis (*hist. T.* 16. *p.* 145) falsitatis nota inusto, sphinge (§. 528) denotatur; illorum aenigmatum solvendorum Graecos pariter atque Romanos (*Lucan.* 10, 268 *sequ.*) acerrima semper cupiditas tenuit. Soluturum igitur ea Metium Celerem finxit Statius hisce versibus:

– – *te* (Iside) *praeside noscat*
Unde paludosi foecunda licentia Nili:
Cur vada desidant, et ripa coerceat undas
Cecropio signata luto: cur i n v i d a *Memphis*
Curve Therapnei lasciviat ora Canopi:
Cur servet Pharias Lethaeus janitor aras;
Vilia cur magnos aequent animalia divos:
Quae sibi praesternat vivax altaria Phoenix:
Quos dignetur agros, aut quo se gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis?

In quibus quum jure displiceat epitheton *invida*, obscurius hoc sensu „quae exteris arcana sua invidet" dictum (adeo ut ad alios etiam ineptiores interpretationes viri docti confugerint) feliciter, opinor, Federus, quem supra (§. 618) laudavi, in literis ad me datis emendat *uvida*. Quae quidem emendatio eo magis mihi arrisit, quo clarius congruit cum mea gemmae interpretatione, ubi eadem Memphis Graece ὑδαρης audit.

864. Ad alteram nunc gemmae faciem nosmet convertentes animadvertimus varias effictas esse ejusdem literae A figuras, id quod in aliis quoque hujus generis monimentis (§. 689. 703) observavimus. Qua quidem varietate perspecta factum est, ut penultimam tertii versus literam primum perperam pro A acciperem; sed dehinc (*v. Heidelb. Jahrb.*) jam suboluit Λ eam legendam esse, quamvis verum vocis sensum nondum cepissem. Remorari etiam

aliquem possint junctae in capite versus quinti literae; sed AY illas legendas esse numus docet Constantini XIV (*ap. Eckhel. VIII.* 273) in quo ᐱⵊKPᑫⵊP omnino legendum est AYTΩKPATΩP, prima litera Ω pro O posita.

865. Quibus praemissis verba sic distinguenda et explicanda conjicimus

ΙΑΩ	CABAΩΘ	AΔONH	IH	KΛIE	ΑΛΑΞCAI	AY
Ιαω	*Σαβαωϑ*	*Αδονι*	*ἰὴ*	*κλυε:*	*ἀλεξαι*	*αὖ*
Iao	*Sabaoth*	*Adoni*	*io!*	*exaudi:*	*averte*	*deinceps*


TOY	TAPTAPOY	ΣKOTIN
του	*ταρταρου*	*σκοτιαν.*
	Tartari	*tenebras.*

De nominibus, quae ab initio leguntur, superioribus locis (§. 463 *sequ.* 477 *sequ.* 481. 482) multa jam verba fecimus; unde ad reliqua transire licet. Ac primum *κλυε*, quod idem ac *κλυϑι*, de quo supra (§. 804) egimus, hic *κλιε* scriptum esse nemo mirabitur, qui in ejusdem gemmae antica *ιδαρα* pro *ὑδαρα* legerit. Ad id quod sequitur *αλαξσαι* moneamus necesse est, A pro E non solum in quibusdam Graecorum dialectis obvium esse, id quod apud Arcades etiam observaverat Pausanias (8, 23, 5); sed, quod magis hic perpendendum, primam illam vocalem semper apud Alexandrinos primas partes obtinuisse (§. 431). Deinde superfluo post literam Ξ *Sigmate* non Romanorum tantum morem imitatione exprimi, qui *paxs, uxsor, felixs, maxsumus, auxsilium,* scri-

berent; sed in Graeco etiam numo ΝΑΞΣΙΟΝ legi, quas literas, quum ab Eckhelio (*I. p.* 226) pessime sint redditae, ex Winckelmanni gemmarum descriptione (*catal. Cl.* 2. *n.* 1462. *p.* 235) accuratius hic repraesentare operae pretium duxi. Sunt enim hae: Ν°ΙϨΞΑΜ. Ab *ἀλλασσω, ἀλλαττω* et *ἀλαττω* omnino quidem est *ἀλαξαι;* sententia autem desiderat *ἀλεξαι,* pro quo *ἀλαξαι* usitata est Alexandrinorum pronuntiatio, qui nunquam Serapis sed Sarapis scribunt, quin etiam *παντας* pro *πεντας* (§. 575)!. . Equidem olim *αὐτου ταρταρου* legeram; sed postea primam vocem dividendam esse duxi ita ut *αὐ*, quasi pro *αὖϑις,* vertendum esset *deinceps, posthac, aliquando* sive *olim* (*conf. Hoogeveen.* 10, 2, 6). - - Pro *σκοτιν* primum substituebam *σκοτιον,* quum saepe vidissem terminationem ΙΟΣ in ΙΣ abire (§. 358. 365. 374). Sed certior nunc factus ΙΣ etiam pro ΙΑΣ reperiri (*Corp. inscr. Gr. I. p.* 595. *n.* 1197. *p.* 600. *n.* 1232); haud dubito *σκοτιαν* intelligere.

866. Tenebrosum enim Tartarum Romani quoque putabant: unde Virgilius (*Aen.* 6, 134) *Tartara* appellat *nigra*; et Appulejus, (*metam. p.* 38. *Oudend.*) sagam describens, posse eam, refert, sidera exstinguere, et Tartarum ipsum illuminare. Quae quidem de tenebroso illo loco opinio quum Judaeos quoque et Christianos ceperit; Eusebius supra (§. 858) adcitatus, e Mosis doctrina refert malum daemonem *μελανα τε και σκοτους οἰκειον* appellari. Atque Paulus etiam apostolus (*ad Ephes.* 6, 12) pugnandum esse monet contra *κοσμοκρατορες του σκοτους.* Tartarus autem, in quem

dejectos esse volunt gigantes, idem esse locus videtur, quem Salomo (*prov.* 21, 16) קהל פאים dicit, et in quo commorari vult homines a religione qui aberraverint. Recte enim, si quid video, in vulgata vertitur *coetus gigantum* et ab Arabe *synagoga gigantum*. Gigantes nempe impios, qui deum negarent, creditos fuisse supra (§. 789) comprobavi. Neque poenae improbis fuisset mortuorum tantum umbris (*Gesen. lex.* 1068) addi, quippe inter quos probos quoque olim versari necesse sit. - - Quod reliquum est, antequam gemmam nostram missam faciamus, imperitorum causa monendum esse videtur, non semper inter adversae gemmae inscriptionem et eam, quae in aversa legitur, nexum aliquem desiderandum esse. Interdum enim a recentioris alicujus manu gemmae literae sunt additae (549. 818); interdum ne lingua quidem in binis unius ejusdemque gemmae faciebus una eademque loquitur; ita ut nullus saepe inter utramque inscriptionem nexus appareat, maxime ubi in alterutra nonnisi precatio inscripta fuerit (*conferantur gemmae* §. 715. 779. 817. 825 *exhibitae*).



A Begero (*in spicil. ant. ed. II. p.* 48) primum editam hanc gemmam integram repetierunt actorum Lipsiensium docti scriptores (1693. *p.* 192. *tab.* 2. *fig.* 1); solam autem ejus posticam partem Montfauconius operi suo (*I. tab.* 162. *n.* 7) inseruit. „Qua tandem spe," Begerus inquit, „gemmam hanc lectoris oculis subjiciam, quum altera ejus pars plane nobis incognita sit?" Pariter Montfauconius (*p.* 250) „ita perplexam esse inscriptionem," censet, „ut legi ea non possit." Eruditi denique Lipsienses (*p.* 120) „omnium (gemmarum) maxime hanc Oedipo egere" censent, quippe numen exhibentem incognitum cum epigraphe nondum intellecta." De antica nimirum loquuntur viri illi docti. In postica enim verba haud obscura haec sunt: CHMEAHN TPEMOVCIN ΛΑΙΜΟΝΕC. Neque in literarum ΛΑ formis offendere quemquam arbitror, qui legerit quae supra (§. 202) disserui; neque in H pro E. 867.

Summo autem jure judicarunt illi difficiliora lectu et intellectu esse verba in antica exarata, atque ea legi posse dubito, nisi ab eo, cui familiares sunt corruptae literarum formae. In qui- 868.

bus quum semper aliquid dubii remaneat, ei facile cedam, qui meliorem proponet lectionem, quam haec est:

ΛΕΙΑ	CYPIA	ΑΤΡΑΓΑΤΕ	TEC	ΑΧΑΙΑC
Θεα	*Συρια*	*Αταργατις*	*της*	*Αχαιας*
Dea	*Syria,*	*Atargatis*		*Achajae.*

De dubiis literarum formis satis superque jam disserui ostendique L legendam Σ esse (§. 198. 200. 712. 723), Λ autem non nunquam Α (§. 188. 198. 204. 526. 580), et X pariter (§. 198) atque Χ pro Α (§. 193) poni. E inter T et Σ non nisi vocalis esse potest, quam E haud sine causa (§. 198. 200. 202. 222. 427. 562. 576. 753) legi. In extremo denique charactere, utpote ex pluribus literis composito, non nisi conjecturis locus est. Quem quum AXA praecesserit, equidem IAC illo contineri suspicatus sum. Sed sua quilibet sponte videbit non nisi meris conjecturis adnumeranda esse quae sic a me sint explicata. Quo magis enim ipsa literarum potestas dubia est, eo minus certa esse verba possunt quae ex illis eliciamus. Attamen prior inscriptionis pars minus incerta esse videtur, quam posterior. Vix enim erat quod dubitaret Begerus, quin ab initio Dea Syria intelligi possit. Corrupta nimirum in verbis illis *Δεια Συρια* scribendi ratio minime est insolita, siquidem Δ pro Θ non semel reperitur (*Scholz. curae crit. in evang. p.* 61. *Smith opusc. in app. Palm. p.* 40. *Gorii inscr. Etr. III.* 326. *Festus v. Deus*) et EI pro E poni, ut *ειαρ* pro *εαρ*, aliaque ejusdem generis (*Salmas. inscr. Herod.* 118. *Damm lex. v. μελας p.* 1364)

notissima res est. Unde confidenter *Θεα Συρια* substituimus, in cujus honorem lapis quidam (*ap. Murator.* 94, 9) Latine est inscriptus DEAE SYRIAE SACR. Eo minus perspicitur cur offendiculo fuerint Montfauconio (*II. p.* 415) in alio lapide verba *natione Syria.* Syrius enim non tantum apud Plinium et Svetonium, sed apud optimos etiam scriptores, Virgilium, Tibullum, Propertium, et ipsum Ciceronem legitur. Ita neque a Graecis semper *Συριακος* scribitur, sed etiam *Συριος*, ut *Συρια χλαινα, Συριοι αὐλοι* (*Pollux* 7, 61 *et* 4, 82); quin Strabo quoque (*L.* 16. *p. m.* 863) „*Αταργατιν την Συριαν θεον*" memorat.

869. Imaginem quod attinet neque triplex facies, neque habitus figurae virilis (§. 870) nos morari potest. Plures nempe vices sustinuisse illam deam constat (*v. Selden. de diis Syr.* 2, 3). Non enim solum Astaroth, Astarte (*Minuc. Fel.* 6, 2) et Atargatis promiscuae nominantur, ita ut quos Macrobius (*Sat.* 1, 23) deos Adad et Adargatin dicit, hos eosdem Sanchoniathon (*ap. Euseb.* 1, 7, 10. *p.* 38) nominibus *Αδωδου* et *Ασταρθης* proferat; sed plures etiam deae eodem nomine *Syriae* veniunt (*Salmas. ad. Solin. p.* 574), unde libri de dea Syria auctor, qui Lucianus perperam, ut mihi videtur, appellatur (*c.* 14. *Op. T.* 9. *p.* 96) omnino incertus fuerit, cuinam deae adscribenda esset ea, quam Hierapoli ipse viderat. Similiter Plutarchus (*in Crasso p.* 553) „dea, quae Hierapoli colitur" inquit „aut *Venus* est, aut *Juno*, aut *Natura* - - diversa enim diversi sentiunt" (*Add. Orphei hymn.* 54. *Psell. ap. Lambeccium in*

prodrom. p. 115. *Procl. ap. Cleric. op. philos. I.* 381. *Montfauc. II.* 386. 387. *Mus. Chiaram. p.* 15. *et Creuzer. T.* 2. *p.* 62). Neque ignota sunt panthea, ad quae, si quid video, ipsa gemmae nostrae tam imago, quam verba spectant. Licet enim multi disputarint de eo quod intersit inter varia veterum numina; magis tamen verum vidisse arbitror eos, qui cum Appulejo faciunt. Is enim Isidem (*metam. XI. p. Oudend.* 762) ipsam loquentem inducit, e cujus verbis, quantumvis decantatis, posteriora tamen, quoniam ad gemmae nostrae interpretationem conducere possunt hic loci inseruisse, non abs re fuerit: „Me (Isidem) primigenii Phryges Pessinunticam nominant deûm matrem; hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam, illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem: Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam; Siculi trilingues Stygyam Proserpinam; Eleusinii vetustam deam Cererem: Junonem alii, alii Bellonam, alii *Hecaten*, Rhamnusiam alii" cet. Quibus denique adde, quas paulo ante (*p.* 753) idem Appulejus finxerat asini ad hanc deam preces.

870. Nec magis erat quod offenderet Begerus in virili (§. 619) deae Syriae specie. Utriusque enim sexus eam fuisse et Seldenus (2, 4) et Vossius (*idolol.* 2, 76) docuerunt. Id quod sane concedet, qui haud ignoraverit eandem Minervae, Lunae, Cereris, Cybelae, et Veneris personas sustinuisse, quarum unaquaeque ἀρσην και ϑηλυς dicebatur (*Orphei hymn.* 8. 31. 35. 41. *Spartianus in Caracalla c.* 7. *Macrob. Saturn.* 3, 8. *Cuperi apoth. Homeri p.* 227).

Certe modius, quem nostra in capite gerit, quemque tam Cererem (*Spanh. ad Callim. p.* 651), quam Hecaten (§. 616) gestasse legimus (*Euseb.* 3, 4, 11. *p.* 113), illi cum Diana Ephesia communis est. Omnem denique dubitationem Begero demere debebat columba in altera gemmae facie in aedificii cujusdam tecto insidens. Nemo enim ignorat, Syris sacram hanc avem fuisse (*Diodor.* 2, 4 *et* 21. *Lucian. c.* 14. *p.* 96. *Tibull.* 1, 7, 18). Quod quidem aedificium Begerus et Montfauconius pro templo habuerunt; sed similior videtur turri, mihique haec imago in mentem revocat Ovidii (*metam.* 4, 43) versus:

> *Illa quid e multis referat (nam plurima norat)*
> *Cogitat et dubia est, de te Babylonia narret*
> *Derceti, quam versa squamis velantibus artus*
> *Stagna Palaestini credunt celebrasse figura:*
> *An magis ut sumtis illius filia pennis*
> *Extremos albis in turribus egerit annos.*

871. Quod porro in inscriptione verba *Δια Συρια* sequitur nomen id ipsum *'Αταργατιδος* esse arbitror. Quantopere enim scriptores hoc mutarint, post Strabonem docuerunt Salmasius (*ad Solin. p.* 574), Seldenus (2, 3), Gyraldus (*Op. p.* 63. *sequ.*) et Vossius (1, 23). Legitur enim Adargatis, Adergatis, Adargidis, Adagartis, Atargatis, Atargata, Atarga, Artaga, Athara, Attagathe, quin etiam (*ap. Petr. Crinit.* 14, 8) Adagariis, et (*ap. Athenaeum* 8, 8) Gatis! Quidni igitur in nostra inscriptione illud ΑΤΡΑΓΑΤΕ

pro eodem nomine accipiamus, quum Syriae deae hoc ipsum esset (*Tertull. apol. c.* 24), pariter atque Astartes (*Cic. N. D.* 3, 23).

872. Sed multo major obscuritas inest in verbis quae sequuntur. Quorum in extremo quamvis nomen latere Ἀχαιας conjecerim, hoc ipsum tamen ambiguum est, quippe quod tum locum spectare possit, tum personam. Primum quidem tam regionis est proprium, quam oppidorum. Atque in Achaia, Pausanias (4, 31, 6) refert, ab urbibus fere cunctis Dianam Ephesiam celebrari, idque ab antiquissimo inde tempore (7, 2, 4). Quae quamvis ipsa Syria dea fuerit, si quis nihilominus adhuc dubitet, videat eundem scriptorem in Achaicis (7, 26, 3) *deae* etiam *Syriae* expressis verbis facere mentionem. Nihil igitur obstare mihi videtur, quin in gemma nostra ΘΕΑ ΣΥΡΙΑ (ΑΤΑΡΓΑΤΙΣ) ΤΗΣ ΑΧΑΙΑΣ dici potuerit. In ipsa praeterea Syria Appianus (*in Syriac. p.* 201) inter alias urbem etiam Achaiam nominat, atque aliam ejusdem nominis in Parthia sitam esse affirmat. In Parthia autem *Atargatin* cultam fuisse Isidorus Characenus (*Cellar. orb. ant. II.* 755) refert.

873. Quae quamvis speciosa sint argumenta, silentio tamen nolim praeterire Ἀχαῖας etiam Cereris cognomen esse (*Plutarch. de Isid. p.* 378. *Aristoph. Ἀχαϱν.* 706. *Suidas, al. Creuzer. IV.* 280. *et quod ad etym. Buttm. lexilog. II.* 84, 5. *p.* 120. *cum quo schol. ad Aristoph. confer.*). Et certe tria tantum nomina *Dea Syria*, *Atergatis* et *Achaea* conjuncta in gemma legissem, nisi insertae post

Ατραγατε tres illae literae, quae ΤΕΣ, ΤΙΣ, vel etiam ΤΩΣ forsan legi possunt, illi lectioni impedimento fuissent. Vix enim persvadere mihi potui nomen illud primo casu ΑΤΡΑΓΑΤΕΤΙΣ unquam fuisse scriptum. Pallas quidem, sive Minerva *Αχαΐας* nomine quoque venit (*Aristotel. de mirabil.*) atque illam sub deae Syriae nomine etiam comprehensam fuisse Seldenus (2, 2 *et* 3) docuit: si quis vero *Αχαΐα* legere maluerit; certe Cererem intelligat necesse est. Tota enim gemma Boeoticum potius Cereris Achaeae cultum, cujus Plutarchus meminit, quam Minervae sapit. Nec fore quemquam arbitror, qui Semelam, in altera gemmae facie memoratam, cum Matre Magna, sive Ope, sive Cybele, quae pariter atque Ceres (*Euseb.* 5, 7, 13. *p.* 201. *Laur. Lyd. de anno et mens.* 34. *p.* 128) et Atargatis (*Curnut. de nat. deor. c.* 6. *p.* 146), dea Syria est, conferre possit, nisi ad Boeotos respexerit. Macrobius enim (*Saturn. I.* 12) postquam a Cornelio Labeone acceptum retulerat „eandem esse bonam deam et terram" (*conf. Pausan.* 1, 31, 2), haec addit: „sunt qui dicant, hanc deam potentiam habere Junonis; ideoque sceptrum regale in sinistra manu ei additum. Eandem alii Proserpinam credunt, porcaque ei rem divinam fieri, quia segetem, quam Ceres mortalibus tribuit, porca depasta est: alii *χθονίαν Ἑκάτην: Boeoti Semelam credunt.*" Ex quorundam enim opinione *Σεμέλη*, pronuntiatione paululum variata, a *Θεμέλη*, *Tellus*, est dicta (*Laur. Lyd.* 38. *p.* 198). Erant praeterea (*ap. Lucian. c.* 16. *p.* 98), qui templum Hierapo-

litanum a Baccho *Semelae* filio conditum esse contenderent. Quibus sane locis illa quoque in postica gemmae facie inscriptio *Σεμελην τρεμουσιν δαιμονες* illustratur. Quumque simili ratione Theocritus (*Id.* 2, 12) de Hecate canat *ταν και σκυλακες τρομεοντι"* cet. et Macrobius ab aliis, scribat, deam illam pro *Semela*, ab aliis eandem pro *Hecate* acceptam esse; in antica etiam gemmae imago *tribus* picta faciebus magis intelligitur. Ipsum itaque monimentum plures confusas apud veteres de dea Syria opiniones una complectitur; cui si minus Oedipus ille, qnem Lipsienses desiderarunt, fuisse videar, majorem tamen ei, quam adhuc habuit, me lucem attulisse opinor.




874. Libenter hanc gemmam a Capello (222) et Montfauconio (*I. tab.* 76) editam hic repeto, quum nemo unquam verbum ei inci-

sum explicaturus sit, nisi ad depravatam scribendi rationem judicium suum intenderit. Nullo quidem negotio in imagine agnoscitur Mercurius biga vectus, cui duo galli gallinacei juncti sunt. Istud enim animal huic deo sacrum fuisse nemo ignorat (*Lucian. gall.* 2 *et* 28. *T.* 6. *Bip. p.* 291 *et* 333. *Albric. c.* 6. *ap. Muncker. II. p.* 307): quo etiam factum est, ut in gemmis (*Delect. gemm. duc. Marlbur. I.* 36. *Montfauc. I. tab.* 68. 71. 72. *sequ. Suppl. I. tab.* 37. 38. *Wilde. gemm.* 111. *Mus. Corton. tab.* 32. *Gorii inscr. Etr. I. tab.* 3. *Winckelm. catal. p.* 90. *n.* 386. 390-392. 397. 398. 404. *p.* 98 *et* 100) perinde atque in numis (*Begeri spicil. p.* 35) et marmoribus (*Apiani inscr. p.* 422. *Velseri op. p.* 367. *Gruter.* 51, 1. *Murator.* 48. *Donii inscr. ad p.* 21. *M. A. V. N. tab.* 50) aliisque in monimentis (*Montf. V. tab.* 166. *Beger. thes. III.* 448) adstans Mercurio insculperetur gallus vel comes, vel pugno ejus insistens (*Choul. rel. Rom.* 142), vel etiam sola sub Mercurii virga positus (*Mus. Flor. II. tab.* 91. *n.* 5. *Liceti gemm. p.* 235). Sunt etiam gemmae, in quibus pariter atque in nostra Mercurium duobus gallis vectum videmus (*Pierr. grav. du Duc d'Orleans I. tab.* 21. *Winckelm. catalog. p.* 92. *n.* 403). Quanti autem fecerint hoc galli gallinacei Mercurio tributum symbolum, sive eloquentiam eo denotari Luciano auctore (*Op. T.* 6. *p.* 291), sive vigilantiam volueris, praesertim ex gemma (*ap. Augustin. n.* 199. *Mus. Flor. I.* 71) elucet, in qua multo major gallus, quam ipse Mercurius est; unde lectoribus considerandi ejus copiam pagina versa fecimus:



875. Vigilantiam inprimis gallis notari ante (§. 692) monui, et ad hanc eorum virtutem respicere etiam videtur inscriptio IPHIOPEI, quam evidenter explanari ego mea fide spondeo substituto verbo *γρηγορει*, *vigila*. Ita apud Romanos, teste Servio (*ad Aen.* 8, 3), qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus, primo ancylia commovebat, post hastam simulacri, dicens: Mars *vigila!* Atque in mentem quoque illud *γρηγορει* nobis revocat *ἐγρηγορους* angelos a Chaldaeis עירין appellatos (§. 459). Meam autem hujus gemmae interpretationem veram esse, ut mihi omnino persvasum est, ita facile intelligo non nisi depravatam scribendi rationem philologis, quotquot gemmam a me propositam viderunt, impedimento fuisse, quo minus verbum illud intelligerent. Certe Mont-

fauconius (*I. p.* 132) ad hanc non annotasset gemmam „literis ei inscriptis nihil significari;“ si compertum habuisset saepissime Jod pro Gamma scriptum reperiri (*conf. in f. append.*) cujus rei causa unice in leniori hujus literae appellatione est quaerenda.



876. Ad hanc a Molineto (*tab.* 28. *n.* 11. 12) editam gemmam ille quidem (*p.* 122) illustrationis causa nihil attulit, sed tantum barbarum in ea inscriptum esse verbum observavit. Mihi vero *duo* verba in inscriptione latere videntur, eaque breviata. Quumque ad imaginem, de qua supra (§. 728) egimus, respicerem, in mentem venit illud Callimachi *ἐπι της λεοντειας δορας* fragmentum (*Spanh.* 35. *p.* 284):

– το δε σκυλον ἀνδρι καλυπτρη

Γιγνομενον νιφετου και βελεων ἐρυμα.

Unde conjeci quidem *ΣΚΥΛον* legendum esse. Sed quod sequitur ΘΡΟΗ eo difficilius cum priori verbo conjungi potest, quo negligentior Molinetus fuit, qui quamquam in gemma hasce lite-

rarum formas ΘΡΟΗ ediderat, nihilominus ΕΡΟΗ legit! Atque hoc modo secum ipsos pugnantes viros doctos non semel (§. 779. 780) deprehendi. Fieri igitur non potest ut certam interpretationem illius afferamus verbi, quod forsan *ΗΡΟΗκον* pro ἡρωικον legendum. Ad heroicum enim illud tegumentum adspirat Hercules leonem suffocans.

877. Omnis autem illa explanatio corruat necesse est si litera, de qua suspensos nos Molineti negligentia tenet, verum in gemma Θ est. Quo posito, nisi Copticam esse inscriptionem statuere liceat, ne conjecturam quidem afferre possum. Illud nimirum notatu dignum, Graecae voci σκυλον similem esse Copticam ϢΕΑ sive ϢΩΑ. In qua quum prima litera Ϣ Graecarum una vix reddi poterat, literas ΣΚ pro ea positas esse eo magis suspicari licet, quo certius Coptitae ipsi Ϣ interdum cum Ϭ permutarint (§. 429). Si igitur σκυλ pro Coptico ϢΩΑ habueris; quod sequitur ΘΡΟΗ proxime accedit ad verbum illud ΘΡΟΥ, quod praegnans esse et plerumque ποιειν reddi supra (§. 595) monui. Attamen difficultas aliqua manebit in illorum verborum conjunctione, siquidem illud ΘΡΟΥ non nisi pro infinito aut imperativo modo sumi potest; et *spolium fac* sive *exuvias para* verba Herculi in gemma adscripta vix placere possunt. Silentio tamen praetermittere nolui quidquid ei, qui hoc aliquando aenigma soluturus sit, adjumento esse possit. Certe K illud in postica ter repetitum, quod in Hebraea inscriptione (§. 732) קדש, *sanctus*, interpretatus sum, ex Thebano-

rum dialecto aeque *sanctus*, praeposito articulo, voce KOYAB (*Georg. ev. Joh. p.* 456) explicari potest.



878. Servatur haec gemma in museo Brunsvicensi, ubi priorem hanc ejus faciem delineavi. Ex posteriori autem non nisi haec in schedis exscripsi:

ΓΟΥCA AIMWN
AOVKE (imago hic) NΘWΘ
CAB (Hecates) AWΘ
IAW


Quae si annotare neglexissem, de verbis *γουσα αιμων* in antica inscriptis ne conjecturae quidem locus fuisset. Jam vero quum haec inscriptio in utraque gemmae facie repetita exstet; illa verba ad

Hecaten spectare arbitror, nomina autem *Sabaoth Jao* ad monstrum illud, Solem repraesentans. Nihilominus linguae peritiores in auxilium advocare liceat, ut illud *γουσα*, quod a lexicis abest, explicare velint. Num forsan a nomine *γοης, γοησσα,* negligenter pronuntiatam *γουσα* est factum? Vel a verbo *γοαειν* id repetendum? Quod quum *lamentare, murmurare* sonet; magos quidem vocem non edidisse claram, sed murmurasse supra (§. 497) monui. Romani etiam pro Graeca illa voce *ululare* usurparunt: unde Circe (*ap. Ovid. metam.* 14, 405) longis dicitur Hecaten ululatibus orasse; atque Hecate ipsa a Virgilio (*Aen.* 4, 609) „ululata per urbes" fingitur. Num igitur ex illo apud Homerum (*Il. ε.* 413) *γοοωσα, γοωσα,* corrupta denique pronuntiatione *γουσα* factum fuerit? -- Facilius alterum Hecates cognomen *αἱμων* intelligitur. Theocritus enim (2, 13) Hecaten jam dixerat *ἐρχομεναν τεκνων ἀνα τ' ἠρια και μελαν αἱμα.* A reliquis explicandis omnino abstineo, totumque hoc aenigma solvendum me doctioribus relinquo.

ΟΔΟΥC
ΓΡΗΓΟΜ
ΝΗCΟΝ

879. Ad hanc in Jaspide exaratam inscriptionem (*Ficor. gemm. tab.* 6. *n.* 1) Galeotti (*p.* 40) duas proponit lectiones, vel *ὀδους γρηγο-*

ρων μνησον, vel *Ὀδουσα γρηγορου μνησον*, quarum neutra placet. *Γρηγο* quidem breviatam nomen esse puncto adscripto significatur: sed reliqua omnibus perscripta sunt literis, neque obscura ea esse arbitror, modo verba melius distinguantur (§. 553). Hoc enim negotio non rite curato interpretes saepe in errorem inductos esse vidimus (§. 221. 374). Equidem ita lego: *Ὁ δους Γρηγο(ριος): μνησον!* et verto: *qui dedit* (gemmam) *Gregorius* (erat): *commonefac* (hujus tu gemma). Hunc enim inscriptionis sensum esse persvasum habeo, quamquam lexica nostra imperativi a *μναω* exemplis carent.



880. Chnubidis, uti in hac gemma (*ap. Capell.* 105. *Montf. II. tab.* 151) conspicitur, imaginem admodum frequenter obviam esse

(§. 484. 487. 638. 781. 783) haud mirum videri potest, quandoquidem salutarem effectum ei tribuerat superstitio. Testis est Aetius (*tetrab. I. serm.* 2. *cap.* 36. *col.* 84) scribens: „quidam annulis Jaspidem viridem includunt, et *draconem radios* habentem in ipsa sculpunt ex praecepto Necepsi regis, qui prosit ventriculo." Eadem Galenus (*simpl. med. L.* 9. *c.* 4), ut sanioris erat judicii (§. 155), sic jam protulerat: „proprietatem non nulli lapidibus quibusdam testimonio suo adscribunt, qualem revera habet Jaspis virens, nempe stomachum adhaerens, ventrisque os adjuvat. Ac non nulli quoque ipsam annulis inserunt, scalpuntque in ea draconem radios habentem (*conf.* §. 783); velut rex Nechepsos memoriae prodidit in quarto et decimo libro. Sane hujus ego quoque lapidis abunde feci periculum: torquem enim ex ejusmodi lapillis confectum a collo suspendi, ita ut lapides os ventris contingerent. Apparebant autem nihilo secius prodesse, etiamsi sculpturam non haberent, quam praescripsit Nechepsos." Antiquitas igitur hujus amuletorum generis satis manifesta est, quum Nechepsos rex Aegypti Petosiridis aequalis ineunte Olympiadum serie, ut ferunt, vixerit (*Fabric. bibl. Gr. II.* 517. *conf. de eo Creuzer. I.* 396).

881. In inscriptione apud Capellum et Montfauconium penultima litera negligenter est incisa. Equidem Cassellis inspiciendae gemmae copiam nactus literam A restitui. Verba illa legi posse negat Montfauconius, quamvis lectu quidem facillima; intellectu autem difficillima sint, adeo ut, qui eloquendi rationis in ejusmo-

di monimentis (§. 505, 506. 510. 723. 803) non satis fuerit gnarus, vix Graeca ea esse concedet. Equidem tam verba distinguere, quam inscriptionem explanare hoc modo tentavi:

ΙΑΩ	ΙΑ	Η	ΑΒΡΑ	ΙΑΧΗ	ΙΩ	ΦΩΞ	ΑΩ
Ιαω	*ἰὰ*	*ἡ*	*ἄβρα*	*ἰαχὴ*	*ἰὼ*	*φως*	*ἀῶ*
Jao	*vox,*	*festivus*		*ille sonus: io!*		*salus!*	*sanitas!*

Videri possit *Ιαωια,* qua incipit inscriptio, nomen esse ex duobus coalitum. Origenes (*contra Cels. L.* 6. *p.* 297) inter nomina a praestigiatoribus *ἀπο των Ἑβραικων γραφων* ficta etiam *τον Ιαωια παρ' Ἑβραιοις ὀνομαζομενον* memorat. Sed suspicor, neque a Spencero, neque a Grotio, locum bene intellectum esse. Hic enim frustra *ἢ* inserendo correcturus erat *Ιαω ἢ Ια;* quod minime est opus. Distinguere enim Spencerus bina nomina debebat, siquidem Celsus, quem refutat Origenes, pro illo nomine nonnisi *Jao* protulerat. Ad quod hic respondens repetit *τον Ιαω, Ια παρ' Ἑβραιοις ὀνομαζομενον.* Compositum igitur tale nomen minus probans verba melius distincta *Ιαω ἰὰ, Jao vox,* verti. *Αβρα ιαχη* ad nomen Jao refero, quia ex Apollinis Clarii oraculi verbis (*Macrob. Saturn.* 1, 18) *ἁβρος Ιαω* hoc hujus dei cognomen fuisse patet; unde Proclus (*hymn. in Sol. v.* 26. *in Fabric. bibl. Gr.* 8. *p.* 511) inter varia Solis nomina *Αδωνιν ἁβρον* quoque refert. Jao enim Sol ipse erat (§. 463). - - ΙΩ pro simplici exclamatione (*Dio* 60, 19. *p.* 957. *Welcker. epigr. p.* 171) accepi. *Φωξ,* simili ratione atque *Μιθραξ* pro *Μιθρας* (§. 476), loco *φως* est scriptum. Ac fre-

882.

quentissimum hujus vocis usum in ejusmodi scriptis vidimus. Ita Sol φως κοσμου in sacris appellabatur (§. 578): ita distinguebant in inter φως νοητον et νοηρον (§. 470): ita in alia gemma (§. 803) conjuncta legimus verba φως, ἀνατολη, χθων, quae magis etiam abrupta quam in nostra inscriptione sunt. Quoniam autem saepe φως *salutem* etiam significat, hoc sensu vocem accepi. - - Αω. Hesychium secutus, a quo haec vox ὑγεια explicatur, verti *sanitas*. Quamvis enim neutiquam me fugiant quae viri docti ad illum Hesychii locum annotarint; saepe tamen observavi omnia ab eis reprehensa esse, quorum causam non perspicerent, quasi nihil unquam fuisset, quod ignorarent! Attamen apud optimos Graecorum scriptores voces sunt obviae, de quorum etymo multa quidem multi disputarunt, sed nihilo magis certiores facti sunt. Eo autem minus Hesychium, qui natione Aegyptius erat, in obscuris vel insolitis verbis reprehendere debebant. Hunc enim, si ab orco reduci liceret cum illis disputare et causam suam defendere, certe melius a Graecae linguae in Aegypto ratione et indole instructum videremus, quam omnes illos, qui proni fuerunt ad eum corrigendum. Neque hoc loco effugium istis patet, quod plerumque habent, librarii culpa mendum irrepsisse, siquidem Phavorinus prorsus eadem Hesychii verba repetit. Ingenue equidem fateor, quod ad voces minus usitatas, vel eas, quas optimi scriptores non supeditent, Hesychii apud me auctoritatem majorem esse, quam criticorum qui negent voces illas unquam auditas fuisse.

ΜΝΗΣΘΗΘΕΟΓΕΝΕΙΣ.

883. Inscriptionem hanc esse in gemma, cujus imago murem, qui aliquid rodit, repraesentet, Winckelmannus (*catalog. p.* 553. *n.* 118) refert. Neque sententiam, quae in gemma latet, ille eruere potuit, neque Christius (*p.* 291. *n.* 106) inscriptionem intellexit, quippe qui perperam verba sic diviserit: *μνησθησε Ογενεις*, omnino scilicet ignorans in permultis gemmis vocem *μνησθη* esse obviam nihilque dubii eam praeter formam habere posse. Ita in gemma quadam legitur *μνησθη Ολυμπιας* (*Gorii inscr. Etrur. I. tab.* 9. *n.* 3. *Mus. Florent. II. tab.* 12. *n.* 3) vocandi nimirum casu; siquidem viri imago in gemma addita eum, cujus memor esse illa jubetur, supplet. Perperam enim Raspeus (*n.* 10431) exhibuit *Ολυμπιαε*, sigmate nempe quadrato (Ϲ) pro E lecto. In alia est *Συν-μαχος μνησθη Ακυλα* (*Id. n.* 982), qui secundus nominis *Ακυλας* est casus. In alia (§. 886) *μνησθη Ευτυχι* cet. Ex quibus omnibus apparet, ejusmodi gemmas in memoriam rerum vel hominum esse datas, quarum permultae in museis asservantur, quaedam etiam superioribus locis (§. 19. 22) a me sunt laudatae. Nec dissimiles sunt illae in quibus manus incisa est, vel aurem vellicans (*Mus. Florent. II. tab.* 22. *n.* 2. *Winckelm. catal.* 516. *Montfaucon. Suppl. III. tab.* 65 *ex Spon. misc. Ficoroni p.* 36. *n.* 12. *Rasp. n.* 8329 – 8333. 15477. *conf. I. Grimm Deutsche Rechtsalterth.* 145), ut in hac, quam subjicio:



vel annulum tenens (*Capell.* 203. 205. 206)



cum inscriptione MNHMONEYE (*Ficoroni tab. V. n.* 12. 8121) vel per compendium scribendi MNMON (*id. n.* 15477) vel etiam una

cum nominibus propriis (*Ficoron. p.* 37) *Μαιανε μνημονευε Μεθης:* quamvis enim *μεθη* sonet *ebrietas;* hoc tamen loco nomen feminae proprium esse cogitur, quod haud semel in Latinis inscriptionibus (*Murator.* 1178, 4. 1567, 6) *Methe* scribitur. Multae praeterea sunt gemmae, in quibus legitur *μνησον* (*Ficoron. tab. V. n.* 5. *p.* 34. 40. 45), quas omnes memoriae gratia datas esse patet. In Latinis aeque legitur: *Memento* (*Capell. n.* 93).

884. Illud igitur *μνησθη* haud dubie significat *memento* sive *recordare.* Formam quod attinet iisdem quidem literis tertia aoristi primi conjunctivi scribitur, et certe in lapidis cujusdam tituli (*ap. Boldett.* 456, 3. *Murator.* 1836, 6) verbis *μνησθη αὐτου ὁ θεος ἰς* (*pro εἰς*) *τους αἰωνας* haec vox aliter accipi nequit: in illis autem gemmis imperativum intelligo pro *μνησθητι* per syncopen scriptum Graecis satis familiarem, qui pariter *ἱστη* pro *ἱσταθι* (*Fischer. ad Weller. II.* 455) posuerunt, aliorumque verborum imperativos modos ita breviarunt (*Matth.* §. 205. *n.* 5. *p. m.* 269).

885. Sed ad gemmam nostram ut redeamus, eo minus recte a Christio verba divisa esse persvasum habeo, quo magis abditus in eis latere sensus videtur, id quod ex *muris* imagine et nomine proprio colligo. Cujus terminatio in *εις* corruptum genus scribendi jam indicat. Equidem suspicor gemmae auctorem designare voluisse Diogenem, praeceptumque a mure ei traditum. Ita enim Plutarchus (*de profect virt. p.* 77): „Diogenem memorant Sinopensem quum philosophari coepisset, ac forte Athenienses festos age-

rent dies, epularenturque splendide, - - in cogitationes incidisse, animum ipsius non leviter ab instituto avertentes, reputantem nulla se necessitate vitae genus laboriosum atque a communi usu alienum instituisse, ac se ipsum omnibus bonis privasse. Ut vero *murem* arrepere, et circa micas mazae obversari vidit (*ειτα μεντοι μυν τινα προσερπυσαντα λεγεται περι τας ψιχας αυτου της μαζης αναστρεφεσθαι*) animum rursus erexisse ac se ipsum increpasse: o Diogenes! hic reliquiis tuis laetus vescitur: tu vero praeclarus scilicet homo te ipsum deploras," cet. Nonne igitur muri reliquias rodenti apprime convenit inscriptio *μνησθη Διογενους?* praesertim si philosophiae studiosis gemmam traditam fuisse fingamus. Mihi quidem imago satis probat *Θηογενεις* corrupta scribendi ratione positum esse pro Dorico et Jonico *Διογενευς*, vulgariter *Διογενους*. Similiter Dorica est mutatio literae Δ in Θ, quare in Aegypto etiam *ἀρχιμανθριτης* (§. 431 *f.*) scribebatur, neque in libris scriptis rara haec est commutatio (*Scholz cur. crit. p.* 61), quam quo minus in nomine illo proprio mirentur imperiti legant sententiam Soloni in marmore (*Mus. Clem. VI. tab.* 22. *a*) adscriptam ΜΕΘΕΝ ΑΓΑΝ.

MNHC
ΘH
EYTYXI
ΠETPA
CAKPA
ΘA

886. Hanc in gemma quadam, a Sponio (*misc. p.* 297. *n.* 19) publicata, inscriptionem Montfauconius (*II. tab.* 164. *p.* 368) observat, partim Graecam esse, partim Latinam, ejusque sensum accurate vix quemquam assecuturum; vertit tamen: *Memineris Eutychi petrae sacratae.* Minime enim rara esse exempla, quibus edoceamur, Graecos verba Latina, et Romanos Graeca, linguis suis immiscuisse supra (§. 374) ostendi, quapropter etiam vocem CANKTA Veneri adscriptam (§. 628) Graecum prodere auctorem conjeci. Sed ratio verba in gemma nostra scribendi, aeque ac sermonis vitium in illo *petra* pro *petrae*, homini inerudito tribuo. *Ευτυχι* autem vocandi casu e Latino *Eutychius* ortum esse videtur, similiter atque in alia inscriptione Graeca (*Corp. inscr. Berol. I. p.* 693. *n.* 1491) *Αντωνι χαιρε!* In lapidum enim titulis Graecum nomen *Ευτυχης*, *Ευτυχους* inflectitur (*Grut.* 781, 3. *Murat.* 1427, 5. 1671, 8. 2051, 1). Ad quaestionem denique, quaenam fuerit ista *petra sacrata* non nisi Latinum titulum (*ap. Gruterum p.* 49, 2) afferre possum, dicatum HERCVLI IN PETRA SACRata. Quumque vox petra etiam pro lapide usurpata fuerit (*Serv. ad Aen.* 4,

171. *Plin.* 37, 10, 56), lapis sacratus altare fuisse videtur, et quia jurejurando adacti id tangere debebant, inscriptionis forsan sensus est: *memineris jurisjurandi;* vel alius, si mavis, rei ad altare gestae.

CAPVT IV.

Inscriptiones Latinae.

887. Gemmarum inscriptiones, quas superstitio peperit, minor utique pars Latinae linguae debetur, neque haec semper Latinis literis scripta est, verum Graecis plerumque. Ex rarioribus autem illis gemma, quam hic subjungo,



a Montfauconio (*tab.* 155) post Sponium (*misc.* 297. *n.* 16) est edita. In verbis inscriptis modo spatia inter verba relicta retinueris et ita uti incisa sunt haec NVMEN DAEI ABRESSES legeris; orthographiam certe non meliorem reperies, quam in Graecis esse modo vidisti. *Daei* enim pro *dei* scriptum statuas, et *numen* in serpente illo erecto, in gemmae medio inciso, videas necesse est.

Ita enim in marmore quodam (§. 814. *et Graev.* 4. *p.* 1727) *Numini nympharum* inscripto" non solum tres nymphae aquam effundentes depictae sunt; sed *serpens* etiam, idemque erectus. Repetiit quidem Muratorius (*IV.* 1984, 5) inscriptionem, sed omissis imaginibus: quo fit ut genium serpentis specie repraesentatum esse nemo unquam ex solis verbis inscriptis augurari possit. Ego quidem istiusmodi negligentiam in viris doctis nunquam satis reprehendi posse censeo. Adjuvant enim verborum interpretationem imagines, imaginumque explicationem verba ipsis adscripta (§. 347. 450. 532 *sequ.*) id quod pluribus in hoc libro exemplis (§. 523. 547. 548. 566. 727. 738. 891) comprobatur. *Abresses* denique idem esse videtur, qui Graece *Αβραξας* sive *Αβρασαξ* scribitur. Varia enim scribendi ratione istud nomen prolatum esse supra (§. 453. 457. 596) vidimus. Sed erunt fortasse qui spatia inter verba relicta minus quam recte scribendi rationem curantes legere malint *Numen da ei Abresses.* Quo facto vocabulum *numen* explicari poterit *divinus adflatus* vel *auxilium.* Haud enim insolitam esse elocutionem *dare numen,* hic Ovidii (*de arte am. I.* 203) versus docet:

Marsque pater, Caesarque pater, date numen eunti.



888. Ad hanc gemmam Passerius (*I. tab.* 32. *II. p.* 79) haec quidem adnotavit: „Typum alioqui tritum commendat non modo artificium, quod exquisitissimum est, ut ex ectypo liquet; verum etiam inscriptio ejus, *in cujus gratiam sculpta fuit*, MAXPY.“ Sed praeter Passerium neminem esse arbitror, cui hujus nominis vir unquam innotuerit, utpote qui solis interpretis angoribus procreatus esse videtur. Recordatus igitur eorum, quae supra (§. 548) demonstravi, in gemmis saepenumero obvias esse sententias, quum verbis, tum imaginibus ita compositas, ut verbis solis sententia absolvi nequiret, nisi additis earum rerum, quae imaginibus exprimerentur, nominibus; valere haec in nostram etiam gemmam conjeceram, in qua quum Sol et stellae sint repraesentati ex

hisce imaginibus nomen ἀστερων inscriptioni etiam esse addendum, legendumque *ἀχρι των ἀστερων, ad sidera usque* nempe notus.

889. Prima enim litera M, quum singula atque remota a ceteris sit, nomen illius denotari mihi videbatur, cui gemma dicata esset. In Graecis etiam inscriptionibus sigla M haud semel pro *Μαρκος* obvia est (*Corsini p.* 45). Quod denique ἀχρυ scriptum sit pro ἀχρι neminem morari posse putabam, nisi eum qui omnino rudis atque ignarus esset inconstantis in veterum scriptis orthographiae (*Montfauc. pal. Gr. p.* 242. *Aesch. Pr.* 845. *Didym. rudim. Copt. p.* 40. *Sturz de dial. Alex. p.* 123), in quibus φυλων (1. *Maccab.* 7, 8) legitur et φυλοκρινει (*Fabr. bibl. Gr. IX.* 630), al. et Aeolice Ἀφροδυτη, δυκη, μυσος, cet. Neque in libris tantum haec harum vocalium permutatio frequens est; verum etiam in gemmis (*Ficoroni p.* 11, 49, 57), et numis, in quibus *Τυτος* legitur pro *Τιτος* (*Wilde tab.*24. *n.* 145). Quin in marmoribus quoque insculptum videmus *νατρος* pro *ιατρος* (*Reines. p.* 633. *n.* 69) *Γαυος* pro *Γαιος* (*Torremuza cl.* 5. *n.* 41), et si quis in verborum fine exemplum desideraverit, reperiet (*in Ursati mon. Patav. p.* 263 *f.*) tertio Graecorum casu positum notissimum nomen Ἀνουβιδυ scriptum. Ista vocalium commutatio mihi quidem adeo nota est, ut parum abfuerit quin μεχρι intelligerem pro eo quod scriptum est μαχρυ. Illud enim ipsum ab ἀχρι originem duxisse grammatici docent. Ejus vero, cujus gratia gemma sculpta esse videbatur, nomen quod abesset si quis urgere vellet, eum amandari posse ar-

bitrabar ad numum in honorem Gallieni cusum (*in mus. Flor. IV. tab.* 84), in quo idem Solis caput cum inscriptione *Genius P. R.* conspicitur, nec magis Galieni nomen additum, quamvis ipsum genium illum esse significatum voluerint. Ad confirmandam denique quam ceperam conjecturam multum faciebant similes in memoriam revocatae poetarum locutiones, ut Claudiani (*consul. Stil.* 3, 196)

nomenque ad sidera tollunt.

Virgilii (*Aen.* 7, 99)

Nomen in astra ferent - -

et (*ecl.* 9, 29)


Vare tuum nomen - -
Cantantes sublime ferent ad sidera cycni,

vel (*ecl.* 5, 43)

- - - - *hinc usque ad sidera notus.*

890. Haec ego quoad Graecas esse literas in gemma inscriptas putabam. Nunc autem, quum aeque Latinas illas legi posse viderim, priori interpretationi omnino renuntiavi. Legenda enim Solis imagini adscripta verba sunt, nisi omnia me fallunt, *MAXimo PYthio.* Atque *Pythius* quum non solum Apollinis, sed virorum etiam nomen fuerit (*Cic. offic.* 3, 14. *Plin.* 33, 10, 47. *Senec. de Ira* 3, 17); legere quoque licet *Maximi Pythii,* ejus nimirum, qui gemma ad obsignandum olim usus fuerit. Quum enim imaginibus nomina etiam propria saepe expressa fuisse dilucide (§. 523.

845) ostenderimus; conjicere licet Pythii nomen non literis tantum, sed capite etiam Solis sive Apollinis esse denotatum. Attamen haud repugnabo si quis, verbis *Maximo Pythio* lectis, Apollinem ipsum intelligere et gemmis votivis hanc adnumerare maluerit. Ceterum hoc, quod ipse nunc praebui, exemplo monitos esse velim obscuras interpretaturos inscriptiones, ne primam, quae ipsis in mentem veniat, explicationem pro unice vera habeant atque in ea acquiescant; sed mente potius animoque circumspiciant, maxime intermisso aliquo temporis spatio, an melior forte succurat obscurorum verborum sensus. Namque in eo praecepto et Apostolus, et Comicus conveniunt „*delectum para* tibi!"



891\. Nihil Passerius (*II.* 286) qui hanc gemmam publicavit, ad inscriptionem illustrandam attulit: neque fore quemquam arbitror qui istum desideret interpretem, quem ne vulgaria quidem et promta ad intelligendum explicare potuisse satis superque constet. Nostra contra inscriptio adeo est perplexa, ut paene desperassem

linguam eruere, cui verba essent tribuenda. Ex imaginibus tandem nomina in aversa gemmae facie inscripta Isidis et paguri primum divinavi, deinde verba aliqua Latina, Chaldaica alia deprehendi, ita ut circulatorem aliquem Judaeum hujus amuleti auctorem fuisse suspicarer, quum de hac gente Romanorum (§. 58) notum judicium esset

Qualiacunque voles Judaei somnia vendunt.

892. Quoniam autem maxima difficultas ex Graecis oritur literis, pro Hebraeis et Latinis adhibitis, ante omnia has illis substituendas esse duxi; deinde versionem subjiciendam, quo facilius praeter sermonis vitia ea etiam distingui possint, quae meliorem forsan interpretationem admittant:

ΑCΚΑ   ΒΕΡΚΑ   ΚΙΡΚΑ   ΕΚ   Α   CΙΓΝΩ
עזקא   בריכה   CIRCA   EC   A   SIGNO
Annulus   benedictus! Circa   haec   a   signo

ΠΡΑΙCΙΓΝΩ   ΚΑΜΜΑΡΑ   ΜΑΜΙΛΛΑΝΙΙ   ΟVΒΙ
PRAISIGNO   חומרא   MAMILLANI   . OVBI
praesigno   amuletum   Mamiliani   ubi


ΑΓΜΗΤΟ   ΒΟΡΜΕΤ   ΟΒ   Ο..ΒΟV   ΚΟVΜVΛΟΝ(V?)Μ
AGMETO   fORMET   OB   O..BOV   COVMVLOVM
augmento   format   ob   . . . . . ?   cumulum

ΙΨ   ΑΠΟVΤ   ΠΑΚΕΡΟ   ΙCΙΔΕ   ΠΡΟΠΟCΙΤΕ
IPS'   APOVT   PAKERO   ISIDE   PROPOSITE
ipsa   apud   pagurum   Iside   proposita.

Quae si quis non bene cohaerere dixerit, sciat memet ipsum hoc quidem non latuisse, sed satis habuisse aliquid saltem luminis perturbatae isti inscriptioni attulisse, cujus sententia clarior forsan eluceret, si lacuna in gemma aliquas literas non absorbuisset. Ad singula autem verba et orthographiam haec observanda esse videntur. Graecum alphabetum quum careat Latinis literis C, F et H; pro prioribus hic usurpatas animadvertimus K et B, H autem prorsus esse omissam. Hinc legitur *κιρκα*, *βορμητ*, *εκ*, pro *circa*, *formet*, *hec*. Diphthongus *ae* Graecorum more literis *αι* in syllaba *prae* expressa est. In voce *ιψ* (*ipsa*) omissam literam *a* videmus, quia, quod sequitur, *apud* ab eadem vocali incipit. Possessor amuleti *Mamillanus* appellatur, cujus nomen rectius forsan *Mamilianus* (*v. Gruter. in ind.*) scribendum. *Isis* et *pagurus* tam imaginibus, quam literis, notantur, atque hunc quidem sapientiae vel prudentiae symbolum esse novimus (*Spanh. I. p.* 167. *Beger. I.* 340). Cujus rei causam aperire videtur Aelianus (*N. A.* 9, 43). Ex verbis autem inscriptis inprimis molesta mihi fuit vox *καμμαρα*. Nam si a *camera* erant averruncanda mala; perspici nequit, quare in annulo, qui ad eam neque pertineret, neque semper in ea remanere posset, characteres sint insculpti. Conjeci igitur auctorem voce illa voluisse intelligi קמר vel חומר, *amuletum*. Namque in hoc ipso vocabulo variare scribendi rationem, ut modo *χαμαρ*, modo *καμαρ* legeretur, supra (§. 681) ostendi. Reliqua a quarto inde versu, quae praesertim

893.

sunt obscura, ad priorem gemmae faciem spectare videntur, ita ut voce *ubi* locum forsan designarit auctor, quo signatum a se esse amuletum dicit. Ita enim illud verbum *praesignare* intelligo, quod raro obvium est. Utitur eo Plinius, ubi (28, 4, 7) furunculorum scribit remedium esse, „incipientes eos ter *praesignare* jejuna saliva." Vocabulum *αγμητο* explicavi *augmento*, quia *cumulus* respondet augmento. Ipse Cicero (*ad divers.* 13, 62) „beneficium *cumulo augere*" scribit. Augmentum autem hoc loco ipsa *Isis* esse videtur *paguro addita.* Aegre fero literas in antica incisas a me non intelligi. Neque plura ad illustrandam hanc gemmam afferre licuit; unde qui melius conjecerit, hunc vatem perhibebo optimum.



894. Lamina haec aurea (*ap. Lambecc. in commentar. bibl. Caes. L. I. tab. I. n. 7. Nessel. in addit. p.* 174), cujus fata supra (§. 158) retuli, iterum documento esse potest, quam parum idonei sint

ad ejusmodi monimenta interpretanda doctissimi etiam viri, quippe qui rerum et formularum in amuletis plerumque obviarum prorsus sint ignari. Nota mihi sunt de illius laminae inscriptione judicia Kircheri, Lambeccii et Katancsichi, quos triumviros ante omnia audiamus. Ac primus quidem Kircherus, vir cujus judicium leve erat, eruditio eximia, audacia summa, hanc ad archiducem Austriae transmisit interpretationem (*Lambeccii commentar. I.* 193 *edit.* 2)

ILIADO HCT LAZIADIS IANTVRE DAMALMENEV
Hic stat Laziades uxor Damalmeneu
ABIATANABA IMALKI ACRAMV SVMARIAS
Abjatanaba regis supremi Sumariae
THOLB KAVBASON
dominatoris Caucasi.

Rationes autem singulas, quibus hanc interpretationem ex lingua tum Barbaro-Graeca, tum Graeca pura, tum Colchica etiam, et Turcico-Arabica erutam tueri conatus est hic exscribere nil refert, quum ne literas quidem bene ille legerit.

895. Sequitur Lambeccius, qui (194), postquam a Kircheriana interpretatione jure recesserat, „sibi videri," ait, „monimentum illud fuisse ethnici cujusdam *sacerdotis*, idque per secespitam, urceolum, ac pateram (in eodem sepulcro reperta) significari." Quibus deinde (195) addit „persvasissimum se habere linguam et literas incisas haud alias esse, quam quae temporibus imperatoris Anto-

nini Caracallae (hujus enim numisma simul cum lamina repertum erat) in Pannonia superiori fuerint vernaculae." Conjicit descriptionem esse ex illo *epistolarum* genere, quas Celtae defunctorum imposuerint rogis, ut ab illis in alia, post hanc, vita legerentur." Nemo autem non videt numum illum aliud nihil probare posse, nisi sepulcrum Caracalla non esse antiquius, minime vero hujus imperatoris aetate incisas esse literas.

896. Post hunc tertius interpres exstitit Matthaeus Petrus Katacsichus (*in specimine philolog. et geogr. Pannon. Zagrab.* 1797. 4. *p.* 89) qui priscas has literas Pannoniacas verbaque Illyrica esse contendens sic legit:

ΠAƆAL Ω IICT NAIAB
IZ. IANTVRRE. DAƆV CVA
ME NEV. A BRATA IVA
ZBA. A CRANƆI IIANIA
RI. ZVAM PIAIAZ. THOB. A
KLABA VEC,NA.

Latina hac versione (92) subjecta: „*Scriptum hoc est index pactorum limites esse vestros a porta augusta ad confines Pannonios: concordia vobiscum pax et gloria sempiterna.*" Quam quidem interpretationem ut comprobaret, multa congessit, quae apud ipsum legas malim, quum frustra eum laborasse mihi sit persvasum. Jam enim in literis legendis erravit, quum unam eandemque figuram modo pro B, modo pro D, aliam modo pro L, modo pro


R, modo pro Z acciperet. Ac ne unius quidem verbi sensum bene ab eo captum esse mox videbimus.

897. Equidem non nisi haec pro certis affirmare ausim, literas omnes, quatenus distinctas agnoscere licet, esse Latinas, neque Graecas Latinasque mixtas, ut Kircherus voluit, neque Pannoniacas, ut Lambeccius et Katancsichus putarunt: deinde, monimentum hoc verum esse amuletum. Quamvis enim non omnia me legere et interpretari posse videam, quum ne ipse quidem Lambeccius, qui laminam ante oculos haberet, omnes literarum ductus distincte videre potuerit, nihilo tamen minus ex eis, quae legi possunt, dilucide nunc probabo, amuleti vicem sustinuisse hanc laminam. Haud enim semel amuleta in laminis aureis et argenteis inscripta, et una cum defunctis eorum possessoribus sepulcris tradita fuisse supra (§. 158) docui. Sed haec leviora sunt: majoris momenti argumenta ex quibusdam verbis inscriptis sumi possunt. Ita in fine versus secundi et ab initio tertii comparent verba: DAMNA MENEV. Ad Ephesias literas ista pertinere, vel certe unius ex Idaeis Dactylis nomen iis contineri, eaque in alio etiam amuleto esse incisa, suo loco (§. 504) demonstravi. Subjecta est illis notissima (§. 580) formula: ABLA(na)TANALBA, in qua duas literas non hujus solum amuleti, sed globuli etiam crystallini auctor omisit (§. 156. 584). Deinde legitur ACRAMI HAMARI, formula (§. 681) haud minus nota, sed hic Latinis literis adhibitis corrupta. Vox SVAM, quae sequitur, sicut ipsa literarum for-

ma Latinum produnt auctorem. Conferri possunt in lapidis titulo anno post C. n. 279 exarato (*ap. Lup. Sev. mart. p.* 28) literae B et L pariter atque in lamina nostra ß et ɦ formatae. Jam vero quae ex verbis modo explicatis extorserint, qui ante me eorum interpretes exstiterunt, relegantur velim; et profecto

Si foret in terris rideret Democritus.

Patet igitur nihil proficere viros vel doctissimos in explicandis monimentis antiquis, nisi multa ejusdem generis viderint, eaque sedulo inter se comparaverint (§. 557). Reliqua vix audeo legere. Extrema autem vox videtur esse ABAVGEAT. *Abaugere* scilicet, infimae Latinitatis verbum, significat *Abigere* sive *Averruncare.*



898. Fragmen hoc illius laminae argenteae est cujus equidem, ut supra (§. 10) retuli, interpres quamvis frustra excitatus sum. At-

tamen summa id cura eademque forma, et magnitudine, qua monimentum ipsum, in lignum incidi, suppletis a versuum initio quibusdam literis, quas interiisse manifestum est. Quod quidem argentum adeo erat extensum et adtenuatum, ut quae stilo exarata, vel quasi in lamella impressa essent, eadem elata et caelata pagina versa comparerent. Neque aliter ita inscribi poterat pertenuis haec lamina, quam subjecta materia quadam molli. Color nunc quidem nigrescit, sed elatae in versa pagina literae, frictionem passae, colorem praebent argenti. Quo fit, ut clariores etiam conspiciantur quamvis retrorsum versae. Equidem in delineandis eis interdum dubitans pagina versa verae illarum formae certior factus sum. Plures huic monimento interpretando operam dederunt: quorum quidam non nisi divinando sensum eruisse sibi visi sunt, sed neutiquam eruerunt. Sic in Kolbii lexico Badensi (*I.* 96) legitur, „a quodam *Lucio Gellio* illud inscriptum et dedicatum fuisse genio loci *Than-Alba*, ut is filium Luciolum servaret." - - Scilicet ex formulae illius notissimae literis quibusdam abruptis *AblanaTHANALBA* genium illum loci finxerunt!

899. Alii hanc laminam epistolam esse putarunt. Atque haec fuit Preuschenii sententia, qui primus, quamvis non satis accurate, monimentum descripsit. Legit enim (*in libro: Denkmäler von alten Revoluzionen. Frankf.* 1787. *p.* 210):

Ad Ba(l) Fagel.F. O. Sl.
unni ja ja ja jai Sabaod

la Nathan Alba Acra
eme silam si singem
ngis ilo Jolio servate
um quem ipse perit leib
ab omni pereculo
axeilon o serva
Luciolum sc
u mecus s l m

atque mixta haec verba Latinis Hebraea sic vertit:

Ad dominum Fagel fratrem optimum salutem
unius Jehovae viventis Zebaoth
Nathan Alba colona
deme Silam si exosum
oculis vides illo Julio. Servate
eum quem ipse periculo liberasti
ab omni periculo
rogantem omnes. Servate
Luciolum servum
aegrotos (s. tabescentes) saluta.

Quae quantae sint nugae quilibet formularum in amuletis frequentissimarum gnarus probe videbit. Sed ex ipsa, in qua exarata est inscriptio, materia augurari potuisset Preuschenius, non fuisse has a Judaeo quodam ad fratrem missas literas, quippe quibus, brevi interituris, alia certe quam argentea charta adaptanda fuis-

set. Atque ne id quidem ille animadvertit, abesse ab initio cujusque versus complures literas, licet in eorum fine nihil desit. Jam signum in principio versus noni mutilatum, quod paulo post integrum redit, defectum in ceteris etiam versibus suspicari nos jubet. Atque fortasse in calce quoque manca est inscriptio, id quod verisimile reddunt characteris cujusdam reliquiae sub ultima C conspicuae.

900. Quae quidem lacunae quo magis observentur reminiscamur formulas illas in amuletis frequentissime obvias nobisque notissimas. Quo facto dilucide patebit abesse a versu tertio primas duas literas formulae solemnis *Ablanath;* deinde a versu quarto duas vel tres literas, quae vocem *Akrama* vel *Akramma* terminent, et primam insuper verborum aeque tritorum *Semes Ilam;* a versu denique quinto quatuor primas nominis illius aenigmatici *Pharanges.* Praeter hosce defectus verisimillimum est interiisse ab initio versus septimi literas, quae extremum in sexto verbum AEIB terminent. Quibus omnibus perpensis cogitur a reliquorum versuum unoquoque pariter complures abesse literas, quas eo magis desideramus, quo difficilior redditur hoc vitio integra monimenti interpretatio. Atque patet quoque omnino falsas esse interpretationes supra memoratas, quarum auctores, ne formulas quidem illas agnoscentes, ubique perversum eis subjecerint sensum.

901. Romani hominis in usum confectum esse hoc amuletum Latina docent verba inde a quinti versus fine haec: CEPOYATE

(*εο*)YM KOYEM ΠΕΠΕΡΙΤ ΛΕΙΒ(*εϱουμ*) AB OMNI ΠΕΡΕΚΟΥΛΩ, *servate eum quem peperit liberum* (filium) *ab omni periculo.* Ad rationem LEIBER scribendi pro *liber* conferas velim hunc lapidis titulum (*ap. Reines. p.* 923 *f.*) pariter Graecis literis scriptum: ΛΕΙΒΕΡΕ ΜΑΧΙΜΙΛΛΕ ΚΟΙΟΥΓΕ ΑΜΑΝΤΙCCΙΜΕ ΦΙΚΙΤ ΕΝ ΠΑΚΕ. In loco ubi reposui *εοYM*, nomen etiam fuisse conjici potest filii proprium. In octavo et nono denique versibus Latina haec leguntur CEPOYA . . ΛΟΥΚΙΟΛΟΥΜ CEI ⁘. forsan *Seium*, hoc enim nomen Romanum (*Gorii inscr. Etr. I.* 160. 344) est, et gens Seia e Cicerone, Varrone, Plinio, aliis, satis nota. Reliqua Semiticae linguae tribuenda esse videntur. Primum secundi versus verbum explico ענני, *exaudi* (§. 804). Character enim, a quo vox incipit, literae U similis, in Graecis modo O est (§. 198. 616), modo Ω (§. 198. 696. 721); idemque vocabulum in alio amuleto (§. 690) legitur. Quae proxime sequuntur IA IA IA IAI CABAΩΘ יה יה יה יהי צבאות vertenda sunt *Deus, deus, deus, deus mi, Sabaoth.* Illud IA ter repetitum aeque in alia gemma (*Rasp. n.* 295) reperitur, neque cabbalistis est ignotum (*Reuchlini ars cabb. p.* 76), qui in ipso Mosis amuleto id inscriptum fuisse fabulantur (*Fabricii cod. pseudep. II. p.* 119). Notissima quoque sunt, quae post illa leguntur a versu tertio inde nomina et formulae (*αβ*)ΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ (§. 580) ΑΚΡΑ*μα* (§. 680) *σ*ΕΜΕC ΙΛΑΜ (§. 561) CΗC ΗΝΓΕΜ (§. 576) *φαϱα*ΝΓΗC (§. 570). Deinde praetermissis quidem eis, quae diverso charactere scripta

ne legere quidem ausim, ad verbum, quod sequitur, servate, plurali numero prolatum, observo, conjecturam meam, multa illarum formularum aut cognominum in nomina propria sensim abiisse (§. 576) confirmari hoc verbi numero.

902. Terminatur inscriptio, modo integra sit, literis CAM, quas שלם, Latine *perfecit*, interpretor. Nomen, quod praecedit MEPKOYC, Romano *Marcus* simile, famosi fortassis illius Marci est, a quo Marcosii dicti sunt. Literarum sane forma non obstat, quo minus illius temporibus verba sint scripta: in illis praesertim ad characteres Λ et M, qui tot pepererunt errores (*Welckeri epigr. Gr. praef. p.* 37, *cui add. Misc. Lips. nov. I.* 476), attendas velim. Namque simili harum literarum figura Marcosios usos esse testatur Irenaeus (1, 16, 2. *p.* 82) tradens, ab illis contendi literam M (λλ) ex duabus Λ (λ) compositam esse. Quae tandem praeter literas conspiciuntur notae sunt astrologicae. Certe illud ☍ inter adspectuum, ut vocant, signa (§. 333) numeratur, et *oppositionem* denotat. De hoc ❈, supra (§. 336. 758) egimus.

Jam vero eis, qui usque ad finem librum aequo animo perlegerunt, quorum quidem numerum exiguum esse puto, meritam gratiam debitamque refero. Haud enim me praeterit quod Plinius (*in praef.*) scripsit „rem esse arduam *fastiditis dare gratiam, dubiis fidem, obscuris lucem.*" Nec profecto si aliis placendi studio flagrassem ego hoc potissimum argumentum elegissem, quod sane

illis, qui cane pejus et angue quidquid barbarum sonat vitant, nunquam arridere posse aeque sentio. Veruntamen bonos decet agricolas neque illos negligere agros, in quibus

Infelix lolium et steriles nascuntur avenae;

immo tanto diligentius isti sunt colendi, quo majori opus est cura, ne istorum etiam ullus fructus non edat. Ac si quis dixerit, amuleta ad id genus rerum referenda esse, quod impune ignorare liceat: minime tamen de iis, quae illorum explicandorum studio ad omne barbare scribendi genus passim observavimus idem statuere poterit. Nec fore arbitror, ut qui melioris etiam generis monimenta tractent philologi, in his ipsis omnia intelligant, nisi barbaris tandem edocti fuerint, quousque ab elegantia sermonis et recte scribendi ratione interdum aberraverint homines. Sanae enim mentis nemo unquam sibi persvadebit fuisse vel inter varia monimentorum tempora, vel inter varia hominum scribentium genera, fines exactos et praecisos, quibus transgressis summae illi sermonis elegantiae illico successerit summa ejusdem barbaries. Quae si sensim prodiit, fieri vix potuit, quin barbara vel corrupta quaedam in melioris quoque generis monimentis obvia sint, quibus ipsis viri illi attoniti et perturbati impediantur, quo minus verum videre possint. Quare quidquid obloquantur quicunque labores illos despiciant, equidem cum Plinio iterum sentio *„peculiarem in studiis causam esse eorum, qui difficultatibus victis utilitatem juvandi praetulerint gratiae placendi.“*

LIBELLVS INDEX.

(50)

PRÆMONENDA.

Libellum hic subjungo indicem, eumque integerrimum, minime quosdam imitatus scriptores, qui negligentibus vel parcis similes patribus liberos dimittunt supellectile non satis instructos; quo fit, ut, ubicunque in subsidium hos advocare opus sit, ad juvandum minus deprehendantur idonei vel utiles; saepe non sua, sed pigri tantum parentis culpa. - - Usum quidem hujus repertorii non est quod demonstremus, hoc tantum monentes numeros non esse paginarum, sed paragraphorum. Unde hos etiam in superiori unius cujusque paginae loco per totum librum annotandos curavimus. Summa enim est negligentia eorum, qui quamvis ipsi in libris suis non paginarum, sed paragraphorum numeros laudent, hos tamen in columnarum, ut vocant, titulis imprudenter omittant, quo fieri non potest, quin molestum ac taedii plenum quaerendi negotium reddant, et in maledictionem lectorum saepe incurrant. Praeterea hic noster index opportunus et accommodatus videbatur ad inserenda suis locis quae addenda essent vel corrigenda. Paragraphorum, ut hoc exemplo utar, numeros (§. 493 f.) Apollonio

adscriptos qui falsos esse deprehenderit, veros reperiet quaesito illo nomine in indice. Pejora autem alia forsan irrepserint menda. Iste scilicet homuncio, qui hunc librum formis descripsit et hosce nunc conserit typos, ne verbum quidem intelligit Latinum, multo minus Graecam linguam, Hebraeam, vel Copticam. Unde facile collegeris, quousque fastidioso corrigendi negotio detentus, et ingrata cura fere oppressus fuerim; praesertim quum nemo in hujus urbis officina linguae gnarus illi labori suscipiendo par esset. Multum enim abest ut Mannhemium, omni quidem voluptatum et oblectationis genere abundans, cum Athenis comparare possim. Quamvis igitur operarum errores correxerim innumeros, quorum in quolibet fere versu complures erant, nihilominus passim in eis offenderis. Ita me quidem fugerat p. 69 *illud* fugat *pro* fugiat, *p.* 52 magna odio, *p.* 71 consribuntur, *p.* 177 sinistrorums, *p.* 189 literae eadem, *p.* 220 protuerit, *p.* 383 appendix qui, *p.* 401 corrumptam, *p.* 520 exprimerent(ur), *p.* 575 recupereret, *p.* 624 sacrophago, *et in P. II. p.* 160 *f. absurda distinctio verborum* Leich. sepulcr. *alia. Sed ista minus curo, quandoquidem nemo non ad veras literas verba revocare poterit. Magis solicitus de erratis sum mihimet ipsi imputandis, quibus ignoscere lector velit aequus.*

LIBELLVS INDEX.

F.

persuasum habnit Montfauconius §. 606. conf. Ιουδας.

Jndaei et Phoenices idem olim populus §. 111. nuncupantur interdum Phoenices §. 470. Assyrii et Syri §. 111. per varias terras dispersi magnam Aegypti partem inhabitarunt §. 342. dispersionis causa §. 343. ipsi magnifice de gente sua loquuntur §. 751. insociabiles, neqne grati Romanis erant §. 343. superstitiosi §. 477. et impostores in nomine Jesu daemones adjurant §. 494. incantationibus utuntur §. 78. 79. somnia vendunt §. 58. amnleta fabricarunt §. 891. id quod eis interdictum a Galliae rege §. 58. amuletis ipsi usi hodieque inter eos puerperae utuntur §. 58 sequ. Hebraeorum characternm nescii §. 177. eorum princeps Michael angelns qni ipsis Mercnrius erat §. 746. 747. 752. num asininum caput sacrarint? §. 836. eorum ritus cum Dionysiacis Plutarchus comparat §. 466.

Jndaeus Typhonis filins §. 837.

Judex quo modo ab Aegyptiis pictus §. 757. favorem judicum conciliat Haematites §. 153.

Julius mensis praesidio gandet Cancri Zodiaci signi §. 320. et Jovis §. 324.

Junius meusis praesidio gaudet Geminorum in Zodiaco §. 320. et Mercurii §. 324.

Juuo diade notatur §. 275. aer ei tribuitur §. 524. tutelam gerit Aquarii in Zodiaco §. 320. 324. et mensi praeest Januario §. 324.

Jupiter ejus nomen numero expressnm §. 230. 231. Jovis et Jehova ab una eademque radice exorta esse videntur 463. trecentis nominibus Jupiter appellatus §. 114. ejus oculus Sol dicitur §. 578. 661. una cum Cybele tutelam gerit Leonis Zodiaci signi §. 320. 324. praeest mensi Julio §. 324. ipse monade denotatur §. 275. saepe in gemmis depictus §. 277. 281. 282. 299. 318. agnis insidens §. 843. pluvius cum Nilo comparandns §. 597. conf. *Caelius. Jovius.*

Jnpiter planeta §. 277. 282. beneficus §. 241. 297. clarns color ei tribuitur §. 282. dignitates et honores affert §. 297. ejus donnm temperantia dicitur §. 282. Phrygio melo sonat et rythmum Omega efficit §. 288. in hominum senectute dominatur

sunt nomina, utebantur incantantes, quapropter et magica appellata §. 112. homines ex lingua sibi familiari interpretari tentant verba peregrina §. 116. 458. 474. 484. 647. 722. peregrinarum in amuletis adhibitarum causa §. 344. earum in iisdem varietas §. 340. quo fit ut quanam lingua condita sit inscriptio non nunquam dubium sit §. 552. 649. 652. 679. 774 f. 777. et divinandum §. 542. 651 seqn. 888 sequ. 891. conf. *Aegyptiaca. Chaldaei. Hebraea. Graeca. Latina. Phoenices.*

Λιωσλιον inscr. explicata §. 781.

Lipsius notatur §. 74.

Literae ex imaginibus sensim ortae §. 164. earum formam ipsam inspicere multum refert §. 550. 552. 584. quo spectant, eo versus etiam legendi sunt §. 208. qualiscunque formae sint eas nosse inscriptionum interpres debet §. 199. 447. 581. et accomodare ad eas interpretationem §. 6. minime ad fictas in verarum locum substitutas §. 1. 2. 550. 552. 854. non nisi imperiti eas, quae a vulgari forma recedunt, illico correcturi sunt §. 203. namque aliarum formam interdum mentiuntur §. 198. et imperfecta earum forma usu obtinuit §. 199. 200. 717. valde etiam depravata §. 202. 207. insuetae exempla §. 193. earum, quae in amuletis incisae sunt, lectio haud difficilis est §. 17. literas circumducere quid? §. 383. literae omissio §. 206. praesertim alterutrius geminatarum §. 383. conf. *Welcker epigr. p.* 174. literis numeri expressi §. 225. 299. notae musicae §. 253. 256. 288 sequ. planetae §. 253. 288. literis a sermone alienis multa sunt scripta §. 176 177. 430. 435. 436. 588. cur difficilius ea intelligantur §. 222. 347 f. 441. 656. vera linguae pronuntiatio illa scribendi ratione inobscuratur §. 169. literae inversae vel deorsum versae §. 24. 204. 211. 212. 542. peculiaris earum non nunquam est significatio §. 201. 204 f. literarum permutatio obscuritatem affert §. 378. 380. 409. quin falsum etiam verborum sensum §. 410. literarum transpositio §. 205. dispersarum exempla §. 216-218. junctarum specimina §. 731. 864. unciales in gemma §. 757. minutae §. 423. cursivae §. 715. litera ter repetita §. 267. 274

N.

O.

(62) *

T.

Z.

APPENDIX.

DE

LITERIS GRÆCIS,

ex variata verborum pronuntiatione inter se confusis.

Sunt quidem viri docti, qui in notissimis Graecae linguae dialectis omnem permutatarum literarum causam quaerendam esse sibi persuadeant. Et certe eorum in opinionem qui diligentius inquisiverit videbit singulari variarum gentium consuetudini multum *omnino esse tribuendum: id quod a Platone* (Alcibiad. I. Bip. V. p. 20. 21.) *jam perspectum est, nec male a Sexto Empirico* (1, 10. p. 255) *verba comparata cum numis sunt, quorum genera singula in singulis valent civitatibus. Quibus gravissimis ex Graecis scriptoribus accedit Romanus quoque Quinctilianus, qui* (1, 5), *postquam de consuetudine dixerat sermonis legem vincente, haec addidit:* „cujus difficilior apud Graecos observatio est, quia plura illis loquendi genera, quas διαλέκτους vocant, et quod alias vitiosum interim alias rectum est.“ — *Haec ille. Verba autem utrum viva voce prolata, an literis mandata fuerint, profecto ad rem nihil interest. Namque orthographia, plerumque pronuntiationem secuta, pro hujus va-*

riatione literas etiam variare jubet. Neque fore quemquam credo tam insanum, qui in Aegyptiorum (§. 361), *Nubiensium* (§. 364) *vel Siculorum* (§. 401. 842) *scriptis Atticam rationem scribendi postulare velit. Unde consentaneum est debere eos, qui hoc nostro indice usuri sint, simul rationem habere non solum temporis, quo monimenta fuerint condita; sed regionis etiam, in qua lucem viderint. Atque haec quidem de dialectis hactenus.*

Verum enim vero permulta obvia sunt permutatarum literarum exempla, quae neutiquam recepto in quadam regione mori adscribi possint; sed communi potius humani generis naturae. Hominum enim, quacunque in terra degerint, incuria sive socordia saepe factum est, ut voces male pronuntiarentur, indeque perperam etiam literis transcriberentur. Frequentissima exempli gratia literae I cum diphthongo EI permutatio nulli profecto ex praecipuis quatuor dialectis peculiaris erat, sed instabili potius orthographiae est tribuenda. Quam quidem incertam non in serioris tantum aevi monimentis, sed in antiquissimis etiam observamus: idemque vitium tam antiquum esse, quam lingua ipsa est, ex verborum aliquot cognatorum formatione, variatione (conf. Hemsterhus. ad Timaei lex. Platon. p. 52) *et inflexione patet, quae quidem omnia neutiquam ab initio, sed postea certis demum legibus sunt subjecta. Exemplo sit verbum ζάω, ζέω, ζίω, ζύω, et tota descendens ab eo vocabulorum familia. Quapropter haud miramur dubios fuisse Graecos ipsos in eligendis literis, quibus voces scriberent* (conf. Suidam I. p. 339. v. ἀνώγεον, p. 224. v. ἀντικρύς.) *Sed omnibus tandem legibus soluta fuisse corrupta sensim lingua videtur, quum scribentium quilibet suam pronuntiandi consuetudinem secutus literas ad sonum sibi praesertim familiarem permutarit.*

Quae quidem licentia quousque processerit discere quantumvis operae pretium sit, tantum abest tamen, ut affirmare velim omnes Graecarum literarum permutationes indice meo contineri, ut ex ipsa etiam ratione, qua confectus est, colligi liceat, neutiquam eum posse omnibus numeris absolutum esse. Peculiare enim studium et operam in condendo eo non impendi; sed ex literarum permutationibus, in quas forte incideram, quasque primo meum tantum in usum (§. 409) *obiter in schedis annotaveram, collectio sensim exorta est. Deinde, quum observassem veterum monimentorum interpretes ad hanc rem non satis respexisse* (§. 378 *sequ.*), *consilium demum cepi, quae collegeram publici juris facere, quippe quibus, quantumvis imperfectis, plura tamen exempla contineri viderem, quam in reliquis libris, qui hanc orthographiae partem attigerint, reperiri possent. Ac sane multitudine opus erat exemplorum, quandoquidem uno tantum vel altero vix persuaderi hujus rei imperitis potest. subesse ei illam, quae a mutata pronuntiatione originem traxerit, literarum permutationem. Scilicet error est gravissimus eorum, qui e commutatis inter se literis colligunt, sono has non fuisse dispares. Quamvis enim facile demus ab eis, qui recte scribendi rationem neglexerint, saepe literas sono similes, veluti B et P, promiscue esse usurpatas, vix tamen quispiam negabit, harum literarum sonum fuisse diversum. Plutarchus certe* (qu. Gr. p. 292) *Delphos in pronuntiando βατειν et βικρον reprehendere non potuisset, si πατειν et πικρον idem sonuissent. Neque diversa ratio diphthongorum est. Quantumvis enim AI et EI, ut hoc exemplo utar, scribendo permutatas esse videamus; Sextus tamen Empiricus* (1, 5. p. 241) *sonos earum distinguit. Perverse igitur doctorum virorum plures ad controversiam de literae H aliarumque vocalium et*

diphthongorum pronuntiatione motam argumenta ex characterum confusione sumta attulerunt. Certe Quinctilianus (1, 5) „ιωτακισμον ad vitia oris et linguae" *non retulisset, si tot, quot volunt, vocales et diphthongi ad literae Jota sonum pronuntiandae fuissent. Sed haec tantum in transitu: namque neutiquam ego is sum, qui illas possim dirimere lites.*

In colligendis passim exemplis veras permutationis causas accuratius haud indagavi, quippe quae sint variae et multiplices, ut etymologia (v. Suidas in Νεῖν), *euphonia* (Boeckh. praef. in Pind. p. 34), *reliquae, quas grammatica docet. Festinanter nempe et raptim dum altiora tractarem illa a me congesta sunt, neque otium nunc est ad recognoscenda vel retractanda omnia et singula. Quapropter caute hoc indice utantur lectores, neque ei soli fidem adhibeant velim, sed auctores potius consulant, quos laudavi. Quo facto hoc certe persvasum habeo meliora edoctis in posterum non unam saltim literulam, ut saepe vidimus, impedimento futuram esse, quo minus totius inscriptionis sensum capiant: neque criticos temere errori tributuros, quod minime erratum erat. Quamvis enim fieri potuerit, ut literae scalptoris incuria in monimentis, pariter atque librarii culpa in codicibus, passim permutarentur, neque ego hoc factum esse negaverim, immo ejusdem etiam rei exempla ex lapidum inscriptionibus, ex gemmis et numis sumta* (§. 792) *ipse protulerim: saepe tamen scalptores a criticis, variatam orthographiam ignorantibus, inique culpatos esse, non magis silentio praeterii. Accidit praeterea ut permutatas esse literas putentur, quae, licet earum forma diversa et minus usitata, ideoque non agnita fuerit, re vera tamen eaedem sunt. Ita qui C figuram eo in loco positam vident,*

ubi E desiderent, vel IO, ubi Ω scribendum fuisse conjiciant, profecto perperam hoc scribendi erroribus adnumerant. Ignorant scilicet fuisse aliquando C et IO ipsarum literarum E et Ω formas omnino usitatas. De illa C satis (§. 200) dixisse mihi videor. IO autem pro Ω usurpatum agnovere jam Benedictini, quod idem hodieque in promtu est observare quum in gemmis (§. 720), tum in lapidum titulis (§. 200). Haud igitur superfluum duxi in libro ipso (§. 198) ignotorum characterum specimina proferre, ut inspectis iis sibi caveant imperiti, ne in illum abripiantur errorem. In hac autem appendice de isto literarum permutationis genere nihil reperies, quum illam tantum orthographiae, ut diximus, partem, quae ex mutata pronuntiatione pendet, proposuerimus. Atque hoc agentes neque cum Vossio, neque cum Seyffarthio, et quibusdam aliis ad reliquas, praeter Graecam, linguas respiciendum esse duximus, persuasum habentes, in iis, quae alienis a sermone literis scripta sint, sonos accurate reddi vix potuisse (§. 169), minus igitur ea apta esse ad Graecarum literarum permutationem observandam. Quibus licet praetermissis speramus tamen fore, ut collectio nostra imperitis omnino usui, neque peritioribus ingrata siet, quippe qui minorem certe temporis jacturam sint facturi si illa ipsis ad manus fuerit.

Quod reliquum est perpendant velim, qui de nostris laboribus judicium ferant, ea nos tradere, quae vere sunt scripta, minime quae scribi debebant. Ubi igitur affirmavimus in H interdum transiisse A, quantumvis privativum (§. 402); *non multum curavimus eos, qui hoc fieri potuisse negent, quum omnino hoc factum esse apud nos constet. Nec nunc demum hujus permutationis certiores facti sumus, sed ante nos veteres jam grammatici eam observasse testis est Gesnerus* (ad Orph. p. 175.

176), *qui rem ulterius prosecutus nimium criticorum sedulitatem hisce tandem reprehendit verbis: „Minus est illa justa argumentatio: hoc melius, subtilius,* γραμματικώτερον *est, ergo hoc est restituendum. Non ignorant haec viri eruditissimi; sed* φιλοκαλίᾳ *quadam et* φιλακριβείᾳ *deliniti* obliviscuntur muneris sui: non hoc agunt, ut suam scriptori manum restituant, *sed ipsum* cogunt *in ordinem.“ Quibuscum omnino concinunt verissima Valckenaerii* (ad Theocr. Adon. 42. p. 345) *haec:* „In talibus non quaeritur, quid fieri secundum linguae potuerit analogiam; sed quid re vera factum.“ *Atque hisce viris doctissimis commune illud placitum mihi quidem suprema semper lex fuit ac norma judicandi.*

Ceterum in laudandis auctoribus brevitati inservivi haud dubitans in operibus exempli gratia Scapulae, Maitairii, et Vossii, quamvis paginarum numeris a me non additis, locos tamen, qui respiciendi sint, eruditorum quemlibet reperturum esse. Omnino enim evolvendi libri saepe ipsi sunt. Si quis e. g. de literarum Z et ΣΣ permutatione laudatam a me vocem ὀδύρομαι *apud Lennepium viderit, in hac minime ei acquiescendum erit, sed legendum, quod illo in loco Hemsterhusius addit „*ὀδύζω *et* ὀδύσσω *promiscue scribi.“ Paragraphorum autem numeri soli ubi notati sunt, librum consulendum esse meum vix est quod moneam. Accipe nunc studiose lector collectionem ipsam, et si qua observatu digna in ea tibi videantur, utere eis mecum.*

Graecorum orthographia varia.

A additum ab initio vocum. Maittair. de dial. — Suidas ασταχυς. σφαραγευντο. conf. omnino Valckenaer. ad Theocrit. ed. II. 1810. p. 212 sequ.

A insertum. Salmas. de lingua Hellenistica p. 65.

A sublatum. Stephanus Byz. de urbibus. Απκισος et Παισος. Ιμνιτης ab Ιαμνια p. 90. n. 99. ibique Strabo. Meursii glossar. Gr. barbar. p. 434. πολπιζειν pro απελπιζειν. Suidas χμοργοι et μοργοι. αμαυρον et μαυρον. ασφοδελος et σφοδελος.

A et AI. §. 431. 536. 537. 797. Vossius in append. etymolog. Boissonad. ad Herodian p. 100. Salmas. ad Vopisci Carin. c. 19. Caylus II. p. 183 f. Mus. Veron. p. 21 f. καιτα. Matthiae gramm. Gr. §. 26. Suidas I. 745. αιει.

A et AY. Phavorin. ιαυχεν. Voss. αυταρ. δαυλον. ναυος. Salmas. ad inscr. Herod. p. 47. lingua Hellen. p. 65.

A et E. §. 429. 431. 575. 634. 645. 865. Pausan. 8, 23, 3. Dio Hallic. ψαλια et ψελλια. Hesych. αβραχεν. Suidas ακαδημια. αμφιαρεων. ατερος. ευρας. καπηλις. λακανη. μασθος. Πρωτεσιλαος. λεως. ναστον. νεως. Schweighaeuseri lex. Herodot. ψακας. Scapula in lex. app. de dialect. Aeol. Attic. Dor. — Maitt. — Voss. — Damm. lex. lit. E. Lennep. etym. καλεω. πιεζω. Philemon. ed. Osann. p. 287. Vales. ad Euseb. hist. eccles. p. 231. Salmas. ad Solin. 1629. p. 86. lingua Hellen. p. 67. 78. Buonarruot. vas. ant. p. 139 f. Mazoch. tab. Heracl. p. 153. 157. 208. Smith. opusc. in app. Palmyr. p. 40. Schow. charta papyr. p. 90. Georg. fragm. evang. Joh. p. 183. 411. 453. Scholz curae crit. in hist. text. evang. p. 60. Sturz. de dial. Macedon. p. 117. 118. Huschke de C. Annio Cimbr. p. 59. Matthiae §. 21.

A et EA. Schweighaeus. lex. Herodot.

σφεας. Valcken. ad Theocr. 364. θασασθαι.

A et EI. Maitt. — Vossius. — Matth. §. 27.

A et EY. Herodian. Boissonad. p. 178. 192. 297. Maitt. — Aeschyl. Prom. 580. 717. Su. 631. 673. Ag. 284. Mus. Veron. p. 38. ασταθμον.

A et H. §. 389. 401. 402. 431. 537. 571. Pindar. νασος, alia. Suidas νηυς. νυμφα. αναλισκειν. ανιμασθαι. διπεδια εμπης. επιτηδειος. ερημια. II. 52. ηλεκτωρ. 66. ηπειρος. 67. ηπυει. 307. κηληθμος. 532. μενεδαΐος. 648. ξυνηλην. Παγηναι. πεινη. Πριηπος. ταγηνον. χρη. ψηλαι. ψηρας. Hesych. ζαν. ξυνηλη. Dion. Halicarn. ὑγιη. Steph. Byz. Ιαον. Μηλος. Scap. Doric. Attic. — Maitt. — Havercamp. de linguae Gr. pron. II. 78 ιητρος, alia. Lennep. μητηρ. ματηρ. Meurs. misc. Lacon. p. 8. Salmas. L. Hellen. 13. 61 f. 77. 81. 379. ad inscr. Herod. 36. ad Vopisci Carin. c. 19. Philemon. 291. 301. Cayl. II. p. 172 f. Mazoch. 151. 152. 251. καρυκειον. γαμετρας. Gruter. 1091, 4. Donati inscr. 65, 3. Siebenkees. tab. hosp. 25. Spanh. I. 122. 199. Seguin. num. p. 145. Mus. Pio-Clem. VI. 34. 35. Lennep. etym. κημος. Matth. §. 22. Buttmann. lexilog. I. 218. 219. Valcken. ad Theocr. p. 202. 203. 232. 233. 274. Meursii Creta p. 255. ταν. ακρητον. Rhod. p. 83 γα.

A et I. §. 401. Stephanus Byz. Ιχναι. Maitt. — Huschke de Annio p. 59.

A et O. §. 429. 431. 590. 792. Suidas κολαβρισθεις. Philemon. p. 296. Scap. Dor. Att. — Maitt. — Voss. — Damm. lit. O. Salmas. ad Solin. 57. 172. 327. 414. Crenii mus. p. 349. Schow. charta pap. 90. Mazoch. 139. 159. 210. Sturz. 70. 117. 155. Lennep. μαλκη. οξυς. Matth. §. 22. Seyffarth. p. 382. conf. AI et OI.

A et OY. Suidas Νουκρια. Scap. Dor. — Maitt. — Valcken. ad Theocr. p. 124. Ruhnk. ad Tim. lex. 108. ἱερουσθαι.

A et Y. §. 401. Scap. Dor. — Maitt. — Voss. — Suidas ραζειν. Matth. §. 22 f. Huschke de Annio. 59. Valcken. ad Theocr. 409. Ηρυκλος. Tim. lex. μυδαν.

A et Ω. §. 429. 431. 626. 645. Suidas II. 754. ακιναλης v. tam. Schweigh. lex. h. v. Wachteri archeol. num. p. 82. τεγεαταν pro — των. Scap. Att. Jon. Dor. Aeol. — Maitt. — Mazoch. 157. Haverc. II 78. Salmas. ling. Hellen. 14. 22. 342. Sturz. 117. Aesch. Ch. 456. Matth. §. 23. Seyffarth. 382.

AE et E. v. E.

AE et H. v. H.

AE et OY. Scap. Attic. —

AEI et H. v. H.
AI et A. vide A.
AI et E. vide E.
AI et EI. Scapul. Dor. — Voss. — Mazoch 208, Suidas I. 646. αιϑε. II. 252. καταγαιον. Nov. act. er. Lips. 1751. p. 399. Fabri agon. 291. Georg. ev. Joh. 411. Matth. §. 27. Seyffarth. 477. 480. Valcken. ad Theocr. 366.
AI et H. v. H.
AI et I. v. I.
AI et O. v. O.
AI et OI. Suidas οιξ. Juvenis lex. Tarent. in Ital. ill. p. 1238 (1236) μαιρα pro μοιρα. Georg. ev. Joh. 390. αυταις pro αυτοις. Lennep. μαρτυρ.
AI et Y. v. Y.
AΛ et AY. Voss. lit. L. αυκα, αλκη. αυτος, αλσος. αυκυων, αλκυων.
ANA et ON. Cayl. II. 184. saepe. Suidas ανάγυρος et ονογυρος.
AO et Ω. vide Ω.
AY et A. vide A.
AY et AΛ. v. AΛ.
AY et EY. Buttmann. lexilog. I. 84.
AY et O. v. O.
AY et OY. §. 590. Scapul. Doric. —
AY et Ω. v. Ω.
AY et ΩY. Salmas. lingua Hellen. p. 14. Havercamp. de ling. Gr. pron. II. p. 78. Schweighaeus. lexic. Herodot. αυτος n. 5.

B.

B praefixum §. 660. Maitt. — Voss. — Hesych. βασκαριζειν. βεκας. βελημα. βισχυν. βιαρ. βορσον. βυρμος. Philemon. p. 293 f. Salmas. inscr. Herodot. 46. 47. lingua Hellen. 14. 388. 390. Ruhnken. ad Timaei lex. p. 70. Damm. lex. — Schneider. βεκαδι. βεμω. βετος. βιτυς. βωνεω.
B insertum. Maitt. — Hesych. αβελιον. αβηδονα. Suidas κλιβδυειν. δερβιστηρ. εβασεν. Damm. — Lennep. etym. γαμβρος. τυμβος. Fabric. cod. pseudepigr. 821. Guthberl. Cabir. 89. Spanh. ad Callim. 561. 600. Meurs. misc. Lacon. 218. Creta 255. Valcken. ad Theocr. 312. Matth. §. 40.
B sublatum. Meurs. misc. Lac. 59.
B et Γ. Maitt. — Scapul. Attic. — Voss. Philemon. 295. Chishull. ant. As. 125. Salmas. ad Solin. 64. 306. 1274. lingua Hellen. 397. 419. Sturz. p. 46. Georg. ev. Joh. p. 411. Valcken. ad Theocr. 313 sequ. Mem. de l'acad. 34, 2. p. 253. Matth. §. 28. Lennep. πρεσβυς.
B et Δ. Maitt. — Scap. Doric. Aeol. — Voss. D et F. — Hesych. βληρ. Salm. L. Hellen. 112. 357. ad Tertull. de pall. p. 342. Meurs. Cypr. p. 154. Matth. §. 28.
B et EY. Meurs. gloss. βριακειν.

***B* et *Z*.** Maittair. de dial. — ζερεθρον.

***B* et *Δ*.** Scapul. Attic. —

***B* et *M*.** §. 429. 483. Maitt. — Voss. — Hesych. βορμαξ, βυρσινης. Suidas ορυμαγδος. παραγραμματισμος. Stephan. Byz. Αβαντις. Αμαντια. Meurs. gl. μασταγιν. μεναυλον. Salmas. ann. clim. 566. ad Tertull. 122. 123. ad Solin. 1308. lingua Hellen. 396. Fabric. bibl. Gr. I. 173. Reland. diss. II. 117. Aeschyl. Su. 2. Se. Th. 806. Ag. 121. 210. Ch. 1068. Eum. 771. Buttmann. lexil. I. 136. II. 258. Lennep. κυβερναω.

***B* et *OY*.** §. 429. 849. Grut. ind. in ου. Seyffarth. 157.

***B* et *Π*.** §. 420. 429. Maitt. — Voss. — Plutarch. qu. Gr. p. 292. βατειν. βιαρον. βυσιος. Sympos. 6, 8. p. 694. Hesych. βατανια. Suidas Παλληνικον. παις. Stephan. Byzant. Αβαρνος. Βατιεια. Meursii misc. Lacon. p. 262. Salmas. ad Solin. 158. Breitinger. αβλαστος. Spanh. I. 120. Seyffarth. p. 377. 565.

***B* et *Y*.** §. 416. 429. 431. Suidas ναβλα, ναυλα. conf. Strabo. et Joseph. I. p. 427. Haverc. n. 1. Herodian. p. 73. 127. 163. 224. Gruter. in ind. Y. Cang. gl. Gr. II. 1315. Meurs. gl. 345. μησεβειν. Spanh. I. 128. Montfauc. diar. It. 429. Aesch. Prom. 327. 1021. Su. 614. Pe. 312. Lennep. αβρος. λαβρος. καλαβροψ. σευω. Seyffarth. 401. 538. Bloch. 37.

***B* et *Φ*.** §. 429. 574. 640. Herodot. 7, 73. Plutarch. qu. Gr. p. 292. Βιλιππον. βαλακρον. Βερονικην. Hesych. Βριγες. Suidas κεφαλη. Polluc. onom. 9, 78. p. 1053. Salmas. inscr. Herod. 50. lingua Hellen. 377. 395. Spanh. I. 120. Damm. p. 239. Dausqu. orth. II. 59. Maitt. — Schweigh. lex. Herodot. I. 116. Matth. §. 32.

Γ.

Γ pro digamma vel spiritu adhibitum. Maitt. — Damm. — Chishull. ant. As. 55. Hesych. γκαθον. γεντερ, για. γιο. γις. γιχυς. γοινος. γυης. Suidas γεντο. Salmas. Herod. 47. ling. Hellen. 376. 388. Schneider. lex. Buttm. lexilog. II. 161.

Γ insertum, *non solum inter vocales* Welcker. epigr. Gr. p. 121. 122. *sed consonis etiam additum.* Suidas επι δ'εγδουπησεν. Meurs. gloss. 429. πλεργειν pro πλεττειν.

Γ sublatum. §. 389. 413. 781. Boisson. ad Herodian. p. 70. Huschke de Annio p. 49. Welcker. p. 121 f.

***Γ* et *B*.** v. B.

***Γ* et *Δ*.** Voss. — Maitt. — Scapula. Dor. — Suidas γρυνοι. Δημητηρ. Reland diss.

II. 231. Matth. §. 28. δα, δας pro γη, γης. Buttm. lexil. II. 191.

Γ et Z. §. 434 f. Damm. Z. Maitt. — Voss. — Meursii Cypr. p. 155.

Γ et I. §. 576. 632. 634. 874. Hesych. λεγεσθαι. Gale ad Jambl. p. 301. μαγευμα pro μαιευμα. Aesch. Se. Th. 493. Welcker. ep. Gr. p. 121. 122. Buttm. lexil. I. 130. 236. II. 271. Thiersch. gr. p. 22.

Γ et K. §. 182. 426. 429. 431. 634. 788. 860. Lucian. jud. vocal. T. I. Bip. p. 63. Hesych. ad βρυκον not. Suidas γναφευς. δεργμα. ψαμμακοσιογαργαρα. Philemon. 299. Ameilh. ad inscr. Rosett. 25. 26. Chishull. ant. As. 127. Mazoch. 221. 236. εγδικαζω. Bast. lettr. crit. 36. Scapul. Attic. — Maitt. — Grut. ind. Woid. notit. cod. Alex. p. 31 f. Salmas. ep. I, 3. p. 4. Montf. diar. It. 430. Spanh. I. 119. Martorelli theca 478. Jablonsk. opusc. I. 58. Georg. inscr. Palm. 61. Lennep κηρυξ. τα γμη. Sturz. 125. 167 Torrem. Sic. 190. Gesner. ad Orph. p. 13. Buttm. lexil. II. 265. Falconer. inscr. athl. 67. Tim. lex. κωλαγρεται. Voss. ad Melam. 10. Κεδρωεοι. Roether. ad Laur. Lyd. p. 190. 250. 256. Seyffarth. 377. 382. 555. 561.

Γ et Δ. Lucian. jud. voc. T. I. Bip. p. 63. Voss. — Maitt. — Hellad. in Meurs. regn. Lacon. app. p. 6.

Γ et N. §. 571. Spanh. I. 119. Falconer. inscr. 66. Winckelm. catal. p. 437. Gesch. d. Kunst 1776. p. 779. Barthelemy mem. de l'acad. T. 48. p. 350. 391. Siebenk. tab. hosp. 30. Μανκον. Buonarr. 139.

Γ et T. Hesych. ισγεον. Suidas Φραγειν. *namque ex literarum simili figura illam confusionem semper explicandam esse* (Salmas ad Sol. 708.) *dubito; quum Romani etiam in vocibus a Graecis acceptis* Γ *cum* T *permutent.* Salm. p. 377.

Γ et Φ. Maitt. — Φλεφυρα et γεφυρα.

Γ et X. §. 397. Sturz. 126. 127. Georg. ev. Joh. p. 326. καθηγουμενος. conf. Salmas. ad Treb. Poll. Claud c. 17. Lennep. χαω. Suidas θελγει. προχνυ.

Δ.

Δ redundans Suidas ορυμαγδος. Lennep. δνοφος. δροσος. ζειρα. ιδνοω.

Δ sublat. Suidas μολυβος. Salm. L. Hell. 66.

Δ et B. v. B.

Δ et Γ. v. Γ.

Δ et Z. Plat. Crat. T. III. p. 301. Hesych. αδηλωτον. δαγκολον. διλον. δατον. Suidas προσοδαδεσαν. Montf. pal. Gr. 127. Scap. Att. Dor. Damm. Z. Spanh. num. II. 582. et ad Callim. 200. Reland. diss. II. 231. Buttm. lexil. I. 220. Voss. Z. DI. Maitt. — Matth. §. 28. Salm. ling. Hellen. 78. Schneider. ζυγον. Lennep. ζα. ζευς.

E.

Pr. 134. Eckhel. doctr. num. II. 234. Murator. inscr. 1964, 6. Lupi Sev. inart. p. 51. 136. Mon. Pat. 247. *χερε*. Georgi ev. Joh. 363. Neue philol. Bibl. III. 108. Cuperi apoth. Hom. 251. Seyff. 445. 448. 461 sequ. Bloch. 54. conf. *εαιτις* et *δετις*. *Θυραιαις* in Timaei lex. Plat. p. 54. Roether ad Laur. Lyd. p. 26. 172. Valcken. ad Theocr. 240. *καρα*. Vitiose poni *αι* pro *ε* agnovit Suidas. (*III.* 103. *v. πετιτον*).

E et EI. Voss. in EI. Timaei lex. not. p. 52. Montf. pal. Gr. 121. Suidas. *ανωγεον. εαται. επιτηδειος. θεμειλια. λιγεος. μειλανι. παρεμπτασις.* Chishull. ant. As. 101. 127. Sturz. 119. Didym. lit. Copt. p. 40. Damm. p. 1364. Inscr. Rosett. v. 31. Salmas. lingua Hellen. 65. 379. ad ins. Herod. 118. Seiffarth. 480. Bloch. 109. 196. 197. 331. Roether. ad Laur. Lyd. p. 223. 226.

E et EY. Matth. §. 26.

E et H. §. 202. 431. 576. Maitt. — Scapula Attic. — Montf. pal. Gr. 127 sequ. 141. Mus. Veron. p. 20. *ἀνδρηιον*. Suidas. *επηραστον. ευλογησα. ηυλογησα. ηυρησθαι. μηλα. Οτρηος.* Grut. ind. — Havercamp. II. 78 f. Philem. 288. Villoiss. II. 124. 168. Chishull. ant. As. app. p. 3. Salmas. inscr. Herod. 16. 118. Misc. Lips. nov. I. 491. Cup. apoth. Hom. 251. Meurs. Cypr. p. 155 f. Reines. inscr. 966. Torremuzza p. 157. Schlaeger. num. Hadr. 49. Paciaudi anagl. p. 21. Georgi ev. Joh. 139. Scholz. cur. cr. 60. Sturz. 119. 120. Schow. pap. p. 90. Martorelli theca 478. 480. Spanh. I. 89. 92. 95. 115. Gesner. ad Orph. p. 172. Matth. §. 15. 23. Mus. Pio-Clem. V. 40. Seyffarth. 389. Bloch. 109. 175. Welcker. ep. Gr. 214, 7. p. 270. Roether. ad Laur. Lyd. p. 102. 131. Lennep. *εδνα*.

E et HY. Matth. §. 17 f.

E et I. §. 378. 429. 431. 576. 609. 776. 804. 841. Hesych. *θιος*. Suidas *προσιεχε*. Scapula Att. Aeol. — Maitt. — Salmas. ling. Hell. 77. 81. de usur. 45. Fabretti 578. Fleetwood p. 3. Reland. diss. II. 261. Buonarr. 139. Cayl. II. 183 f. Sturz. 119. Math. Aegypt. de Senat. Cons. 91. Gau. Nub. XII. 26. Matth. §. 24. Seyffarth. 377. Welcker. epigr. Gr. p. 237. Bloch. 109. Cuperi apoth. Hom. 231 f. Hemsterhus. ad Timaei lex. p. 52. *ελω*, *ιλω*.

E et O. §. 431. Scapula Dor. Att. — Maitt. — Voss. — Suidas *ελκεσιπεπλοι. νεμω*. Salmas. ad Solin. 610. ad Tert. de pallio. 165. 422. lingua Hellen. 67. Scholz. cur. cr. 60. 61. Schow. papyr. 90. Saubert. sacrif. 504. Montf. ant. V. 71. Sturz.

122. Matth. §. 24. Mazoch. 159. 283. ἑβδεμηκοντα.

E et OI. §. 431. ενεκουντων. Gesner. ad Orph. p. 170. 174. Gau XII. 26. Meurs. gloss. 154. ενακρατον.

E et OY. §. 365. 609.

E et Y. §. 431. Scapula Att. — Suidas κυλλαρος. παφλαζω. Φλεδονεια. Salmas. ling. Hellen. 65. ad Solin. 829. Maitt. — conf. Gesn. ad Orph. p. 32. n. 151. Bloch. 109. εδωρ. Voss. ad Mel. γυρινα et γερινα. Valcken. ad Theocr. 244.

E et Ω. §. 431. Scap. Doric. — Maittair. Suidas πλωω.

EA et A. v. A.

EA et H. v. H.

EE et EI. Scap. Jonic. — Suidas ερρεε. ρεεθρον.

EE et H. v. H.

EI et A. v. A.

EI et AI. v. AI.

EI et E. vid. E.

EI et EE. v. EE.

EI et EO. Scapul. Attic. —

EI et EY. Corp. inscr. Berol. I. p. 84.

EI et EΩ. Scap. Attic. —

EI et H. v. H.

EI et HI. Scap. Attic. — Welcker. ep. Gr. p. 21.

EI et I. vide I.

EI et O. vide O.

EI et OI. §. 362. 396 f. 431. Suidas λοιβειον. Scap. Att. — Voss. — Scholz. cur. cr. 60. Philol. Bibl. I. 404. Roether. ad Laur. Lyd. 126. 190. 261. Seyffarth. 502. Bloch. 327.

EI et OY. Meurs. Cret. p. 255. αυτει.

EI et Y. vide Y.

EI et YI. Mazoch. tab. Heracl. 157.

EIA et H. vide H.

EA et EY. Voss. L. Meurs. Cret. 255. Hesych. θειγεσθαι.

EO et EI. vide EI

EO et EY. Scap. Dor. — Schweigh. lex. Herodot. σευ. Meurs. Cret. p. 255. Θευκρατης. ΘευΦραστος. Hesych. ευλετο.

EO et OY. Scap. Attic.

EY et A. vide A.

EY et AY. v. AY.

EY et B. vide B.

EY et E. vide E.

EY et EA. v. EA.

EY et EO. vid. EO.

EY et H. vide H.

EY et HY. Scap. Att. —

EY et O. vide O.

EY et OI. Oderic. diss. p. 37. κατευχησας.

EY et OY. §. 885. Scap. Dor. — Hesych. I. 823. n. 12. Chishull. ant. As.

126. Nova act. erudit. Lips. 1751. p. 399. Meurs. Cret. p. 255. Θευκυδίδης.

EY et Y. vide Y.

EY et Ω. vide Ω.

EΩ et EI. vide EI.

EΩ et Ω. vide Ω.

Z.

Z insertum Suidas ατιζω. Meurs. Cypr. p. 155. καληζω pro καλεω.

Z sublatum. Maitt. τριω. Suidas μαστιε.

Z et B. vide B.

Z et Γ. vide Γ.

Z et Δ. vide Δ.

Z et ΔΔ. Suidas μαζα. Hesych. μουσιδδει. ibique not.

Z et Θ. Maitt. Stephan. Byz. Θυμβρα. Lennep. θυγατηρ.

Z et I. §. 222. 416.

Z et Ξ. §. 222. Cang. gl. Gr. app. p. 76 f. Maitt. — Mem. de l'acad. 28. p. 542.

Z et ΠT. Maitt. — Suidas νιζε.

Z et Σ. §. 431. 596. 616. 646. Scap. Dor. Att. — Maitt. — Voss. S. Damm. Z. Gruter. inscr. 1096, 5. et in ind. Cang. gl. Gr. app. 76 f. Lucian. jud. vocal. T. I. p. 67. Sext. Emp. p. 253. 254. Suidas ζειρα. Falconer. inscr. athl. 85. Smith. opusc. app. 53. Gutberl. Cabir. p. 130. Georg. inscr. Palm. 82. ev. Joh. 399. 411. Sturz. 46. Spanh. l. 116 f. Seguin. nummi 169. Winckelm. catal. p. 42. n. 52. Seyffarth. 566. 569. Welcker. ep. Gr. p. 213. Schneider. Z. Hesych. 1613. n. 4.

Z et ΣΔ. Voss. — Maitt. — σδευς. τραπεσδα. σδευγλα. μεσδων. ὀρισδω. ἐρασδε. contra v. Αθηναζε. Scap. Dor. Aeol. — Valcken. ad Theocr. p. 346. παισδειν. Schweigh. lex. Herod. μαζος. Villoiss. Il. 121. Spanh. ad Calim. 200. Reimar. ad Dion. p. 235. n. 60. Schneider. Z. μουσισδω. σδυγον. Lennep. μαστος.

Z et ΣΣ. Maitt. — Matth. §. 29. 31. Lennep. οδυρομαι.

Z et T. Lucian. jud. vocal T. I. p. 68. Maitt. —

Z et TT. Scap. Att. Matth. §. 29.

H.

H redundans. Maitt. — Hesych. περιθιζοντα. Suidas II. 48. ηειρεν. 56. ηλυγη. ποιοιη. Damm. 990. ετειητη.

H sublatum. Maitt. ειμεν. ειτε.

H et A. vide A.

H et AE. Scapula Dor. — Hesych. I. 1647. n. 17.

H et AEI. Scap. Attic. —

H et AI. §. 396. 401. 646. Maitt. — Scapula in plur. dial. Voss. E. Suidas τιδαι. Montf. diar. It. 429 f. Sturz. 118. Mazoch. 377. Salm. lingua Hellen. 75.

Martor. theca. 526. Damm. H. — Matth. §. 16. 25. Bloch. 107 — 109. Welcker. ep. Gr. p. 239.

H et E. vide E.

H et EA. §. 774. Scap. Att. — Suidas κεχηνη. *et per crasin, ut* εαρ, ηρος.

H et EE. Plat. in Crat. T. III. Bip. p. 287. Scap. Dor. — Schneider. H. δεελος.

H et EI. §. 359. 394. 832. Plutarchi Pelopid. p. 293. ειδους pro ηδους. Apollodor. L. 3. p. m. 247. Φυγειν pro Φυγην. Grut. in ind. Scapula Att. Dor. — Maitt. — Damm. H. Suidas κηρυλος. Boisson. ad Herod. p. IX. 14. 188. Scalig. ad Euseb. p. 109 τει. Salmas. inscr. Herod. 16. 36. ad Solin. 1028. Reland. diss. II. 261. Cren. mus. 348. Meurs. misc. Lacon. 218. Creta p. 255. χηρες. Montf. pal. Gr. 139. Mazoch. 146. 161. 183. 220. 224. Roether. ad Laur. Lyd. p. 13. 45. 249. Leich. sepulcr. carm. p. 2. Sturz. 53. 119. 120. Georg. ev. Joh. 174. Scholz. cur. cr. 60. Patin. cenot. Artor. p. 461. μνηας. Eckh. IV. 3. Villoiss. II. 168. Aesch. Su. 957. 963. Ag. 185. 800. 985. Matth. §. 15. f. 25. 27. Seyffarth. 171. 475. 480. Bloch. 99.

H et EIA. Steph. Byz. Αγαμεια.

H et EY. Maitt. — Matth. §. 25.

H et HI. Scap. Att. — Gau. Nub. XII. 26.

H et I. §. 21. 191 f. 359. 385. 389. 423. 431. 686. 794. 841. 856. 885. Inscr. Rosett. v. 8. ιεροι. Thucyd. T. I. Bip. p. 377 f. Donat. inscr. 23, 2. Maitt. — Gruter. in ind. Voss. lit. I. Suidas Ναξος. νηλιτης. Αμινσος. Hesych. τηδυω. Oderici diss. p. 38. Montf. pal. Gr. 139. 187. 213. 230. 233. 236. 242. 251. 292. Salmas. ad Solin. 1028. Reland. diss. II. 261. Gau. XII. 26. Gronov. ad Maneth. 1, 14. p. 269. Gutberl. inscr. Smyrn. p. 123. Cuperi apoth. p. 40. Siebenkees tab. hosp. 19. 20. Schow charta papyr. 89. Ruhnken. ad Tim. lex. 183. τηθη. τιθη. 189. ψιτται. Sturz. 121. 122. Woid. notit. cod. Al. 32. Scholz. cur. cr. 60. Georg. ev. Joh. 345. 411. 471. Didym. lit. Copt. 40. Boisson. ad Herodian. p. IX et 14. Patin. l. c. 449. Martorelli theca 526. 531. Marini papyr. p. 300. Corsini notae Gr. 32 f. Aesch. Se. Th. 8. 60. 567. Matth. §. 25. Seyffarth. 387. 396. 399 — 401. Bloch. 99. 175. 347. Meurs. gl. 345. μηςεβειν pro μισευειν. Museum Veron. 67. Στρατηνικς. Roeth. ad Laur. Lyd. 104. 291. Fabri agonist. p. 316. ατανιτι et ατονητι. Schneider. ιχω et ηχω. Lennep. Φασηλος. Φασιλος. *Critici, qui ad libros scriptos tantum respiciunt, et monimenta negligunt, profecto temere*

omnem literarum H et I permutationem librariis tribuunt (Valck. ad Lennep. etym. ed. 2. p. 341.) *haud scilicet perpendentes in permultis monimentis adhuc exstantibus eandem observari confusionem; et a grammaticis ipsis easdem literas esse permutatas* (Ruhnken. ad Tim. lex. p. 183.)

H et O. §. 431. 571. Matth. §. 25.

H et OI. §. 431. Salmas. ad Solin. 1028. Gesn. ad Orph. p. 171 f. Crenii mus. p. 353. Georg. ev. Joh. 104. 411. 412. Treschow cod. Gr. 59. Scholz. cur. cr. 60. Seyffarth. 513. Roeth. ad Lyd. p. 46.

H et OY. Voss. φοβουμενοι.

H et Y. §. 394. 431. 575. Suidas υφηφασμαι. Salmas. ad Solin. 1028. Maitt. — Montf. pal. Gr. 160. 236. θηγατηρ. Sturz. 121. 123. Scholz. 60. Didym. 40. 49. ητερ. Georg. 372. 399. 412. Cang. 1165 τηξις. Meurs. gl. 419. πηνυς. Cup. apoth. Hom. 12. Eckh. IV. 3. Roeth. ad Laur. Lyd. 53. 234. 263.

H et Ω. §. 429. Maitt. — Schow. ch. pap. 91. Sturz. 121. Scholz. cur. cr. 61. Matth. §. 25.

HI et EI. vid. EI.

HI et H. vide H.

HY et E. vid. E.

HY et EY. v. EY.

Θ.

Θ insertum. Damm. Maitt. — Scheid. ad Lennep. ιΦι.

Θ sublatum. Maitt. — Suidas ορυμαγδος. Seyffarth. 562.

Θ et Δ. vide Δ.

Θ et Z. vide Z.

Θ et P. Hesych. αδαιτρον. not. 4.

Θ et Σ. Chishull. ant. As. p. 136. σιως. Maitt. — Scap. Att. Dor. Aeol. — Lactant. 1, 6. Suidas διτοδια. Hesych. βορσον. σασαι. σεναι, σιορ. Meurs. misc. Lac. 136. 139. 217. Valcken. ad Theocr. p. 273 sequ. Meurs. Rhod. p. 84 f. Voss. TH. Damm. Philemon 292. Salmas. de usur. 45. 256. ad Solin. 80. lingua Hellen. p. 22. 81. 367. 368. Spanh. ad Callim. 668. Georg. evang. Joh. 353. Thorlac. opusc. V. 401. Matth. §. 18. 29. Seyffarth. 561. Bloch. 250. Schneider. Θ, σειος. Ασανα. Σ. σειν. σεναι. ελσον. σετω.

Θ et ΣΣ. Suidas βυσσος. Maitt.

Θ et T. §. 429. 622. 841. Maitt. — Damm. Scapula Attic. Jon. — Voss. TH. Lucian. jud. voc. T. I. p. 68. Suidas Αυθεια. θελγει. κιστη. μαθος. μετιεναι. Salmas. ins. Herod. 36 f. 108. Georg. ev. Joh. 326. 391. Sturz. 126. Martorell. theca 478 480. 530. 531. Cayl. II. 183. Eusth. Il. 5. κιθαν. βαθρακος. ακανθια.

Thorlac. op. V. 398. Seyffarth. 382. Suicer. *ενθευτεν* pro *εντευθεν*. *αυτις* pro *αυθις*. Schweigh. lex. Herod. II. 312. Mazoch. 152.

Θ et Φ. Maitt. — Scapula Att. Jon. *φλασις*. Voss. TH. Hesych. *θαπαν*. *φαβα*. ibique notae. Valcken. ad Theocr. p. 368. 369. Salmas. ad Sol. 306. L. Hellen. 395 f. Suidas *αφλαστον*. Schneider. Θ. *φηρ*. *φλαω*. *φλιβω*. Lennep. *θυω*. *φλαω*. Matth. §. 29.

Θ et X. Maitt. — Voss. CH et TH. Meurs. Cret. p. 255. *ορνιχες*. Salmas. ad Sol. 106. 322. Matth. §. 29.

I.

I additum. §. 359. 408. Maitt. — Suidas II. 373. *κρειον*. Donati inscr. II. 430, 18. *ιωμων*. Meurs. gloss. *πιοτον*. Damm. Schneider. Lennep. *ιαινω*. *ιανω*.

I sublatum. §. 412. Suidas *χαΐα*. *χαα*. Maitt. — Salmas. lingua Hellen. 66. add. *ὑγιεια* et *ὑγεια*.

I et A. vide A.

I et AI. §. 389. 401. Voss. in I.

I et Γ. vide Γ.

I et E. vide E.

I et EI. §. 187. 195. 359. 360. 362. 374. 395. 416. 418. 429. 431 552. 782. 816. 833. 884. Cic. ad div. 9, 22. Suidas *ειδεα*. *λικνον*. *προαστειον*. Hesych. *βεινειν*. *ειρα*. *Σκειριτης*. Dion. Halicarn. I. Sylb. p. 247. *στρατειων*, al. Grut. ind. Salmas. de usur. 678. inscr. Herod. 21. 64. 122. Scalig. epist. 329. 331. ad Euseb. p. 106. Montf. pal. Gr. 165. 187. 230. 232. 236. 242. diar. It. 356. 361. 430. ant. expl. V. 71. 191. suppl. III. 174. Cuperi obs. 314. apoth. Hom. 37. Leich. sepulcr. carm. p. 72. Dale diss. p. 496. *τειμη* et *τιμι*. Meursii misc. Lacon. 266. 267. Crenii mus. 350. 351. Gronov. ad Maneth. 1, 14. p. 269. Spanh. I. 199. 122. Schlaeg. num. Hadr. 48. Gorii columbar. libertor. 213. inscr. Etr. III. 316. Fabrett. 468. Buonarr. 139. 169. Falconer. athlet. p. 52. 83. Nov. act. erud. 1751. p. 399. Beger. spicil. 90. Martorelli theca 526. 530. 531. Oderici diss. p. 36 — 38. Mazochi Heracl. p. 138. 201. Corsini diss. 2. p. 39. Lupi Sev. mart. p. 141. *μνιας*, *ευψυχι*. 191. *κυρειω* Χρειστω. Scalig. ad Euseb. 106 107. *τειμητης*, *νεικη*. Poleni thesaur. II. praef. p. 19. Winckelm. Denkm. II. 92. Cayl. II. tab. 60. Noris. epoch. p. 500. Hagenb. epist. epigr. (16). Chifflet. 66. Georg. ev. Joh. 181. 399. Woid. notit. cod. Alex. 30. 31. Sturz. 120. 121. Schweigh. lex. Herodot. I. 183. Didym. lit. Copt. 40. Scholtz. gr. Aeg. p. 6. Scholz. cur. crit. p. 60. Gut-

berl. inscr. Smyrn. p. 123. Mus. Pio-Clem. VI. 156. Gau Nub. XII. 26. Seyffarth. 475 f. 480. 485 sequ. 490. Bloch. 54. 199. 200. Welcker. ep. Gr. p. 39. 40. Valcken. ad Theocrit. p. 244. Roether. ad Laur. Lyd. 193. 278. 287. Lennep. 171. *δειχω. διχω.* Reland. diss. I. p. 172.

I et Z. vide Z.

I et H. vide H.

I et IA. §. 865 f. *in nom. term. ις* pro *ιας.*

I et IO. §. 358. 365. 374. 865 f. Nov. act. erud. 1751. p. 399. Corsin. notae Gr. 57. 58. 86. diss. 2. p. 23. Bloch. 252.

I et N. Voss. in I et N. Maitt. — Valcken. ad Theocr. 361.

I et O. Scap. Att. — Maitt. — Inscript. Rosett. v. 37. Suidas II. 616 *Νειλεως per crasin pro Νεολεως.*

I et OI. §. 646. Montfauc. pal. Gr. 242. Cang. gl. Gr. II. 1193. 1166. Corsin. diss. 2. p. 39. Winckelm. Denkm. II. 92. Sturz. 122. 123. Georg. 411. Havercamp. II. 305. Bloch. 252. Wheler voy. 430. *ιμειομος, in lapidis titulo!*

I et Y. §. 362. 367. 413. 426. 431. 617. 841. 889. Maitt. — Suidas *νεωρια. εγχελυς.* Montf. pal. Gr. 242. Fabric. bibl. Gr. IX. 630. Salmas. inscr. Her. 73. Herodian. Boiss. 84. Philemon 289. Voss. in Y. et ad Melam. 88. *σκιρος* et *σκυρος.* Mazoch. 201. Buonarr. 139 f. Maurs. misc. Lac. 248. Ruhnken. ad Tim. lex. p. 165. 166. *Σκιριτης* et *Σκυριτης.* p. 169. *στριφνον* et *στρυφνον.* 170. *σιφρος* et *συφρος.* Cang. pr. p X. Spanh. I. 119. 120. Wilde gemm. 175. Choul. rel. Rom. 182. *τιχη.* Ursati mon. Pat. 263 f. Torremuza 5, 41. Biagi Gr. Nan. 39. *υατρος.* Reines. inscr. 633, 69. Wilde num. 196. Ficoron. gemm. 11. 49. 57. Buonarr. 139. Gor. inscr. Etr. I. 457. Cayl. II. 175. IV. tab. 57, 6. Corp. inscr. Gr. Berol. I. p. 84. 93. Siebenk. tab. hosp. 35. Mus. Pio-Clem. III. 244. *Γανιμηδης.* Sturz. 122. 123. Didym. lit. Copt. 40. Maccab. I. 7, 8. *Φυλεν.* Lennep. *Φιλυκη. Φρυγω* et *Φριγω.* Winckelm. Nachr. Herculan. §. 105. *βιβλος* et *βυβλος.* Aesch. Pr. 123. 845. Welcker. ad Aesch. p. 479. Buttm. lexilog. I. 18. II. 213. Seyffarth. 423. Bloch. 327. add. *μιστιλη* et *μυστιλη. μυσος. δυκη. ΑΦροδυτη.*

I et X. §. 845 f. *νεισις* pro *νεχεις?*

I et Ω. Maitt. — *αΦεωνται.*

IA et I. vide I.

IO et I. vida I.

IY et Y. vid. Y.

K.

K addit. Diodor. 4, 56. *Αιητη. Καιητη.* Suidas *καυρος. κακμηκως.* Hellad. ap. Meurs.

regn. Lacon. p. 7. *κνεφας. κτυπος. κεκυντο. καυρος.* conf. Photium p. m. 1582. Lennep. *κτυπεω. συν.*

K sublatum. §. 841. Reland. diss. II. 116. *ελευθος. αυχημα. ανθηλια. αυλωνια.* Hesych. et Suidas *ιχλα. κιχλα.*

K et Γ. vide Γ.

K et M. Maitt. — *Κελεινος.*

K et N. Maitt. *κοειν.*

K et Ξ. Timaei. lex. Plat. p. 71. *ειξασι.* Maitt. — Voss. C. *ιξον* et *ικον.* Schneider. Ξ. *ξυνος.*

K et Π. Cornut. nat. d. §. 17. p. 177. Voss. Maitt. Haverc. II. 311. Matth. §. 30. Seyffarth. 382. Schweigh. lex. Herodot. II. p. 1. Lennep. *ελπις. κρεκω. οπω.*

K et P. Scapul. Dor. Maitt. — Valcken. ad Theocr. 346. *μικκον* pro *μικρον.* *ex neglecta diligentiori pronuntiatione, quam quidem adsimilationem alii appellant. Plura hujus rei exempla idem* (Valck. p. 283.) *dedit.*

K et Σ. §. 429. Maitt. —

K et ΣΣ. Steph. Byz. *Βεβρυκων.*

K et ΣΧ. Hesych. *ικανοων. ισχανκα.*

K et T. Lucian. T. I. p. 69. 70. Scap. Dor. Maitt. — Salmas. lingua Hellen. 13. 14. 387. ad Solin. 106. Voss. T. Matth. §. 32. Lennep. *τυραννος.*

K et X. §. 389. 390. 429. 431. 537. 605. 680. 719. 768. Scap. Dor. Jon. Voss. C. Maitt. — Schweigh. lex. Herodot. II. p. 1. Suidas *κεκαδοντο. κηληθμος. κυαθος. λακανη. μαχλος. ουκι. ασχοφορια.* Hesych. *σκινδαλαμος.* Ruhnk. ad Tim. p. 22. Inscr. Rosett. v. 11. Philemon 294. Cang. gl. II. p. 1721. Salmas. inscr. Herod. 36. Murator. inscr. 2065 f. Cyriac. ins. Illyr. p. IV f. Torremuza p. 167. 184. *καιρε.* Lupi Sev. mart. 178. Cuper. Harp. 137. apoth. Hom. 299. Graev. thesaur. XI. 142. Gesn. ad Orph. p. 22. n. 78. Ficor. gemm. 37. Molinet tab. 8. n. 1. Seguin. num. 145. Spanh. I. 117 — 119. Misc. Lips. nov. I. 506. Haverc. I. 290. Hagenb. epist. epigr. (23) f. Villoiss. anecd. II. 121. Cayl. II. 184. Fea ad Winckelm. epist. Hercul. §. 28. *κιλος.* add. *κιθων. βαθρακος. ακανθια.* ap. Eustath. Il. 5. Sturz. 126. 127. Matth. §. 33. Schneider. lit. Φ. *σχινδαλμος.* et lit. X. *σχελις.* Lennep. *κιχεω. χρονος.* Seyffarth. 382. 571. Buttm. lexil. I. 12. Welcker. epigr. gr. p. 112 f. Roeth. ad Laur. Lyd. 138. Leich. sepulcr. carm. p. 46. *κθονιοι.* Lupi Sev. mart. 103. Meursii misc. Lac. 236. add. *ρεγκω* et *ρεγχω.*

KK et ΣK. Scalig. ad Manil. p. 385.

KΣ et Ξ. vide Ξ.

Λ.

Λ praefixum. Schneider. lit. I. λειβω. λιγδη. Lennep. λαχνη.

Λ geminatum. Timaei lex. Plat. ανειλλεται. Maitt. ὀλλος. εθελλω. Winckelm. Denkmale 88. Welcker. epigr. pr. p. 39.

Λ sublatum. Gruter. in ind.

Λ et B. Γ. Δ. vide B. Γ. Δ.

Λ et N. Scap. Attic. Dor. Jon. — Voss. L. et N. Maitt. — Suidas Ναΐς. γεντο. πνευμων. Hellad. 16. Damm. Λ. N. Salmas. lingua Hellen. 47. 48. ad Solin. 283. 446. 494. 1224. Matth. §. 29. Seyffarth. 381. 382. Roeth. ad Laur. Lyd. p. 262. Meurs. misc. Lacon. 50. αἰκλον et αἰκνον; Cret. p. 255. ηνθεν. Valckenaer ad Theocr. 409. Lennep. Φιντις.

Λ et P. §. 379. 429. 574. Plutarch. qu. Rom. 277. Luciani judic. vocal. p. 63. Steph. Byz. Αζιλις. Αθλιβις. Τελμερα. Καρπηια. Suidas αργαλεον. αρκυς. αρωδιος. παραγραμματισμος. Hesych. λαιη. Philemon 296. Scap. Att. — Maitt. — Voss. L. R. Hesych. αβρεμες. Salm. ann. clim. 606. ad Solin. p. 1158. Glossar. ad Nicet. καρδιναριος. Meurs. gl. καρδηναριος. πελεγρινος. πλωρα. Spanh. I. 117. 563. Reland. diss. II. 229. Graev. diss. p. 38. Marini papyr. 300. Baxter. gl. Rom. 307. συρω et συλω. Midleton gemm. 75. Sturz. 66. Seiffarth. 382. Roeth. ad Laur. Lyd. p. 84. Lennep. ελω. ερχομαι.

Λ et Y. Maitt. — Hesych. αυγειν. αυκαν. αυκνουσα. αυμα. θευγεσθαι. v. AΛ. et AY.

M.

M redundans. Suidas μιν. Helladius p. 8 f. μια pro ια. Damm. 1444. μειραξ. μοχλος. Lennep. μεσΦρα. ομβρος. ομΦη. τολμα.

M insertum. §. 429. Hesych. II. 310. n. 27. κομψυχος. Murator. inscr. 1432, 3. Gor. inscr. Etr. I. 187. Gesner. ad Orph. p. 370. Georg. ev. Joh. 385. 393. Ruhnken. ad Tim. lex. p. 77. n. 28. χριμπτω.

M sublatum. Lup. Sev. mart. 109. 174. add. Λαβδα.

M geminatum. Spanh. I. 122.

M et B. et K. vide B. K.

M et N. §. 576. Scapula Att. Dor. — Salmas. ad Solin. 1170. lingua Hellen. 358. πεμπε. Spanh. I. 120. Winckelm. Gesch. d. K. 499. τυνβος. Lupi Sev. mart. 103. 141. συνβιω. Boeckh. ad Pind. praef. 34.

M et Π. Maitt. — Voss. M. P. Suidas πενεσται. Graev. thesaur. X. praef. p. 5. Scalig. ad Tert. pall. 372. Matth. §. 30.

M et Σ. Scapul. Attic. — Maitt. — Suidas υΦεΦασμαι.

M et Φ. Maitt. — Hesych. κεμΦας pro κεμμας.

M et Ψ. Voss. ψιν pro μιν.

MH et HH. Chishull. antiqu. As. 129. Steph. Byz. Λαμπη.

N.

N redundans §. 408. Damm. Suidas εξαντη. μηδεν. Lennep. σπονδυλος. σποδυλος. τινα.

N sublatum. Dio. Cass. II. p. 1184. χαλον. Salm. lingua Hellen. 66. Spanh. I. 122. Buonarr. 133. Lupi Sev. mart. 109. Gor. ins. Etr. III. 316. Meurs. gl. 417. πεθερος. Schweigh. lex. Herodot. II. 119.

N geminatum. §. 830. Meurs. gloss. 426. πιννειν. Welcker. ep. Gr. p. 39.

N et Γ, I, K, Λ, M. v. hasce lit.

N et P. §. 484 576. Seyffarth. 381. Roether. ad Laur. Lyd. p. 228.

N et Σ. Maitt. — Scap. Dor. — Voss. N. S. Matth. §. 30.

N et T. vide Voss. in lit. N.

Ξ.

Ξ redundans. Lennep. εβρυζον.

Ξ sublatum. Suidas. ανα.

Ξ et Z. et K. vide Z. K.

Ξ et KΣ. §. 429. Scalig. ad Euseb. 107. ιεραξ.

Ξ et Σ. §. 431. 453. 456. 476. 882. Luciani jud. vocal. T. I. Bip. p. 67. Timaei lex. Plat. προσεπαιστε ibique not. Steph. Byz. Βεβρυκων. Suidas. ξυμπαθεια. ξυν. sequ. προσεπαισε. Scap. Att. Dor. Voss. lit. S. Maitt. — Salm. inscr. Herod. 36. lingua Hellen. 67. Mazoch. 154. Lennep παιζω. Inscr. Rosett. v. 6. 18. 39. Chishull. ant. As. 58. Winckelm. Denkmale II. 92. Reland. diss. II. 233. Fleetwood p. 138. 139. 339. Spanh. I. 121. Matth. §. 31. Schweigh. lex. Herodot. ξυμμιξας. Schneider. Ξ. *Notandus hoc loco inprimis est Thucydides, nec multum abfuit, quin omnis apud hunc literae Σ cum Ξ permutatio a criticis, ut fieri assolet, librariis tribueretur: sed intercedebat dilucidum Luciani testimonium. Hemsterh. ad Luc. p. 317.*

Ξ et ΣK. Voss. in X. Maitt. — Scalig. ad Euseb. 107. Schneider. Ξ. Ψ. σκιφος.

Ξ et ΣΣ. Maitt. — Plutarch. Marcell. p. 309. Ολιξον. Matth. §. 31. διξος. τριξος. Schweigh. lex. Herod. II. 131.

Ξ et X. vide Scapulam in dial. Attica.

ΞΣ et Ξ. vide Σ insertum.

O.

O redundans. Maitt. — Damm. Martorelli theca 480. Lennep. οβριμος. οκλαζω. οστρυς.

O insertum. Suidas γαλοα.

O sublatum. §. 358. 365. 374. 865. Grut.

O et A. vide A.

O et AI. Maitt. — Voss. — Fleetwood p. 285.

O et AY. Steph. Byz. Αυασις.

O et E. vide E.

O et EI. Philemon p. 292.

O et EY. Lennep. υιος. υιευς.

O et H. I. vide H. I.

O et OI. §. 429. 596. Winckelm. Gesch. d. K. p. 492. Cayl. II. 184. Schow. charta pap. 66. Sturz. 122. Matth. §. 26.

O et OY. §. 213. 365. 596. 645. 646. Scap. Dor. Jon. Herodot. νουσος. ουνομα. alia. Plutarchi Marcell. 309. Ουλιξον. qu. Rom. 288. Suidas Νομαιτια. κινομενος. οδος. ολαι. ουρος. Grut. in ind. Scalig. ad Euseb. 107. Salmas. lingua Hellen. 13. 65. inscr. Herod. 20. 36. 38. 39. Montf. pal. Gr. 131 f. 141. Spanh. I. 115. ad Callim. 270. Reland. diss. 1. p. 194. II. 169. Voss. ad Mel. 11. Σουγδιανοι. Roeth. ad Laur. Lyd. 269. Eckhel. II. 83. Cayl. II. 184. Cuper. apoth. Hom. 231. Siebenkees tab. hosp. 25. 26. 30. Gorii inscr. Etr. I. 73. Corsini notae Gr. 11. diss. 104. 105. Villoiss. II. 168. Gau Nub. XII. 26. Welcker. ep. Gr. p. 33. Seyffarth. 377. 381. 382. 412. Matth. §. 26. 27. Lennep. νοσος.

O et Y. Timaei lex. Plat. ρυμβειν. Hesych. αγυρις. Steph. Byz. Τασις. Suidas ρυμβειν. ρυφω. Apollodor. ed. Fabri p. 275. κυμαιθω. Voss. — Maitt. — Damm. Montf. pal. Gr. 193. Spanh. I. 116. 121. Τλεοτευς. et ad Callim. 699. Scholz. cur. cr. 61. κονας. Cayl. II. 183 f. 184. Matth. §. 25. Jacobs. ad Ach. Tat. p. 788. τροφη et τρυφη. Lennep. 294. ζευς. ονυμα.

O et Ω. §. 429. 431. 781. 785. 795. 864 f. 865. Scap. Att. Dor. Maitt. — Suidas βωρη. υδος. χρεων. Cang. gl. praef. p. 10. Montf. pal. Gr. 122. 132. 138. 242. Grut. in ind. Spanh. I. 115. 117. 119. ad Callim. 270. Ruhnk. ad Timaeum p. 10. Αιξωνευς et Αιξονευς. Chishull. ant. As. 129. Reines. inscr. 966. Mazoch. tab. Heracl. 138. Gorii inscr. Etr. III. 316. Fleetwood. 36. Visconti icon. Gr. I. tab. 2. in nom. Homeri. Mus. Pio-Clem. III. 144. VII. 266. Buonarr. 185. Martorelli theca 530. 531. Cren. mus. 354. 355. Villoiss. anecd. II. 168. Ficoron. gemm. p. 28. Voss. ad Mel. 308. Φλωμοι et Φλομοι. Mus. Veron. 66. θεων. quarto sing. casu. 67. διδασκον. Ρλατον. Roeth. ad Laur. Lyd. 20. 27. 154. 177. 190. 290. Siebenk. tab. hosp. 19. 22. 30. Georg. evang. Joh. 104-121. 390. 397. 399. Scholz. cur. crit. 60. Misc. Lips. nov. I. 491. Winckelm. Gesch. d. K. 499. Sturz. 122. 123. Gau Nub. XII. 26. Aesch. Eu. 634. Pr. 658. Welcker. ep. Gr. p. 89.

122. Matth. §. 24. Mazoch. 159. 283. ἑβδεμηκοντα.

E et OI. §. 431. ενεκευντων. Gesner. ad Orph. p. 170. 174. Gau XII. 26. Meurs. gloss. 154. ενακρατον.

E et OY. §. 365. 609.

E et Y. §. 431. Scapula Att. — Suidas κυλλαρος. παφλαζω. Φλεδονεια. Salmas. ling. Hellen. 65. ad Solin. 829. Maitt. — conf. Gesn. ad Orph. p. 32. n. 151. Bloch. 109. εδωρ. Voss. ad Mel. γυρινα et γερινα. Valcken. ad Theocr. 244.

E et Ω. §. 431. Scap. Doric. — Maittair. Suidas πλωω.

EA et A. v. A.

EA et H. v. H.

EE et EI. Scap. Jonic. — Suidas ερρει. ρεεθρον.

EE et H. v. H.

EI et A. v. A.

EI et AI. v. AI.

EI et E. vid. E.

EI et EE. v. EE.

EI et EO. Scapul. Attic. —

EI et EY. Corp. inscr. Berol. I. p. 84.

EI et EΩ. Scap. Attic. —

EI et H. v. H.

EI et HI. Scap. Attic. — Welcker. ep. Gr. p. 21.

EI et I. vide I.

EI et O. vide O.

EI et OI. §. 362. 396 f. 431. Suidas λοιβειον. Scap. Att. — Voss. — Scholz. cur. cr. 60. Philol. Bibl. I. 404. Roether. ad Laur. Lyd. 126. 190. 261. Seyffarth. 502. Bloch. 327.

EI et OY. Meurs. Cret. p. 255. αυτει.

EI et Y. vide Y.

EI et YI. Mazoch. tab. Heracl. 157.

EIA et H. vide H.

EA et EY. Voss. L. Meurs. Cret. 255. Hesych. θειγεσθαι.

EO et EI. vide EI

EO et EY. Scap. Dor. — Schweigh. lex. Herodot. σευ. Meurs. Cret. p. 255. Θευκρατης. ΘευΦραστος. Hesych. ευλετε.

EO et OY. Scap. Attic.

EY et A. vide A.

EY et AY. v. AY.

EY et B. vide B.

EY et E. vide E.

EY et EA. v. EA.

EY et EO. vid. EO.

EY et H. vide H.

EY et HY. Scap. Att. —

EY et O. vide O.

EY et OI. Oderic. diss. p. 37. κατευχησας.

EY et OY. §. 885. Scap. Dor. — Hesych. I. 823. n. 12. Chishull. ant. As.

126. Nova act. erudit. Lips. 1751. p. 399. Meurs. Cret. p. 255. Θευκυδιδης.

EY et Y. vide Y.

EY et Ω. vide Ω.

EΩ et EI. vide EI.

EΩ et Ω. vide Ω.

Z.

Z insertum Suidas ατιζω. Meurs. Cypr. p. 155. καληζω pro καλεω.

Z sublatum. Maitt. τριω. Suidas μαςτις.

Z et B. vide B.

Z et Γ. vide Γ.

Z et Δ. vide Δ.

Z et ΔΔ. Suidas μαζα. Hesych. μουσιδδει. ibique not.

Z et Θ. Maitt. Stephan. Byz. Θυμβρα. Lennep. θυγατηρ.

Z et I. §. 222. 416.

Z et Ξ. §. 222. Cang. gl. Gr. app. p. 76 f. Maitt. — Mem. de l'acad. 28. p. 542.

Z et ΠT. Maitt. — Suidas νιζω.

Z et Σ. §. 431. 596. 616. 646. Scap. Dor. Att. — Maitt. — Voss. S. Damm. Z. Gruter. inscr. 1096, 5. et in ind. Cang. gl. Gr. app. 76 f. Lucian. jud. vocal. T. I. p. 67. Sext. Emp. p. 253. 254. Suidas ζειρα. Falconer. inscr. athl. 85. Smith. opusc. app. 53. Gutberl. Cabir. p. 130. Georg. inscr. Palm. 82. ev. Joh. 399. 411. Sturz. 46. Spanh. I. 116 f. Seguin. numi 169. Winckelm. catal. p. 42. n. 52. Seyffarth. 566. 569. Welcker. ep. Gr. p. 213. Schneider. Z. Hesych. 1613. n. 4.

Z et ΣΔ. Voss. — Maitt. — σδευς. τραπεσδα. σδευγλα. μεσδων. ὀρισδω. ἐρασδε. contra v. Αθηναζε. Scap. Dor. Aeol. — Valcken. ad Theocr. p. 346. παισδειν. Schweigh. lex. Herod. μαζος. Villoiss. II. 121. Spanh. ad Calim. 200. Reimar. ad Dion. p. 235. n. 60. Schneider. Z. μουσισδω. σδυγον. Lennep. μαστος.

Z et ΣΣ. Maitt. — Matth. §. 29. 31. Lennep. οδυρομαι.

Z et T. Lucian. jud. vocal T. I. p. 68. Maitt. —

Z et TT. Scap. Att. Matth. §. 29.

H.

H redundans. Maitt. — Hesych. ηερεθιζονται. Suidas II. 48. ηειρεν. 56. ηλυγη. ποιοιη. Damm. 990. στειητη.

H sublatum. Maitt. ειμεν. ειτε.

H et A. vide A.

H et AE. Scapula Dor. — Hesych. I. 1647. n. 17.

H et AEI. Scap. Attic. —

H et AI. §. 396. 401. 646. Maitt. — Scapula in plur. dial. Voss. E. Suidas τιδαι. Montf. diar. It. 429 f. Sturz. 118. Mazoch. 377. Salm. lingua Hellen. 75.

Martor. theca. 526. Damm. H.— Matth. §. 16. 25. Bloch. 107 — 109. Welcker. ep. Gr. p. 239.

H et E. vide E.

H et EA. §. 774. Scap. Att. — Suidas κεχηνη. *et per crasin, ut* εαρ, ηρος.

H et EE. Plat. in Crat. T. III. Bip. p. 287. Scap. Dor. — Schneider. H. δεελος.

H et EI. §. 359. 394. 832. Plutarchi Pelopid. p. 293. ειδους pro ηδους. Apollodor. L. 3. p. m. 247. φυγειν pro φυγην. Grut. in ind. Scapula Att. Dor. — Maitt. — Damm. H. Suidas κηρυλος. Boisson. ad Herod. p. IX. 14. 188. Scalig. ad Euseb. p. 109 τει. Salmas. inscr. Herod. 16. 36. ad Solin. 1028. Reland. diss. II. 261. Cren. mus. 348. Meurs. misc. Lacon. 218. Creta p. 255. χηρες. Montf. pal. Gr. 139. Mazoch. 146. 161. 183. 220. 224. Roether. ad Laur. Lyd. p. 13. 45. 249. Leich. sepulcr. carm. p. 2. Sturz. 53. 119. 120. Georg. ev. Joh. 174. Scholz. cur. cr. 60. Patin. cenot. Artor. p. 461. μνηας. Eckh. IV. 3. Villoiss. II. 168. Aesch. Su. 957. 963. Ag. 185. 800. 985. Matth. §. 15. f. 25. 27. Seyffarth. 171. 475. 480. Bloch. 99.

H et EIA. Steph. Byz. Αγαμεια.

H et EY. Maitt. — Matth. §. 25.

H et HI. Scap. Att. — Gan. Nub. XII. 26.

H et I. §. 21. 191 f. 359. 385. 389. 423. 431. 686. 794. 841. 856. 885. Inscr. Rosett. v. 8. ηεροι. Thucyd. T. I. Bip. p. 377 f. Donat. inscr. 23, 2. Maitt. — Gruter. in ind. Voss. lit. I. Suidas Ναξος. νηλιτης. Αμινσος. Hesych. πηδυω. Oderici diss. p. 38. Montf. pal. Gr. 139. 187. 213. 230. 233. 236. 242. 251. 292. Salmas. ad Solin. 1028. Reland. diss. II. 261. Gan. XII. 26. Gronov. ad Maneth. 1, 14. p. 269. Gutberl. inscr. Smyrn. p. 123. Cuperi apoth. p. 40. Siebenkees tab. hosp. 19. 20. Schow charta papyr. 89. Ruhnken. ad Tim. lex. 183. τηθη. τιθη. 189. ψιτται. Sturz. 121. 122. Woid. notit. cod. Al. 32. Scholz. cur. cr. 60. Georg. ev. Joh. 345. 411. 471. Didym. lit. Copt. 40. Boisson. ad Herodian. p. IX et 14. Patin. l. c. 449. Martorelli theca 526. 531. Marini papyr. p. 300. Corsini notae Gr. 32 f. Aesch. Se. Th. 8. 60. 567. Matth. §. 25. Seyffarth. 387. 396. 399 — 401. Bloch. 99. 175. 347. Meurs. gl. 345. μησεβειν pro μισευειν. Museum Veron. 67. Στρατονικης. Roeth. ad Laur. Lyd. 104. 291. Fabri agonist. p. 316. ατονιτι et ατονητι. Schneider. ιαω et ηαω. Lennep. Φασηλος. Φασιλος. *Critici, qui ad libros scriptos tantum respiciunt, et monimenta negligunt, profecto temere*

omnem literarum H et I permutationem librariis tribuunt (Valck. ad Lennep. etym. ed. 2. p. 341.) *haud scilicet perpendentes in permultis monimentis adhuc exstantibus eandem observari confusionem; et a grammaticis ipsis easdem literas esse permutatas* (Ruhnken. ad Tim. lex. p. 183.)

H et O. §. 431. 571. Matth. §. 25.

H et OI. §. 431. Salmas. ad Solin. 1028 Gesn. ad Orph. p. 171 f. Crenii mus. p. 353. Georg. ev. Joh. 104. 411. 412. Treschow cod. Gr. 59. Scholz. cur. cr. 60. Seyffarth. 513. Roeth. ad Lyd. p. 46.

H et OY. Voss. φοβουμενοι.

H et Y. §. 394. 431. 575. Suidas υφηφασμαι. Salmas. ad Solin. 1028. Maitt. — Montf. pal. Gr. 160. 236. θηγατηρ. Sturz. 121. 123. Scholz. 60. Didym. 40. 49. ητερ. Georg. 372. 399. 412. Cang. 1165 τηξις. Meurs. gl. 419. πευυς. Cup. apoth. Hom. 12. Eckh. IV. 3. Roeth. ad Laur. Lyd. 53. 234. 263.

H et Ω. §. 429. Maitt. — Schow. ch. pap. 91. Sturz. 121. Scholz. cur cr. 61. Matth. §. 25.

HI et EI. vid. EI.

HI et H. vide H.

HY et E. vid. E.

HY et EY. v. EY.

Θ.

Θ insertum. Damm. Maitt. — Scheid. ad Lennep. ιφι.

Θ sublatum. Maitt. — Suidas ορυμαγδος. Seyffarth. 562.

Θ et Δ. vide Δ.

Θ et Z. vide Z.

Θ et P. Hesych. αδαιτρον. not. 4.

Θ et Σ. Chishull. ant. As. p. 136. σιως. Maitt. — Scap. Att. Dor. Aeol. — Lactant. 1, 6. Suidas διποδια. Hesych. βορσον. σασαι. σειναι. σιορ. Meurs. misc. Lac. 136. 139. 217. Valcken. ad Theocr. p. 273 sequ. Meurs. Rhod. p. 84 f. Voss. TH. Damm. Philemon 292. Salmas. de usur. 45. 256. ad Solin. 80. lingua Hellen. p. 22. 81. 367. 368. Spanh. ad Callim. 668. Georg. evang. Joh. 353. Thorlac. opusc. V. 401. Matth. §. 18. 29. Seyffarth. 561. Bloch. 250. Schneider. Θ. σειος. Ασανα. Σ. σειν. σειναι. ελσον. σετω.

Θ et ΣΣ. Suidas βυσσος. Maitt.

Θ et T. §. 429. 622. 841. Maitt. — Damm. Scapula Attic. Jon. — Voss. TH. Lucian. jud. voc. T. f. p. 68. Suidas Αυθεια. θελγει. κιστη. μασθος. μεταναι. Salmas. ins. Herod. 36 f. 108. Georg. ev. Joh. 326. 391. Sturz. 126. Martorell. theca 478 480. 530. 531. Cayl. II. 183. Eusth. Il. 5. κιθων. βαθρακος. ακανθια.

Thorlac. op. V. 398. Seyffarth. 382. Suicer. ενθευτεν pro εντευθεν. αυτις pro αυθις. Schweigh. lex. Herod. II. 312. Mazoch. 152.

Θ et Φ. Maitt. — Scapula Att. Jon. Φλασις. Voss. TH. Hesych. θαταν. Φαβα. ibique notae. Valcken. ad Theocr. p. 368. 369. Salmas. ad Sol. 306. L. Hellen. 395 f. Suidas αφλαστον. Schneider. Θ. Φηρ. Φλαω. Φλιβω. Lennep. θυω. Φλαω. Matth. §. 29.

Θ et X. Maitt. — Voss. CH et TH. Meurs. Cret. p. 255. ορνιχες. Salmas. ad Sol. 106. 322. Matth. §. 29.

I.

I additum. §. 359. 408. Maitt. — Suidas II. 373. κρειον. Donati inscr. II. 430, 18. ιωμν. Meurs. gloss. πιστον. Damm. Schneider. Lennep. ιαυω. ιαυω.

I sublatum. §. 412. Suidas χαιλ. χαα. Maitt. — Salmas. lingua Hellen. 66. add. υγιεια et υγεια.

I et A. vide A.

I et AI. §. 389. 401. Voss. in I.

I et Γ. vide Γ.

I et E. vide E.

I et EI. §. 187. 195. 359. 360. 362. 374. 395. 416. 418. 429. 431 552. 782. 816. 833. 884. Cic. ad div. 9, 22. Suidas ειδεα. λιχνον. προαστειον. Hesych. βεινειν. ιαρα. Σωτιριτης. Dion. Halicarn. I. Sylb. p. 247. στρατειαν, al. Grut. ind. Salmas. de usur. 678. inscr. Herod. 21. 64. 122. Scalig. epist. 329. 331. ad Euseb. p. 106. Montf. pal. Gr. 165. 187. 230. 232. 236. 242. diar. It. 356. 361. 430. ant. expl. V. 71. 191. suppl. III. 174. Cuperi obs. 314. apoth. Hom. 37. Leich. sepulcr. carm. p. 72. Dale diss. p. 496. τειμη et τιμι. Meursii misc. Lacon. 266. 267. Crenii mus. 350. 351. Gronov. ad Maneth. 1, 14. p. 269. Spanh. I. 199. 122. Schlaeg. num. Hadr. 48. Gorii columbar. libertor. 213. inscr. Etr. III. 316. Fabrett. 468. Buonarr. 139. 169. Falconer. athlet. p. 52. 83. Nov. act. erud. 1751. p. 399. Beger. spicil. 90. Martorelli theca 526. 530. 531. Oderici diss. p. 36 — 38. Mazochi Heracl. p. 138. 201. Corsini diss. 2. p. 39. Lupi Sev. mart. p. 141. μνιας, ευψυχι. 191. κυρειω Χρειστε. Scalig. ad Euseb. 106 107. τειμητης, νεικη. Poleni thesaur. II. praef. p. 19. Winckelm. Denkm. II. 92. Cayl. II. tab. 60. Noris. epoch. p. 500. Hagenb. epist. epigr. (16). Chifflet. 66. Georg. ev. Joh. 181. 399. Woid. notit. cod. Alex. 30. 31. Sturz. 120. 121. Schweigh. lex. Herodot. I. 183. Didym. lit. Copt. 40. Scholtz. gr. Aeg. p. 6. Scholz. cur. crit. p. 60. Gut-

berl. inscr. Smyrn. p. 123. Mus. Pio-Clem. VI. 156. Gau Nub. XII. 26. Seyffarth. 475 f. 480. 485 sequ. 490. Bloch. 54. 199. 200. Welcker. ep. Gr. p. 39. 40. Valcken. ad Theocrit. p. 244. Roether. ad Laur. Lyd. 193. 278. 287. Lennep. 171. *δεικω. δικω.* Reland. diss. I. p. 172.

I et Z. vide Z.

I et H. vide H.

I et IA. §. 865 f. *in nom. term. ις* pro *ιας.*

I et IO. §. 358. 365. 374. 865 f. Nov. act. erud. 1751. p. 399. Corsin. notae Gr. 57. 58. 86. diss. 2. p. 23. Bloch. 252.

I et N. Voss. in I et N. Maitt. — Valcken. ad Theocr. 361.

I et O. Scap. Att. — Maitt. — Inscript. Rosett. v. 37. Suidas II. 616 *Νειλεως per crasin pro Νεολεως.*

I et OI. §. 646. Montfauc. pal. Gr. 242. Cang. gl. Gr. II. 1193. 1166. Corsin. diss. 2. p. 39. Winckelm. Denkm. II. 92. Sturz. 122. 123. Georg. 411. Havercamp. II. 305. Bloch. 252. Wheler voy. 430. *ποιομος, in lapidis titulo!*

I et Y. §. 362. 367. 413. 426. 431. 617. 841. 889. Maitt. — Suidas *νεωρια. εγχελυς.* Montf. pal. Gr. 242. Fabric. bibl. Gr. IX. 630. Salmas. inscr. Her. 73. Herodian. Boiss. 84. Philemon 289. Voss. in Y. et ad Melam. 88. *σκιρος* et *σκυρος.* Mazoch. 201. Buonarr. 139 f. Meurs. misc. Lac. 248. Ruhnken. ad Tim. lex. p. 165. 166. *Σκιριτης* et *Σκυριτης.* p. 169. *στριφνον* et *στρυφνον.* 170. *σιφρος* et *συφρος.* Cang. pr. p X. Spanh. I. 119. 120. Wilde gemm. 175. Choul. rel. Rom. 182. *τιχη.* Ursati mon. Pat. 263 f. Torremuza 5, 41. Biagi Gr. Nan. 39. *νιατρος.* Reines. inscr. 633, 69. Wilde num. 196. Ficoron. gemm. 11. 49. 57. Buonarr. 139. Gor. inscr. Etr. I. 457. Cayl. II. 175. IV. tab. 57, 6. Corp. inscr. Gr. Berol. I. p. 84. 93. Siebenk. tab. hosp. 35. Mus. Pio-Clem. III. 244. *Γανιμηδης.* Sturz. 122. 123. Didym. lit. Copt. 40. Maccab. I. 7, 8. *φυλον.* Lennep. *φιλυκη. φρυγω* et *φριγω.* Winckelm. Nachr. Herculan. §. 105. *βιβλος* et *βυβλος.* Aesch. Pr. 123. 845. Welcker. ad Aesch. p. 479. Buttm. lexilog. I. 18. II. 213. Seyffarth. 423. Bloch. 327. add. *μιστιλη* et *μυστιλη. μυσος. δυκη. Αφροδυτη.*

I et X. §. 845 f. *νεισις* pro *νεχεις?*

I et Ω. Maitt. — *αφεωνται.*

IA et I. vide I.

IO et I. vide I.

IY et Y. vid. Y.

K.

K addit. Diodor. 4, 56. *Αιητη. Καιητη.* Suidas *καυρος. κεκμηκως.* Hellad. ap. Meurs.

regn. Lacon. p. 7. κνεφας. κτυπος. καινυτο. καυρος. conf. Photium p. m. 1582. Lennep. κτυπεω. συν.

K sublatum. §. 841. Reland. diss. II. 116. ελευθος. αυχημα. ανθηλια. αυλακια. Hesych. et Suidas ιχλα. κιχλα.

K et Γ. vide Γ.

K et M. Maitt. — Κελευος.

K et N. Maitt. κοειν.

K et Ξ. Timaei. lex. Plat. p. 71. ειξασι. Maitt. — Voss. C. ιξον et ικον. Schneider. Ξ. ξυνος.

K et Π. Curnut. nat. d. §. 17. p. 177. Voss. Maitt. Haverc. II. 311. Matth. §. 30. Seyffarth. 382. Schweigh. lex. Herodot. II. p. 1. Lennep. ελπις. κρεκω. οπω.

K et P. Scapul. Dor. Maitt. — Valcken. ad Theocr. 346. μικκον pro μικρον. *ex neglecta diligentiori pronuntiatione, quam quidem adsimilationem alii appellant. Plura hujus rei exempla idem* (Valck. p. 283.) *dedit.*

K et Σ. §. 429. Maitt. —

K et ΣΣ. Steph. Byz. Βεβρυκων.

K et ΣX. Hesych. ικανοων. ισχανα.

K et T. Lucian. T. I. p. 69. 70. Scap. Dor. Maitt. — Salmas. lingua Hellen. 13. 14. 387. ad Solin. 106. Voss. T. Matth. §. 32. Lennep. τυραννος.

K et X. §. 389. 390. 429. 431. 537. 605. 680. 719. 768. Scap. Dor. Jon. Voss. C. Maitt. — Schweigh. lex. Herodot. II. p. 1. Suidas κεκαδοντο. κηληθμος. κυκαθος. λακανη. μαχλος. ουκι. ωεχοφορια. Hesych. σκινδαλαμος. Ruhnk. ad Tim. p. 22. Inscr. Rosett. v. 11. Philemon 294. Cang. gl. II. p. 1721. Salmas. inscr. Herod. 36. Murator. inscr. 2065 f. Cyriac. ins. Illyr. p. IV f. Torremuza p. 167. 184. καιρε. Lupi Sev. mart. 178. Cuper. Harp. 137. apoth. Hom. 299. Graev. thesaur. XI. 142. Gesn. ad Orph. p. 22. n. 78. Ficor. gemm. 37. Molinet tab. 8. n. 1. Seguin. num. 145. Spanh. I. 117 — 119. Misc. Lips. nov. I. 508. Haverc. I. 290. Hagenb. epist. epigr. (23) f. Villoiss. anecd. II. 121. Cayl. II. 184. Fea ad Winckelm. epist. Hercul. §. 28. κιλος. add. κιθων. βαθρακος. ακανθια. ap. Eustath. Il. 5. Sturz. 126. 127. Matth. §. 33. Schneider. lit. Φ. εχινδαλμος. et lit. X. σχελις. Lennep. κιχεω. χρονος. Seyffarth. 382. 571. Buttm. lexil. I. 12. Welcker. epigr. gr. p. 112 f. Roeth. ad Laur. Lyd. 138. Leich. sepulcr. carm. p. 46. κθονιοι. Lupi Sev. mart. 103. Meursii misc. Lac. 236. add. ρεγκω et ρεγχω.

KK et ΣK. Scalig. ad Manil. p. 385.

KΣ et Ξ. vide Ξ.

Λ.

Λ praefixum. Schneider. lit. I. λειβω. λιγδη. Lennep. λαχνη.

Λ geminatum. Timaei lex. Plat. ανειλλεται. Maitt. ὀλλος. εθελλω. Winckelm. Denkmale 68. Welcker. epigr. pr. p. 39.

Λ sublatum. Gruter. in ind.

Λ et Β. Γ. Δ. vide Β. Γ. Δ.

Λ et Ν. Scap. Attic. Dor. Jon. — Voss. L et N. Maitt. — Suidas Ναΐς. γεντο. πνευμαν. Hellad. 16. Damm. Λ. N. Salmas. lingua Hellen. 47. 48. ad Solin. 283. 446. 494. 1224. Matth. §. 29. Seyffarth. 381. 382. Roeth. ad Laur. Lyd. p. 262. Meurs. misc. Lacon. 50. αἰκλον et αἰκνον; Cret. p. 255. ηνθεν. Valckenaer ad Theocr. 409. Lennep. Φιντις.

Λ et Ρ. §. 379. 429. 574. Plutarch. qu. Rom. 277. Luciani judic. vocal. p. 63. Steph. Byz. Αζιλις. Αθλιβις. Τελμερα. Καρπηια. Suidas αργαλεον. αρκυς. ερωδιος. παραγραμματισμος. Hesych. λακη. Philemon 296. Scap. Att. — Maitt. — Voss. L. R. Hesych. αβρεμες. Salm. ann. clim. 606. ad Solin. p. 1158. Glossar. ad Nicet. καρδιναριος. Meurs. gl. καρδηναριος. πελεγρινος. πλωρα. Spanh. I. 117. 563. Reland. diss. II. 229. Graev. diss. p. 38. Marini papyr. 300. Baxter. gl. Rom. 307. συρω et συλω. Midleton gemm. 75. Sturz. 66. Seiffarth. 382. Roeth. ad Laur. Lyd. p. 84. Lennep. ελω. ερχομαι.

Λ et Υ. Maitt. — Hesych. αυγειν. αυκαν. αυκυονα. αυμα. θευγεσθαι. v. ΑΛ. et ΑΥ.

M.

M redundans. Suidas μιν. Helladius p. 8 f. μια pro ια. Damm. 1444. μειραξ. μοχλος. Lennep. μεσΦρα. ομβρος. ομΦη. τολμα.

M insertum. §. 429. Hesych. II. 310. n. 27. κομψυχος. Murator. inscr. 1432, 3. Gor. inscr. Etr. I. 187. Gesner. ad Orph. p. 370. Georg. ev. Joh. 385. 393. Ruhnken. ad Tim. lex. p. 77. n. 28. χριμπτω.

M sublatum. Lup. Sev. mart. 109. 174. add. Λαβδα.

M geminatum. Spanh. I. 122.

M et Β. et Κ. vide B. K.

M et Ν. §. 576. Scapula Att. Dor. — Salmas. ad Solin. 1170. lingua Hellen. 358. πεμπε. Spanh. I. 120. Winckelm. Gesch. d. K. 499. τυνβος. Lupi Sev. mart. 103. 141. συνβιω. Boeckh. ad Pind. praef. 34.

M et Π. Maitt. — Voss. M. P. Suidas πενεσται. Graev. thesaur. X. praef. p. 5. Scalig. ad Tert. pall. 372. Matth. §. 30.

M et Σ. Scapul. Attic. — Maitt. — Suidas υΦεΦασμαι.

M et Φ. Maitt. — Hesych. κεμΦας pro κεμμας.

M et Ψ. Voss. ψιν pro μιν.

MH et HH. Chishull. antiqu. As. 129. Steph. Byz. Λαμπη.

N.

N redundans §. 408. Damm. Suidas εξαντη. μηδεν. Lennep. σπονδυλος. σπεδυλος. τινω.

N sublatum. Dio. Cass. II. p. 1184. χαδου. Salm. lingua Hellen. 66. Spanh. I. 122. Buonarr. 133. Lupi Sev. mart. 109. Gor. ins. Etr. III. 316. Meurs. gl. 417. πεθερος. Schweigh. lex. Herodot. II. 119.

N geminatum. §. 830. Meurs. gloss. 426. τιννειν. Welcker. ep. Gr. p. 39.

N et Γ, I, K, Δ, M. v. hasce lit.

N et P. §. 484. 576. Seyffarth. 381. Roether. ad Laur. Lyd. p. 228.

N et Σ. Maitt. — Scap. Dor. — Voss. N. S. Matth. §. 30.

N et T. vide Voss. in lit. N.

Ξ.

Ξ redundans. Lennep. οβρυζον.

Ξ sublatum. Suidas. ανα.

Ξ et Z. et K. vide Z. K.

Ξ et KΣ. §. 429. Scalig. ad Euseb. 107. ιεραξς.

Ξ et Σ. §. 431. 453. 456. 476. 882. Luciani jud. vocal. T. I. Bip. p. 67. Timaei lex. Plat. προεστασιν ibique not. Steph. Byz. Βεβρυκων. Suidas. ξυμπαθεια. ξυν. sequ. προεστασιν. Scap. Att. Dor. Voss. lit. S. Maitt. — Salm. inscr. Herod. 36. lingua Hellen. 67. Mazoch. 154. Lennep παιζω. Inscr. Rosett. v. 6. 18. 39. Chishull. ant. As. 58. Winckelm. Denkmale II. 92. Reland. diss. II. 233. Fleetwood p. 138. 139. 339. Spanh. I. 121. Matth. §. 31. Schweigh. lex. Herodot. ξυμμιξας. Schneider. Ξ. *Notandus hoc loco inprimis est Thucydides, nec multum abfuit, quin omnis apud hunc literae Σ cum Ξ permutatio a criticis, ut fieri assolet, librariis tribueretur: sed intercedebat dilucidum Luciani testimonium. Hemsterh. ad Luc. p. 317.*

Ξ et ΣK. Voss. in X. Maitt. — Scalig. ad Euseb. 107. Schneider. Ξ. Ψ. σκιφος.

Ξ et ΣΣ. Maitt. — Plutarch. Marcell. p. 309. Ολιξου. Matth. §. 31. διξος. τριξος. Schweigh. lex. Herod. II. 131.

Ξ et X. vide Scapulam in dial. Attica.

ΞΣ et Ξ. vide Σ insertum.

O.

O redundans. Maitt. — Damm. Martorelli theca 480. Lennep. οβριμος. σκλαζω. οστρυς.

O insertum. Suidas γαλοω.

O sublatum. §. 358. 365. 374. 865. Grut.

O et A. vide A.

O et AI. Maitt. — Voss. — Fleetwood p. 285.

O et AY. Steph. Byz. Αυασις.

O et E. vide E.

O et EI. Philemon p. 292.

O et EY. Lennep. υιος. υιευς.

O et H. I. vide H. I.

O et OI. §. 429. 596. Winckelm. Gesch. d. K. p. 492. Cayl. II. 184. Schow. charta pap. 66. Sturz. 122. Matth. §. 26.

O et OY. §. 213. 365. 596. 645. 646. Scap. Dor. Jon. Herodot. νουσος. ουνομα. alia. Plutarchi Marcell. 309. Ουλιξου. qu. Rom. 288. Suidas Νομαντια. κινομενος. οδος. ολαι. ουρος. Grut. in ind. Scalig. ad Euseb. 107. Salmas. lingua Hellen. 13. 65. inscr. Herod. 20. 36. 38. 39. Montf. pal. Gr. 131 f. 141. Spanh. I. 115. ad Callim. 270. Reland. diss. 1. p. 194. II. 169. Voss. ad Mel. 11. Σουγδιανοι. Roeth. ad Laur. Lyd. 269. Eckhel. II. 83. Cayl. II. 184. Cuper. apoth. Hom. 231. Siebenkees tab. hosp. 25. 26. 30. Gorii inscr. Etr. I. 73. Corsini notae Gr. 11. diss. 104. 105. Villoiss. II. 168. Gau Nub. XII. 26. Welcker. ep. Gr. p. 33. Seyffarth. 377. 381. 382. 412. Matth. §. 26. 27. Lennep. νοσος.

O et Y. Timaei lex. Plat. ρυμβειν. Hesych. αγυρις. Steph. Byz. Τασις. Suidas ρυμβειν. ρυφαι. Apollodor. ed. Fabri p. 275. κυμαιθω. Voss. — Maitt. — Damm. Montf. pal. Gr. 193. Spanh. I. 116. 121. Τδισσευς. et ad Callim. 699. Scholz. cur. cr. 61. κονας. Cayl. II. 183 f. 184. Matth. §. 25. Jacobs. ad Ach. Tat. p. 788. τροφη et τρυφη. Lennep. 294. ζευς. ονομα.

O et Ω. §. 429. 431. 781. 785. 795. 864 f. 865. Scap. Att. Dor. Maitt. — Suidas βιωη. υδος. χρσαν. Cang. gl. praef. p. 10. Montf. pal. Gr. 122. 132. 138. 242. Grut. in ind. Spanh. I. 115. 117. 119. ad Callim. 270. Ruhnk. ad Timaeum p. 10. Αιξωνευς et Αιξονευς. Chishull. ant. As. 129. Reines. inscr. 966. Mazoch. tab. Heracl. 138. Gorii inscr. Etr. III. 316. Fleetwood. 36. Visconti icon. Gr. I. tab. 2. in nom. Homeri. Mus. Pio-Clem. III. 144. VII. 266. Buonarr. 185. Martorelli theca 530. 531. Cren. mus. 354. 355. Villoiss. anecd. II. 168. Ficoron. gemm. p. 28. Voss. ad Mel. 308. Φλομοι et Φλωμοι. Mus. Veron. 66. θεων. quarto sing. casu. 67. διδασκον. Πλατον. Roeth. ad Laur. Lyd. 20. 27. 154. 177. 190. 290. Siebenk. tab. hosp. 19. 22. 30. Georg. evang. Joh. 104 121. 390. 397. 399. Scholz. cur. crit. 60. Misc. Lips. nov. I. 491. Winckelm. Gesch. d. K. 499. Sturz. 122. 123. Gau Nub. XII. 26. Aesch. Eu. 634. Pr. 658. Welcker. ep. Gr. p. 89.

OA et Ω. vide Ω.
OE et Y. vide Y.
OEY et OY. Maitt.
OH et Ω. vide Ω.
OI et AI. vide AI.
OI et E. vide E.
OI et EI. vide EI.
OI et EY. vide EY.
OI et H. I. O. vide hasce literas.
OI et OY. §. 552 f. 594. Philemon. 295. Salmas. inscr. Her. 123. Ficoron. gemm. 38 f. Matth. §. 27. Seyffarth. 502. Bloch. 119. Mus. Veron. 331. Roeth. ad Laur. Lyd. p. 116. 142. 232.
OI et Y. vide Y.
OI et Ω. vide Ω.
OI pro ῳ. Salmas. inscr. Her. 37 f. Villoiss. II. 168. Meurs. gl. 420.
ON et ANA. vide ANA.
OO et OY. Scapula Attic.
OΣ et ΩN. in nominum propriorum terminatione promiscue adhibentur. Cap. apoth. Hom. 287. Καδμος et Καδμων. Λαυσος et Λαυσων. Μιλος et Μιλων.
OY pro digamma. Dionys. Hal. Sylb. 16.
OY et A. vide A.
OY et AE. vide AE.
OY et AY. vide AY.
OY et B. vide. B.
OY et E. vide E.
OY et EO. vide EO.
OY et EY. vide EY.
OY et H. vide H.
OY et O. vide O.
OY et OEI. vid. OEI.
OY et OI. vide OI.
OY et OO. vid. OO.
OY et Y. vide Y.
OY et Ω. vide Ω.

Π.

Π an instar cognati B vocibus praepositum fuerit? conf. Plat. in Cratyl. T. 3. p. 269. Suidas πρεσοτης. Lennep. πτιλος.
Π geminatum. Welcker. ep. Gr. p. 39.
Π sublatum. Hesych. ηγανεα. not. 21. ηγανον et πηγανον. Montfauc. ant. V. 71. αμεμτος.
Π et B. et K. et M. vide B. K. M.
Π et T. Scap. Dor. — Voss. T. Maitt. — Salmas. lingua Hellen. 358. πεμπε. Matth. §. 32. Suidas Γρυττος. Meurs. Cret. p. 255. σταδιον.
Π et Φ. 429. 431. 594. Scap. Dor. Jon. Att. — Voss. F et P. Maitt. — Suidas Ναπυ. ασφαραγον. σπετειον. ορπηξ. σταφυλη. φροιμιον. Hesych. ηκει not. 2. Schweigh. lex. Herod. II. 169. Philemon. 297. Laur. Lyd. exc. 13. p. 12. Grut. in ind. Cang. gl. Gr. I. 161. 748. II. 192. Meursii gl. 469. ραφτες. Salmas. lingua Hellen. 71. conf.

τελα. τελλα. Sturz. 126. 127. Seyffarth. 381. 382. 552. 561. Matth. §. 32. Thiersch. gr. Gr. p. 24. Buttm. lexilog. I. 241. 246. II. 271. ad 58. Schneider Φ. Lennep. σπονδυλος.

ΠΠ et ΜΠ. v. ΜΠ.

ΠΤ et Ζ. vide Z.

ΠΤ et ΣΣ. Voss. PT. Maitt. Matth. §. 30.

ΠΦ et Φ. vide Φ.

Ρ.

Ρ insertum. Suidas Ελατεια. Strabo X. p. m. 512. *de Eretriensibus.*

Ρ geminatum. Welcker. ep. Gr. praef. 39. conf. PP.

Ρ sublatum. Gruter. in ind. Salmas. lingua Hellen. 53.

Ρ et Δ. Θ. Κ. Λ. Ν. vide hasce liter.

Ρ et Σ. Scapula Att. — Voss. R. Maitt. — Lucian. jud. voc. T. 1. p. 67. Hesych. θερμα. πελανωρ. σιορ. Meurs. misc. Lacon. 135 136. 218. Suidas εκι κορρης. ταρροι. υδος. Χαλκιδιζειν. Stephan. Byz. Τυρρηνια. Τρια. Τεια. Χερρονησος. *quod Herodoto et aliis* Χερσονησος. Spanh. I. 105. Scalig. in Manil. p. 385. Salmas. lingua Hellen. 342. 396. Erasm. adag. 3, 2, 41. p. 529. Matth. §. 31. Seyffarth. 377. 881. Corp. inscr. Gr. I. p. 28. Lennep. κολλυριον. μαρτυρ. σηρ. υδωρ. υρον.

Ρ et Τ. Maitt. in dialect.

ΡΡ et ΡΣ. vide Scapul. in Att. Jon. — *ΡΣ* id. in iisdem.

Σ.

Σ praefixum. Plat. Phaed. T. I. Bip. p. 262. σμικροι. Steph. Byz. 606. et Plutarch. Σκαπτησυλη. Σκαπτη υλη. Suidas σκυριττω, Hesychius ηριφακον. not. 31. Maitt. — Damm. Salmas. lingua Hellen. 360. 369. 385. ad Solin. 46. 176. Reland. diss. I. 171 Lennep. θεσπις. μαραγδος. ζευς. σελλος. σκεδαω. σκευος. στεγω. σταλλω. φασηλος.

Σ geminatum. §. 833. 849. Maitt. — Corp. inscr. Gr. Berol. p. 25. 42. Welcker. ep. Gr. praef. p. 38.

Σ insertum. §. 865. Ναξειον. Suidas πενος. πεσνος. Φλοισβου. Phavorin. μιγω. Salmas. ad Solin. 508. αισγιλοψ. Scholz. cur. cr. 61. Lennep. λεσχη.

Σ sublatum. Hesych. ιτυα. ιγα. Suidas νευτα. κατετος. τλεγγις. Salmas. lingua Hellen. 61. 65. 97. 389. Damm. Matth. §. 30. Meursii misc. Lacon. p. 12. 217. 218. Πηρεφονεια. ap. Hesych. Buonarruoti 140. Valckenaer. ad Theocr. 270. 272. Spanh. I. 122. Gorii inscr. Etr. I. 81. χρητης. add. Μωα. νεηαι. ιτυα. κεδαζω. αγανα. conf. Schneider. Σ.

Σ et Δ, Ζ, Κ, Μ, Ν, Ξ, Π, Ρ. vide hasce literas.

Σ et T. Scap. Att. Dor. Maitt. — Voss. S. Lucian. jud. vocal. T. I. p. 61. 65 — 67. 69. Suidas Νεττεος. τηλια. τημερον. Dio Cass. Reimari T. II. p. 1141. Prideaux marm. Ox. 123. τελεται. Siebenk. tab. hosp. p. 22. Meurs. misc. Lac. 218. Valckenaer. ad Theocr. 284. Meurs. Cret. p. 255. τυ. Schweigh. lex. Herodot. II. 312. Damm. Σ. Salmas lingua Hellen. 67. Montf. diar. Ital. 429. Matth. §. 31. Schneider. T. Lennep. ευ. Seyffarth. 377. 382. 561. *Notetur Juvenis in lex. p. 1237 Italiae illustr. qui Tarentinos dixisse docet τιτυρος pro σατυρος, unde Tityri notissimum Virgilii carmine nomen a paenula pastorum deductum, cujus formam in gemmis* (Gorlae. I. n. 138. 166. II. 48. 53. Mus. Flor. I. 40. Cayl. III. 76, 4) *videre licet.*

Σ et Ψ. Voss. PS. Maitt. — Salmas. lingua Hellen. 396. Schneider. Ψ.

ΣΔ et Z. vide Z.

ΣK et KK. v. KK.

ΣK et Ξ. vid. Ξ.

ΣK et ΣX. Matth. §. 18 f.

ΣΣ et Z, Θ, K, Ξ. v. hasce literas.

ΣΣ et ΠT. v. ΠT.

ΣΣ et T. vide T.

ΣΣ et TT. Scapul. Jon. Att. Schweigh. lex. Herod. II. 312. Suidas νησσα. μελιττα. Μολοσσος. αττα. Lennep. Φασσα. Φαττα. Φρισσω. Hemsterhus. ad Lucian. T. I. Bip. p. 309. 310. 312 sequ. Schweigh. lex. Herod. II. 312. Dio. Cass. Reimari p. 562. 563. Salmas. lingua Hellen. p. 64. 387. 432. add. νασσω, ναττω.

ΣT et T. vide T.

ΣT et TT. Meurs. misc. Lac. 220 βεττον

ΣΦ et Ψ. vide Ψ.

ΣX et K. vide K.

ΣX et ΣK. vide ΣK.

T.

T insertum. Suidas επιτηδειος. σκιπωνος. Lennep. δρυπτω. πτισσω. Maitt. Matth. 32.

T geminatum. v. *Maittair.*

T sublatum. Hesych. γερωνια. Salmas. lingua Hellen. 66. Lennep. τριπω.

T et Γ, Δ, Z, Θ, K, N, P, Σ. v. hasce literas.

T et ΣΣ. Maitt. — Mazoch. 159. τετρωχαντα.

T et ΣT. Suidas Θυστιον.

T et Y. Maitt. —

TT et Z. vide Z.

TT et ΣΣ. vide ΣΣ.

Y.

Y insertum. Damm. Grut. in ind.

Y sublatum ab υπο. Meurs. gloss. πομουη. ποταγη.

Y et Δ. vide A.

Y et AI. §. 389. *κυ.* Aringh. I. 332 f. Suidas I. 655. in *αιρα: σφαιρα* pro *σφυρα.*

Y et B, et E. vide B. E.

Y et EI. §. 362. 431. 602. 605. Maitt. — Mazoch. 181. Roeth. ad Laur. Lyd. 256. Suidas *επιγυα* et ibi not. Grut. in ind. Oderici diss. p. 31. Scholz. cur. cr. 60. Sturz. 93. 123. Bloch. 335.

Y et EY. Suidas *ψυδος* pro *ψευδος.* Gau Nub. XII. 26.

Y et H. et I. vide H. I.

Y et IY. Donat. inscr. II. 430, 18.

Y et Λ. et O. vide Λ. O.

Y et OE. Perizon. animadv. hist. 447. 448. Muncker. ad Hygin. p. 197.

Y et OI. §. 824. 854. Boissonad. ad Herodian. 296. ad 188. praef. p. 9. Hesych. *βοτυει.* Meurs. misc. Lac. p. 5. Maitt. — Voss. OI. Salmas. ad Tert. de pall, 312. ad Solin. 817 f. ad inscr. Herod. 30. Montf. pal. Gr. 230. 233. Perizon. animadv. hist. p. 447. Ruhnk. ad Tim. lex. *πυθιοι. ποιθιοι.* Villoiss. II. 127. Corsin. not. Gr. 59. Nova act. erud. Lips. 1751. p. 397. 399. Fabric. bibl. Gr. IX. 630. Jablonsk. opusc. 1. 146. *Μοιρις. Μυρις.* Woid. not. cod. Al. p. 33. Gau Nub. XII. 26. Lennep. *τυραννος.* Sturz. 92 f. 123. Seyffarth. 502. 504. 512. 513. Bloch. 54. 117. 204. 205. 326. 356.

Y et OY. §. 385. 429. 594. 642. Lactantius I, 6. Voss. U. Stephan. Byz. 682. n. 53. *Τρια.* Strab. *Ουρια.* Salmas. ins. Herod. 48. lingua Hellen. 65. 77. 396. Montf. pal. Gr. 213. Valcken. ad Theocr. 275. 276. Nov. act. er. Lips. 1751. p. 399. Cuperi apoth. Hom. 246 f. Spanh. ad Callim. 646. Sturz. 123. 178. Gau Nub. XII. 26. Matth. §. 26. 27 f. Seyffarth. 426. Bloch. 328.

Y et T. vide T.

Y et YI. §. 359. *υικατια.* Seyffarth. 518. 520.

Y et Φ. §. 360. Cang. gloss. Gr. I. 153. *αφεντης.* Bloch. 219. 227. 229.

Y et Ω. Maitt. — Schow. ch. pap. 91. Sturz. 123. Jacobs ad Ach. Tat. 463. *ρυμη. ρωμη.*

YI et EI. vide EI.

YI et Y. vide Y.

YI et Ω. vide Ω.

Φ.

Φ modo praefixum, modo sublatum. Lennep. *φαλαγξ. φθανω.* Villoiss. II. 159. *τεμθεν.*

Φ et B. Γ. Θ. M. Π. vid. hasce literas.

Φ et ΠΦ. Scalig. ad Euseb. p. 111.

Φ et Y. vide Y.

Φ et X. Maitt. — Voss. Ch. — Suidas *χλοη.* Hesych. *καρχαλεοι.*

Φ et Ψ. Vossius in litera P.

X.

X pro spiritu. §. 401. Lennep. χαζω.

X sublatum. Suidas ρυττει.

X et Γ, Θ, K, Ξ, Φ. v. hasce literas.

Ψ.

Ψ praefix. Ψαμαθος et Αμαθος. Meurs. misc. Lac. 249 f. Stephan. Byz. Ψαμαθους. ibiq. not.

Ψ et M. et Σ. vide M. Σ.

Ψ et ΣΣ. Hesych. κοσσυφος.

Ψ et ΣΦ. Maitt. — Matth. §. 31 f. Meursii misc. Lacon. 218.

Ψ et Φ. vide Φ.

Ω.

Ω et A. vide A.

Ω et AI. Hesych. ρωστηρ. ραιστηρ.

Ω et AO. Scapul. Att.

Ω et AY. Maitt. — Suidas μωυρος. Salmas. inscr Herod. 36. Zoega num. Aeg. 41. Ωλου. Matth. §. 27. Bloch. 217.

Ω et E. vide lit. E

Ω et EY. Scapul. Dor. —

Ω et EΩ. Scap. Attic. —

Ω et H. et O. vide H. O.

Ω et OA. Scapul. Dor. — Hesych. καταυα. not. 3. Roeth. ad Laur. Lyd. 154.

Ω et OH. Suidas επιβωσκωμενος.

Ω et OI. Scapul. Att. Dor.

Ω et OY. §. 365. 646. 804. 842. 860. Scap. Attic. Dor. Voss. OY. Maitt. — Suidas ριγοι. Schow. charta pap. 91. Salmas. lingua Hellen. 61. 81. Spanh. ad Callim. 688. Sturz. 43. 123. Huschke de Annio 49. Gau Nub. XII. 26. Matth. §. 27. Mazoch. 207. 250. Roeth. ad Laur. Lyd. 154. 163. 181. 293. Seyffarth. 377. 381. Bloch. 204.

Ω et Y. vide Y.

Ω et YI. Matth. §. 25. Seyffarth. 518.

ΩN et ΩΣ. vide OΣ.

ΩY et AY. vid. AY.